

B1

AFRICA CHRISTIANA

PARS SECVNDA

VOLVMEN II·

STEPH· ANTONII MORCELLI

E SOCIETATE IESV

PRAEPOSITI ECCLESIAE CLARENSIS

AFRICA CHRISTIANA

IN TRES PARTES TRIBVTA

VOLVMEN II·



BRIXIAE

EX OFFICINA BETTONIANA

M· DCCC· XVII



Quae volumine superiore comprehendimus, ea fere utilitatis adlatura plus aliquid sunt, quam voluptatis. pleraque enim, a nobis non tam ad legendum quam ad inquirendum proposita, iis magis usui esse possunt, qui veteris aevi notas, Ecclesiaeque Africanae vestigia identidem consectentur, quam ceteris omnibus, qui rerum gestarum continuam historiam, fusamque scriptoris orationem amare solent. ergo si quid hactenus antiquitatis sacrae cultoribus nos tribuimus, jam et iis gerendus mos est, qui legendi cupiditate ducuntur, et hoc petunt, ut temporum rationem sequuti, quae in Ecclesia Africana grandiora atque illustriora, memoriaque quam dignissima visa fuerint, ex ordine exhibeamus. sed quia fortasse erunt, qui non ita multa aut certe leviora nec indicta credant, quae modo perscripturi sumus, placuit in ipso operis exordio Conspectum Annalium nostrorum objicere: quo nimirum raptim ediscere antea quisque possit, quae in singulos annos congesta protinus referemus. unde illud etiam percommodum accidet, ut facile quis ad eum annum transire repente possit, quo ea narrari intelligat, quae sibi maxime nosse aut maturius hausisse intersit.



CONSPECTVS ANNALIVM

ECCLESIAE AFRICANAE

Praefatio de origine Ecclesiae Africanae, deque primordiis ejus ad Severi tempora.

Anno

197. Severo Aug. Romae agente res Christianorum pacatae, absente turbatae.
Tertulliani scripta pro religione.
Iudaeorum calumniae contra Christianos.
Apuleii superstitio et mors.
Agrippini Episc. concilium et sententia de baptismo haereticorum. Ritus Ecclesiae.

198. Vigellius Saturninus Procos. Afr. designatur, qui primus in Afr. gladium in Christianos egit. praenomen ei Marcus.
Christiani multi in carcerem ante ejus adventum conjecti, quibus Ecclesia Carthag. alimenta suppeditabat.
Namphanio Archimartyr Africae. ejus nominis origo. socii ejus Martyres multi.
Haeretici ab Oriente in Africam penetrant.
Tertullianus Scorpiacen in eos edit et librum de praescriptione haereticorum.
Numidia et Mauretaniae mitioribus Praesidibus usae.

199. Geta Caesar appellatus.
Carthaginienses Pythia celebrandi jus impetrant. iidem Odeum exstruunt.
Tertullianus librum scribit de spectaculis, deinde alios catholicis perutiles:
Presbyter ab Agrippino fit.
Nomen Christianum per Africae deserta diffunditur.

200. Martyres Scillitani sub Vigellio Procos.
Quaestio de his habita, et sententia dicta, mors eorundem et sepultura: honores et gloria.
Agrippini Episc. mors: Optatus succedit.
Vigellius Procos. lumina amittit.

201. Minucius Timinianus Procos. sollemnes a Christianis conventus impune aguntur: quos Tertullianus descriptos reliquit.
Aspasius Presbyter doctor Optato Episc. infensior.
Tertulliani liber de Poenitentia, et contra Praxeam, qui novam haeresim in Africam induxerat, liber alter serius vulgatus.

202. Victoris P. M. mors.
Severus alienatus a Christianis edicta in eos emisit. quae in Africam sub anni exitum perlata.
Timinianus Procos. ad Christianorum perniciem incumbit: et Catechumenos Tuburbi comprehensos morti destinat: sed ipse ante eos moritur.
Zephyrinus Romae P. M. creatur.

203. In locum demortui Procos. jus gladii accepit Hilarianus Procurator, qui statim munus populo dedit, in eo acclamatum a populo, ne Areae Christianorum essent. at Deus areas frumentarias sustulit.
Natalis Getae Caesaris, ejusque caussa spectacula Carthagine indicta.
Perpetuae M. lucta cum patre.
Baptisma Tuburbitanorum Martyrum. iidem post liberam custodiam in carcerem conjecti Ecclesiae cura identidem recreantur. Perpetuae visiones et certamen cum patre: ejus et sociorum confessio.
Secunduli mors, Pudentis praepositi carceris facilitas Felicitatis moeror, ne sibi mors differretur, quod uterum gereret: partus ejus.
Cuena libera Confessorum ante martyrium.
Saturi adloquutio ad populum.
Eucharistia Confessoribus praebita.
Martyrium eorum ex Actis.
De scriptore actorum, an Montani sectator?
De sepultura et Basilica MM.
Rufinus Procus. Africae designatus: sub eo Martyrium Guddenes.
Tertullianus Romam mittitur: alienatur a Catholicis, et ad Montanum vergit.

204. Ludi saeculares Romae acti, in Africa sub Rufino caedes Christianorum.
Pudentis militis martyrium.
Casti et Aemilii MM. laudes ex Cypriano et Augustino.
Celerina, Laurentius, Egnatius MM. de Basilica Celerinae.
Rescriptum quoddam Severi Aug.

205. Post Optatum Cyrus fit Episc. Carthag.
Tertulliani aperta defectio, Proculo in Montani sectam deducente.
Moeror bonorum ob tanti viri casum.
Opera Tertulliani, quae Catholicus scripsit.
De Christianis in Proconsulari et Mauretania vexatis.

Plautiani Praef. Praet. caedas.

206. Tertullianus ab Ecclesia rejectus damnatusque. magna ejus severitas in vitia quaeque.
Q. Flavius Scapula Tartullus Procos. Africae, iosignis erudelitatis.
Mavilum M. Adrumeti damnat ad bestias; implet terrore Ecclesiam, et divinam opem implorare cogit.

207. Calamitates et ostenta funestum annum fecerunt. ceti iogentis captura.
Ingens Christianorum caedes; Rutilii insigne martyrium cum sociis.
Tertulliani opus contra Marcionem; Defensio Montani suscepta.

208. Geta Augustus a patre appellatus.
Ecclesia Afr. Martyrum ornata triumphis turpes tamen multorum casus lngere coacta est.
Tertulliani narratiuncula de Catholici cujusdam imbecillitate. accusatio eorum, qui impunitatem auri pactione redemerant.
Ejusdem deliramenta de sorore Montanistide.

209. Qui tertius fuit Proconsulatus Scapulae, ac eine caede fuisse videtur, at non sine rapinis. num prorogatus fuerit?
Tertullienus librum contra Praxeam emisit, et errores ejus strenue docteque refutavit.

210. Tertullianus pallium sumpsit, et de Pallio scripsit.
Tres eodem tempore Augusti, et victoriis clari.
Minucii Felicis Octavius; ejus dialogi personaa Afri erant; ipse Minucius etiam. Caecilius vero et s. Cypriaoi magister.

211. Severus Aug. moritur; bene de Africa meritus.
Conventus Christianorum in Afr. rursum haberi coepti, et conviviorum mutitationes, quas improbabat Tertullianus.
Iejuniorum tamen haud deerant steti dies; et Quadragesima in primis.
Liber de jejunio e Catholico vulgatus, quem refutare conetus est Tertullianus.
Stationes quoque in usu erant bis in hebdomada. Montanistarum da his severitas.

212. Getae Aug. mors.
Montanistse Ecclesiee incommodi.
Tertulliani libri sex de Ecstasi et septimus contra Apollonium Episc. Ephes.
Prophetae vari et falsi.
De scriptis contra Montanistas.

213. Christiani ad pietatem revocati: poenitentes in Ecclesiam recepti.
Caji Presbyteri disputatio adversus Proclum.

214. Procos. Afr. Rufinianus, cui filius in provincia Legatus fuit, et Proconsulis quoque vice functus.
Constitutio Antonini Aug. pro orbe Romano.

215. Cyri Episc. Certh. edictum ad poenitentiam invitantis, qui ab Ecclesia defecerant, vel aliis se criminibus maculaverant.
Tertullisni furor contra Cyri indulgentiam ejus liber de Pudicitie insaniae plenus: convicia in Cyrum, abusus divinarum litterarum: Hermas qui Pastoris librum scripsit, *Pastor Moechorum* appellstus.

216. De caltu sacrarum aedium; deque instrumento sacrificali.
De Baptismo, Eucharistia, Oblationibus pro defunctis, de signô crucis et precationibus publieis: de Christianis nuptiis, de habitu virginum.
Liber Tartulliani *de virginibus velandis.* nuptarum levitas perstricta.
Tertullianus in ipsa haeresi saepe sapiens.
Rescriptum Principis adversus Adulteros.

217. Caracallae caedes, quam divinus quidam in Africa praedixerat. Macrinus ab Afris non alienus, qui Caelianum Rhetorem inde filio magistrum dederat. sed idem Christianis infensus habebetur. in Oriente tamen occisus pacem Ecclesiae non turbavit.

218. Diadumenus sublatus; Heliogabalus Imperator dictus Sex. Varii filius, qui Numidiae preefuerat, at Iuliae Soemiadia Bassianae, cui Iulia Severi matertera aret.
Zephyrini P. M. mors.

219. Callistus P. M. factus est, quo primum auctore sacrae aedes palam exstructae.
Maximillae et Montani funestaa mortes, aetas tranquilla insanam vatem ostendit.
Heliogabali ridicula sacra.
Vrania Carthagine Romam avecta, mox reddita, serius sublata.

220. Iulii Africani e Palaestine legatio ed Augustum. opera ejusdem.
De Actis Martyrum ab Eusebio collectis.

221. Severus Alexander Caesar dictus, Christianis aequus, et matre netus Christiana, aut certa Christianorum studiosissima.
D. Caelius Balbinus Procos. Afr.

222. Heliogabalo occiso Alexander Augustus appellatus est.
Ab hoc anno initium habet Cyclus Hippolyti M. Cypriani opus eimile, et consuetudo Africae diem Paschalem petendi ab Ecclesia Carth.
Canon Paschalis Victorii Aquitani.

223. Consilium ab Alexendro lectum; in eo Domitius quoque Ulpianus fuit Christianis infensus.

Cur sub Alexandro Martyres fuerint?
Callisto P. M. succedit Vrbanus.
224. Dio Historicus fit Procos. Afr.
Memmia Alexandro Aug. nubit.
Mamaea, quae Origenem audierat, Christianae institutionis parum memor.
225. Cyri Episc. Carth. annus ultimus. ejus in Ecclesia cultus. huic Donatus succedit.
Ritus Liturgiae Africanae.
226. Aedium sacrarum numerus auctus creditur sub Alexandro Aug. qui et de templo Christo Deo dedicando cogitarit.
Rescriptum ejus pro Christianis.
227. Concilia sub Donato Episc. Carth. habita: Tertulliani error de potestate Petro Ap. data improbatus.
Marcellus Procos. uxorem Pescenniam amisit.
228. Relegata in Africam Memmia Augusta, vel socrus impotentia, vel patris crimine.
Sallustia Barbia Orbiana Alexandri Aug. secunda uxor.
229. Procos. Afr. Lucillus Rufinianus, qui antea patris ibidem Legatus fuerat.
230. Turuzae statua dicata Q. Cousidio Namphanionis filio.
Procos. Afr. designatus Antonius Gordianus, et filius ei Legatus datus.
Vrbani P. M. mors, cui Pontianus successit.
231. Tertullianus Montanum deserit, sed novae sectae auctor fit: quae Augustini aevo desiit. errores ejus praecipui.
232. Tertulliani opus de Idololatria: in quo multa Catholicis perperam vitio vertit.
233. Alexandri Aug. victoria de Persis. motus in Tingitania. Furius Celsus provinciae illius Procurator: ejus de barbaris tropaeum.
Sacri ob res faustas peragendi mos.
234. Alexandri Aug. triumphus de Persis.
Gordiani in Africa pater et filius cari omnibus, et summis viris comparati.
235. Alexander Aug. apud Moguntiacum interfectus. milites Maximinum ortu barbarum Augustum dicunt. pavor Christianorum animos in primis occupavit.
Pontianus in Sardiniam deportatus Martyr occubuit. Romae creatus Anterus.
236. Odia in Christianos revixere: Ecclesia in Africa turbata.
Tertulliani liber *de fuga in Persequutione*, Evangelio contrarius.
Anteri P. M. martyrium. Fabianus succedit.
237. Cn. Messius Gallicanus genere Carthaginiensis Consul suffectus fuit.
Maximini Procurator in Afr. occisus, Gordiani Augusti dicti, et Legatio de ea re ad Senatum missa, qui et novos Augustos recepit, et Maximinum hostem judicavit.
Miles Christianus laureatus prodire noluit.
Tertulliani liber *de Corona*.
Gordiani tertio post mense a Capelliano praeside Mauretaniae victi sunt.
Carthago compilata, vexata.
Romae XXviri creati contra Maximinum, Pupienus et Balbinus Imperatores dicti, Gordianus puer junioris Gordiani filius Caesar appellatus.
238. Seditio in urbe contra Praetorianos. Aquileja a Maximino obsessa.
Maximinus cum filio a militibus occiditur.
Capellianus in Afr. sublatus.
Pupienus et Balbinus Romae necati:
Gordianus solus Augustus.
239. Pax in urbe, nec minus in Africa.
Catholici etiam quieti, Tertulliano jam sene et otioso.
Opera hujus post defectionem vulgata.
Graece quae scripserit.
240. Procos. Afr. Sabinianus adversus Principem conjuravit. hunc Praeses Mauretaniae copiis a Gordiano Aug. submissis oppressit.
Privati haeretici turbae in Numidia.
Concilium contra eum in Colonia Lambesitana, ejusque damnatio.
241. Bellum a Persis.
Privatus e Numidia Carthaginem petiit, ut Donatum Episc. falleret.
Fabianum etiam P. M. tentavit.
242. Misitheus Gordiani Aug. socer.
Geminius ex civitate Tusuritana Aquilejam se confert, et patrem Restutum baptismo suscepto illic decessisse comperit: Christianus et ipse fit, et ibidem compositus est.
243. Gordianus Persas vicit.
Caecilius Presbyter in Africa magnum Cyprianum ad Christiana sacra traduxit, qui ab eo Caecilius Cyprianus dictus est.
Cypriani patria; hortos vendit, ut inopiam egentium sustentet.
244. Gordiani III. caedes, cui succedit Philippus, Christianus a multis habitus.
Cypriani studia Carthagine.
245. Tertulliani mors. de ejus exitu quid sentiendum. poenitentiae nulla exstare monumenta; haeresim ejus mansisse.
246. Cyprianus biennium excultus se ad scribendum contulit. epistola ejus ad Donatum plena elegantiae, quam deinde neglexit.
Augustini de ea judicium.
247. Philippus junior Augustus appellatus.

Cypriani opus *de vanitate idolorum* in lucem prodiit.
Donatus Episc. Carth. Cyprianum in collegium Presbyterorum cooptat.
Hic jam Presbyter libros tres vulgat Testimoniorum adversus Iudaeos, etc.

248. Fuit hic annus ab urbe coodita millesimus cujus rei ergo ludi Romae apparatissimi facti suot.
Donatus Episc. Carthagine mortuus: in ejus locum invitus creatur Cyprianus.
Pontii de eo testimonium.

249. Philippi Augg. necantur: Decius succedit, Christianis infensus.
Cypriani epistola ad Eucratium Episc. Theuitanum de Christiano histrioniam faciente: liberalitas, ut illum ab arte pessima avocet.
Altera ejus epistola de virginibus masculorum contubernalibus ad Pomponium.
Cypriani ratio in clero legendo.

250. Decius in Christianos saevit. Fabianus martyrium facit. Celerious Afer Romae in carcerem conjectus: edicta Decii perlata in Africam, magnae cladis initium, quod Cyprianus divinitus norat.
Ethnici in Christiaoos ac Cyprianum in primis exarsere.
Cyprianus secessit, ut impetum declinaret, et multis saluti esset. qua de re apud Ecclesiam Romanam accusatus est.
Suppliciorum metus quamplures debilitavit. quidam libellos nefarios sibi compararunt.
Fortuoatianus Procos. plurimos post confessionem exsilio multavit.
Mappalici martyrium. multi fame in carcere exstincti.
Cyprianus consignari litteris martyria jubet. Confessorem Presbyterum facit. exsules sponte redeuntes coarguit. Luciani et aliorum confessorum facilitatem in iis admittendis, qui turpiter defeceraot, sapienter coërcoit, omnes ad poenitentiam hortatus.
Litteris ab urbe acceptis modum poenitentiae. quem Ecclesia Romana servaret, manifestum fecit. Confessores praestantissimos in Clerum adlegit: Numidicum Presbyterum regioni suae praeposuit. Clerum universum ad preces Deo fundendas datis litteris inflammavit.

251. Vrbs etiamtum sioe Pontifice maximo: multi in carcere martyrium opperiebantur.
Christiani in Afr. metu abjecto liberiores.
Cypriani de ea re querelae.
Felicissimi civis Carth. schisma, et Cypriani in eum sententia.
Caldonii Episc. et sociorum edictum.
Felicissimus a schismaticis fit Diaconus: multi ad ejus Montem transfugae.
Cyprianus plebem Carth. litteris suis in officio continet: multi resipiscunt.
Cyprianus e latebris suis Carthaginem redit, ut lapsis rebus succurrat: geminos vulgat libros, alterum *de Lapsis*, alterum *de Vnitate Ecclesiae*.
Romae Cornelius P. M. renuociatur, quem statim Cyprianus de poeoitentiae ratione consulendum duxit.
Episcopi Presbyterique, qui ab Ecclesia defecerant, acta eorum caussa, damnati. ex his Felicissimus cum sociis Romam transmisit, quos inter erat Novatus, qui Novatiano adhaesit.
Africa Cornelium sequuta. sprevit Novatianum, et Cypriani instantia schisma vitavit.
Deciis demum exstinctis, Gallus et Volusianus Augusti appellati, genere Afri.

252. Augustorum foedus cum Gothis.
Novatiaoi legationes in Africam, quas Cypriaoi sollertia inutiles reddit.
Pars Novatiani Carthagioe Maximum Pseudoepiscopum facit, item Nicostratum a Novato submissum.
Cypriani liber *de Oratione Dominica*. ejusdem epistola ad synodum Capsitanam de modo poeniteotiae. Concilium Carthaginem a Cypriano vocatum Episcoporum LXVI. io quo multae Episcoporum controversiae diremptae.
Fidi de Baptismo infantium prorogando sententia rejecta.
Felicissimi secta Pseudoepiscopum constituit Fortunatum, veterem Cypriani adversarium: eaque a factione Novatiani plane dissidebat. quum primores Romam navigasseot, nihil a Cornelio impetrare potuerunt.
Interea ab Augustis novae leges contra Christiaoos. Concilio vocato Episcopos hortatus est Cyprianus, ut severitate remissa poeoiteotibus aoimos adderent.
Cornelius Romae Martyr occubuit.
Cypriani litterae ad Thibaritanos *de exhortatione Martyrii*.
Lucius fit Pontifex maximus: ad eum scribit Cyprianus.

253. Lucii martyrium, cui Stephaous succedit.
Cypriani liber ad Demetrianum.
Lues dira per Africam: Christiani a Cypriano cohortati opem miseris afferunt.
Liber ejus de mortalitate.
Interea Gallo et Volusiano interfectis, C. Iulius Aemilianus Augustus dicitur: post hunc P. Licinius Valerianus.

Nunciata mox Maurorum in Numidiam irruptio, et virginum multarum captivitas: ergo in opem captivorum corrogata hortatu Cypriani et missa pecunia: qui tum et librum emisit *de opere et eleemosynis.*

254. Florentius Pupianus Cypriano adversatur: Novatianus item molestus esse pergebat: utrumque ille litteris coërcuit, et Stephanum P. M. de Marciani Arelatensis schismate admonuit: librum praeterea *ad Novatianum haereticum* emisit.
Episcopi Hispani controversiam de Basilidis et Martialis pontificatu ad Cyprianum deferunt.
Concilium Carth. actum, quod Numidici Episcopi quaererent, num haeretici, qui ad Ecclesiam Catholicam venirent, baptizandi essent.
Eadem quaestio paullo post e Mauretania allata, item Rogatiani Novensis querelae de Diacono.
Concilium rursus indictum de Baptismo, et litterae ad Stephanum missae.
Iubajanus ad Cyprianum scribit, hic ad eum, et libellum *de bono patientiae* vulgat.

255. Stephani P. M. Rescriptum ad Cyprianum de Baptismo non iterando. epistola hujus ad Pompejum Sabratensem conficta credi debet. Concilium Carth. tertium de Baptismo: at quid deinde susceptum sit, minus notum: et Firmiliani epistola haereticorum opus habendum est. Cypriani tamen ad Magnum litterae germanae putantur.

256. Xystus, qui Stephano P. M. successerat, quaestionem de Bapt. sustulisse creditur: in Africa ipsa novum et contrarium Decretum conditum est. Cyprianus nihil postea de ea re scripsit. ejus libellus *de zelo et livore.*
Opinio de aqua pro vino in sacrificio adhibenda Cypriani litteris refutata.
Victori Episc. Furnitanor. quod Presbyterum in testamento tutorem constituisset, poena post mortem inflicta.
Rursum *de exhortatione martyrii* scribit Cyprianus, quod clades a Valeriano Aug. Christianis impenderet.

257. Multi in urbe Martyres. edicta Augg. in Christianos ad Paternum Procos. missa Carthaginem, quae Episcopos in primis et omnem Clerum petebant. Cyprianus ante alios in custodiam ductus, et ante Procos. interrogatus: mox Curubim in exsilium missus. ibi de martyrio per visum certior factus.
Quamplures passim de Clero comprehensi et ad metalla damnati, quos Cyprianus litteris solatus est.
Saevitum deinde et in populum: multi ad metalla damnati, quibus Cyprianus suppetias misit.
Timotheus Diac. in Mauretania igne absumptus.

258. Aspasio Procos. succedit Galerius Maximus, qui Cyprianum Curubi revocat, et in hortis prope Carthaginem degere jubet. hinc ille Ecclesiam suam regit, epistolas scribit.
Proconsul Uticam pergit, de Christianis cogniturus. at Cyprianus, ne procul Carthagine mori cogeretur, abdidit sese de consilio amicorum.
Caedes Martyrum Uticensium: post quam Proconsul in suburbanum Carthaginis venit: Cyprianus vero in hortos suos rediit.
Cypriani judicium et praeclarum martyrium. gloria ejus posthuma.
Xysti P. M. mors, cui sero successit Dionysius.

259. Carpophorus fit Episcopus Carthag. Multi e Clero in carcerem conjecti. Eucharistiam accipiunt, aluntur ab Ecclesia.
In Numidia etiam Martyres plures. ex iis etiam, qui paullo ante in exsilium acti fuerant. Mariani Lectoris insigne martyrium. Confessorum visiones. Maria Mariani mater ab Augustino laudata.
Lucii et Montani praeclarae mortes, item sociorum Iuliani, Victorici. Flaviani.
Theogenes Episc. Hippon. Reg. comprehensus. inter tot Martyrum exempla quidam turpiter lapsi.

260. Valerianus a Persis captus, annusque aliis calamitatibus infaustus ex Mariani M. vaticinio.
Multi etiamtum in Africa Martyres.
Gallieni Aug. edicta pro Christianis ad Episcopos ipsos missa et ad Dionysium P. M.

261. Pax in Africa: foris tyranni numero aucti.
Cura Reliquiarum suscepta erga MM.
Kalendaria conscripta.
Martyres *vindicati* qui fuerint.

262. Tyranni per Romanos fines alii exstitere: Africa in Gallieni fide permansit.
De Concilio Afr. ad probandum Baptismum haeret.

263. Africa a tyrannis tuta. ea tranquillitas Ecclesiae utilis: Episcoporum, qui e schola Cypriani prodierant, opera multis salutaris fuit.

264. Carpophoro successisse Lucianus videtur: quem hoc anno Dionysius Alex. in epistola sua ad Dionysium P. M. commemorat.

Lucianus ad Dionysium Alex. scripsisse creditur de sublata Baptismi controversia.
265. In Africa etiam tyrannus exstitit Celsus. Proconsul Af. Vibius Passienus, qui Celso cum aliis favit. Sed Celsus septimo die imperii sui sublatus est.
Luciani Episc. in eo tumultu consilium.
266. Successor Passieno Procos. datus.
Africa a Francis tentata: sed Afri mansere intacti.
267. Gallienus Aureolum tyrannum repressit.
Dionysii epistola adversus Sabellianos in Africam quoque missa.
268. Gallieno occiso Claudius Augustus salutatur, ea res Christianis metum incussit. Martyres Romae. in Africa turbatum non est.
269. Victoria Gothica.
Dionysii P. M. mors, cui Felix successit. hujus de consecratione sua litterae ad Lucianum
270. Claudius Aug vi pestis absumptus: cui suffectus est Aurelianus.
Antonii magni secessus in deserta. Pauli Samosateni damnatio: Acta synodi Antiochenae in Africam quoque missa.
271. Vandali ab Aureliano domiti.
Pontii Diac. s. Cypriani mors. ejus in Ecclesia cultus.
272. Bellum Aureliani adversus Zenobiam. ejus sententia contra Paullum Samosatenum.
Afri pace usi, nec contra Ecclesiam motus ullus.
Luciani Episc. labores ignoti.
273. Aureliani Aug. victoriae. mutatus ejus erga Christianos animus.
Id magistratus quosdam incitavit, ut in Christianos saevirent partim in Oriente, partim in Gallia et Italia. de Africa nihil compertum.
274. Natalis Constantini magni.
Felix P. M. martyrio defunctus.
Aureliani triumphus, cui Africa feras summisit. Vandali inter captivos.
275. Aureliani edicta in Christianos: mox interitus.
Eutychianus fit Pontifex maximus. M. Claudius Tacitus a Senatu Imperator designatus. litterae Senatus ad curiam Carthaginiensem.
276. Arcus Tacito Aug. ab Afris dicatus. ejus mors. Florianus ab exercitu appellatur Augustus: sed Imperium obtinet Probus, qui olim in Africa bellaverat. Ecclesiae res sub eo quietae.
277. Statua Probo Aug. ab Afris dicata. De monumentis per Africam, et de Latinae et Punicae linguae usu.
278. Probus Aug. pacis auctor. res Africae obscurae et ignota etiam hujus aetatis nomina Episcoporum fere omnium.
279. Probus Romam triumphi caussa petit. Manichaeorum secta diffunditur.
Ecclesiae vigilantia adversus haereses.
280. Saturninus ortu Maurus in Oriente rebellat: in Galliis quoque tyranni exstitere: sed omnes Probi virtute deleti.
281. Nullum intra Romanos fines bellum: nec ullum in Africa studium erga Saturninum conterraneum.
Metus in Ecclesia aliquis auditis Orientis martyriis.
282. Probi Aug. interitus. Successit Probo M. Aurelius Carus: Carinus et Numerianus Caesares dicti.
283. Carus Aug. ictu fulminis perit.
Carinus et Numerianus Augusti appellantur.
Floret Olympius Nemesianus civis Carth. Mors Eutychiani P. M. in cujus locum suffectus Cajus.
Maurus ex Africa Romam profectus martyrium facit.
284. Numerianus Aug. ab Arrio Apro occiditur, Aper a Diocletiano, qui Imperium Nicomediae suscepit.
Annus fame et lue funestus.
285. Carinus Aug. bello victus et per insidias occisus. Diocletianus Romam petit, Sebastianum tribunum coh. I. Praet. facit. Genesium mimum Christianum morte multat.
286. Diocletianus M. Aurelium Valerium Maximianum collegam adscivit et Augustum appellat.
Multi Romae Martyres.
Ecclesia Africana metu suspensa: ad martyria cohortatur.
287. Augustis bello occupatis, Christiani in Galliis et Romae vexati, quod Principum animus in eos notus esset.
288. Diocletianus Christianis placatus, et magistratus a caede coërciti.
Luciani cubicularii ejus opera factum putatur, qui Christianus erat.
289. Carausius dictus Augustus Diocletiani consensu: Sarmatae victi.
Bellum in Tingitania inter Mauros.
290. Augustis absentibus Martyres rursum in Italia.
291. Franci finibus Romanis recepti.
A Cyrenaica Quinquegentiani in Africam irrumpunt.
Iulianus tyrannus in Africam adspirat.
292. Diocletianus Maximianum Galerium Caesarem dicit: Maximianus Herculius Constantium Chlorum. Procos. Afr. M. Iulius.

Partitio quaedam Imperii instituta orbi Romano funesta. Africa ad Herculium pertinere coepit. Agbienses opus Augustis et Caesaribus dedicant.
Luciano Episc. Carth. succedit Mensurius.

293. Quinquegentiani a legatis Herculii in Africa repressi. Carausius in Britannia ab Allecto victus.

294. Procos. Afr. Cassius Dio.
Arnobius floret: ethnicos refutat. fit Christianus.
Tirocinium Catechumenorum.

295. Concordius Praeses Numidiae.
Maximiliani adolescentis martyrium Teveste. ejus corpus Pompejana matrona redimit, et Carthagine apud s. Cyprianum componit.

296. Floret Lactantius, quem Diocletianus Nicomediam deducit.
Martyres Romae, quos inter et Cajus P. M. cui successit Marcellinus.

297. Herculius in Africam transmittit, Mauros coercet. provinciae Africae numero auctae.
Metus Christianis incussus.

298. Galerius Caesar post victoriam Persicam saevit in Christianos.
Marcellus Martyr in Tingitania sub Fortunato Procuratore provinciae et Agricolano, qui vice Praefectorum Praetorio fungebatur. post eum martyrio donatus Cassianus Exceptor militaris. Martyres alii Adrumeti.

299. Marcomanni et Sarmatae victi.
Ecclesiae res pacatae; a Galerio tamen timoris plurimum.

300. Res publica sine bello.
Concilium Eliberitanum.
Locilla Carthagine in Caecilianum Mensurii Diaconum odio incenditur, quod reprehensa esset, et schismati Donatistarum viam munit.

301. Constantii victoria de Alamannis.
Diocletiani superstitio, prima Christianorum vexatio.
Galerii Caesaris artes, quibus Christianos in invidiam vocabat.

302. Procos. Afr. Anius Cornelius Anulinus a Senatu designatur.
Fames multis in provinciis.
Principes in Bithyniam conveniunt.

303. Inter Diocletianum et Galerium de Christianis delendis in utramque partem disputatum. vicit Galerii sententia, qui Christianos maxime oderat.
Edictum in eos Nicomediae propositum. multi vel e domesticis vexati.
Ejusdem edicti exempla in Africa passim Herculii jussu promulgata.
Cirtae in Numidia nihil Christianis intactum relictum est, ne libri quidem. Episcopus ipse, ne dum reliqui e clero, sacram supellectilem et codices omnes tradiderunt. aliis item in urbibus sacra passim prodita sunt, templaque eversa. Confessorum tamen multorum mira constantia: Felix Episcopus Tibursici Burensium post longas aerumnas Venusii in Italia martyrium fecit: corpus ejus Carthaginem relatum est.
Quidam Carthagine plus ausi, quam religio et fides postularet, eoque nomine a Mensurio reprehensi.
Mensurius pro sacris codicibus haereticorum scripta supposuit.
Quidam martyrium quaesisse arguuntur tamquam malorum finem.
Sacrorum librorum jactura ingens fuit et Ecclesiae tristis.
Alia edicta Principum eaque graviora Nicomedia adlata.

304. Edictis in Afr. propositis universi e clero, qui fugam non arripuerant, in carcerem conjecti. mox alio edicto plebs quoque et omnium ordinum Christiani ad caedem destinati. metus ingens, Confessores multi, at et multi degeneres.
Abitinis in prov. Procons. sacerdotes plures qui ad Sacra convenerant, comprehensi, cumque his viri feminaeque omnis generis. quaestio de his a Proconsule habita, et omnes alii aliis diebus post varia tormenta morte multati.
Canon, quem Donatistae bisce martyribus adtribuunt.
Mauretania quoque Martyres habuit suos. inde erant Nabor, Felix et Victor, qui Mediolani interfecti sunt. Arcadius Caesareensis praeclaro martyrio functus Caesareae; alii etiam eodem tempore.
Romae Marcellinus P. M. Martyr obiit, nec successor dari potuit.
In Numidia Thebeste Crispina matrona post tres alias martyrium fecit. alii Confessores in vincula ducti Vagam.

305. Diocletianus et Herculius Imperio se abdicant, et Seniores Augusti appellantur. Galerius et Constantius Augusti dicti, Maximinus et Severus Caesares. Africa ad Severum pertinere coepit.
Cirtense Concilium praesidente Secundo Tigisitano, in quo proditores sacrorum voluminum se invicem absolverunt, et Silvanum sceleris socium Episcopum crearunt. Mammarii et sociorum quaestio et martyrium Bosae sub Anulino Procos.

Marcianae virginis Martyrium Caesareae, item Restitutae virginis Hippone Diarrhyto.

306. Galerii nova edicta in eos, qui Christianos latentes non proderent. Constantii mors, cui Constantinus successit jam tum aequus Christianis. Romae Maxentius Herculii filius, spreto Severo, Imperium suscepit, mitemque se Christianis finxit. Dissidii Donatistarum initium: calumniae in Mensurium et Caecilianum Diaconum ejus disseminantur.
Donatus a casis nigris cum Episcopis Numidiae aliquot sectae auctor fit.

307. Africa, exstincto Severo, sub Maxentio esse coepit. Licinius Augustus appellatur.
Maxentii imagines in Africam perlatae. factio Donati Carthagine schisma per dolum turbatur.

308. Sex uno tempore Augusti: quibus in Africa septimus accessit Alexander, qui triennium Carthagine regiam habuit.
Ecclesia nondum quieta: Romae plus tranquillitatis; Marcellus P. M. factus est.

309. Constantini in Galliis probata virtus.
Alexandri in Africa non ingratum Imperium, quod Maxentium odissent.
Numidae Episcopi Carthagine abire jussi.

310. Marcelli P. M. mors, cui successit Eusebius. Herculii exitus probrosus.
Carthaginienses Maxentium spernunt: Felix Diaconus epistolam in eum famosam scribit. ejus et Mensurii periculum.

311. Galerius morbo oppressus edictum promulgat pro Christianis quod Maximinus non probat. tabe mox consumptus moritur. Maxentius bellum in Alexandrum parat. Alexander primo proelio captus necatusque: provincia Proconsularis et Numidia direptae.
Felix Diaconus auctor libelli in Maxentium latuit apud Mensurium: qui ejus caussa Romam ire jussus. Ecclesiae thesauros seniorum fidei commisit.
Firmus quoque Thagastensis Episc. simili de caussa Romam accitus: uterque tamen reditum impetravit, sed Mensurius peregre mortuus. Melchiades Eusebio mortuo P. M. fit.

312. Constantini in Italiam profectio contra Maxentium.
Carthagine agitur de Mensurii successore: Botrus et Caelestius repudiati. Caecilianus creatur, quem Felix Autumnitanus consecravit.
Secedunt a Caeciliano competitores et Episcopi prodiiores e Numidia; iique Majorinum Episcopum constituunt, Lucilla instante. litteras subinde per Africam mittunt. ut incautos decipiant.
Constantinus interea de Maxentio triumphavit.

313. Indictio prima a septembri mense anni superioris. Caput Maxentii perlatum in Africam: Arcus Constantino et statuae decretae.
Anulinus Procos. Patricius Vicarius Africae. iidem jussi favere Christianis.
Immunitas a Constantino data clero: tria millia follium missa ad Caecilianum inopiae Clericorum levandae caussa. Donatistae libellos contra Caecilianum per Procos. ad Augustum mittunt.
Constantinus judices designat, qui Romae cum Melchiade de Caeciliano sententiam ferant.
In eo judicio absolvitur Caecilianus, damnatur Donatus. praescriptum, ne redeuntibus ad Ecclesiam Catholicam Episcopis honor eriperetur.
Donatistae alium sibi Episcopum sectae Principem faciunt Donatum Carth. hujus fastus et levitas.
Donatus Lactantii.

314. Diocletiani et Maximini mors.
Silvester post Melchiadem P. M. fit.
Donatistarum calumniae in Melchiadem et Concilium Romanum.
Iudicium de Felice Episc. qui Caecilianum consecravit: et de innocentia ejus sententia Aeliani Procos.
Concilium Arelatense ob eandem caussam. Donatistae absoluto Caeciliano quidam resipiscunt: ceteri nequiores fiunt. mira Constantini mansuetudo.
Aconius Catullinus consularis prov. Byzac. lex ad eum Constantini.

315. Lex Constantini de omittenda stigmatis in facie poena, et de crucis supplicio.
Donatistae judicium ipsius Constantini petunt: qui ne id quidem recusavit. id Romae habiturus, quum serius ex Africa Caecilianus venisset, Mediolanum accusatores vocavit.

316. Caecilianus Brixiae consistit: Constantini leges variae.
Donatus quum Mediolani esset, fugam meditatus retinetur.
Augustus denique Caecilianum Brixia accitum et adversarios ejus coram solus admisit, audivit: illum absolvit, hos damnavit. redux Caecilianus Ecclesiam gaudio affecit: sed Donatistarum furor idem fuit et pertinacia.

317. Aconius Catullinus Procos. leges Aug in Donatistas ab eo promulgatae.

Origo Circumcellionum vim atque caedem minitantium.
318. Constantini leges in Africam missae. Donatistae haeresi quoque maculati. Circumcellionum furor. insania quorundam voluntaria morte honores Martyrum appetentium. Proceres Donatistarum Victorem Garbensem Romam quasi ad Petri Cathedram destinant. Montenses dicti qui Romae cum Victore essent. quinam Victori in urbe successerint.
319. Proculus Procos. Afr. Vicarius Verinus. Arianae haeresis exordium.
Donatistae Africae Romanae finibus circumscripti.
Afri monachi in Aegypto et Palaestina.
320. Procos. Afr. Helianus. leges Augusti praeclarae. Zenophilus Consularis Numidiae, quo judice crimina Silvani Episc. Cirt. et sociorum patuerunt. Carthagine Donatistae de Basilica per vim ejecti.
Cognomen Caeciliano impositum.
321. Q. Aradius Praeses prov. Byzacenae, quem Urbes quatuor patronum cooptarunt.
Egregiae ab Aug. latae leges: datum Donatistis, ut exsules eorum redirent.
Catholicus idem ad patientiam hortatus.
322. Leges Aug. toti Africae salutares.
Legatus pro Praetore prov. Numidiae Q. Aradius, quem Zama Regia patronum cooptavit.
323. Constantini victoria de Licinio.
Caecilianum omnes Ecclesiae Catholicum agnoverunt: criminationes Donatistarum falsae ubique ac semper habitae.
324. Hilarianus Procos. Afr. Constantini consilium de primoribus Episcoporum Orientalium in Africam mittendis.
Concilium Nicaenum indicitur.
325. Caecilianus ad Concilium Nicaeam proficiscitur: in eaque cum laude versatur.
Digressus mandata Concilii in Africam defert. redux promulgat.
326. Tertullus Procos. Afr. Caeciliani annus vitae ultimus, gloria perennis.
Crispi Caesaris et aliorum caedes.
327. Tiberianus Comes Afr.
Rufus Episcopus Carth. creatur.
328. Synodus Donatistarum Carthagine, in qua adfuere Episcopi ejus sectae CCLXX.
329. Conventus civium, quos civitates Africae Carthaginem legabant.
Deutarius Macrianensis Donatista Catholicos multos ad sectam suam adducit, quod ex synodi suae praescripto transfugas ad baptismum rursus suscipiendum non cogeret.
330. Valentinus Consularis Numidiae. Constantini lege Clericis immunitas confirmata.
Cirtae, quum Basilicam ab Augusto conditam Donatistae occupassent, altera sumptibus ejusdem construitur.
331. Constantini opera publica Deo per orbem dicata: leges in haereticos: patientia erga Donatistas.
332. Constantini leges ad prov. Byzacenam missae.
Natalis Monnicae matris Augustini. Iulianus Kamenius Consularis Numidiae.
333. Felix Procos. Afr. lex Aug. ad eum data.
Constantini studium erga Ecclesiam.
334. Constantini cura, ut liberalibus litteris apud Afros eruditi Architecturae operam darent.
Quae artes potissimum in Africa florerent.
Donatistae ob impunitatem aucti.
335. Africa Constanti filio ab Augusto attributa.
Silvestri P. M. mors.
336. Marcus P. M. creatur.
Donati sectae cognominis antesignani litterae impudentissimae ad Gregorium Praef. Praet.
Lex Augusti adversus Iudaeos.
337. Conventus provinciarum Africae. Constantini Aug. mors. Aconius a Constante Vicarius Afr. designatur.
Marco defuncto Iulius P. M. fit. synodus a Iulia coacta.
338. Catullinus Vicarius Afr. lex Augg. contra famosos libellos.
Iidem perpetui Donatistarum osores.
339. Leges Augg. severae in adulteros.
Ignotae res Ecclesiae: sed certa Catholicorum Afr. cum reliquis Ecclesiis concordia. Ariani Africa exclusi.
340. Proculus Procos. Afr. Petronius Vicarius. Pugna inter Constantinum et Constantem: victor Constans unus Occidentem administrat, Constantio non invito.
Synodi quaedam per Afr. habitae contra eos, qui Baptismum itarabant.
341. Lex Augg. qua sacrificia ethnicorum vetabantur. Ara Victoriae a Constante sublata de curia.
In Africa veteris superstitionis vestigia diu mansere.
342. Ariani Constantium Aug. pervertunt, Constantem tentant.
Donatistarum audacia Principibus alio avocatis crevit.
Rufi Episc. Carth. mors.
343. Constantii leges Ecclesiae perniciosae. Gratus fit Episc. Carth. ea honore quam dignissimus.

344. Eubolides Vicarius Afr.
Scholastici advocati lege coërciti.
Concilium Adrumetinum.
Abundantius Episc. Adrumetinus.
Conciliorum Acta penes Primatem servata.

345. Christiani Persae a Sapore crudelissime vexati.
Grati labores in magna Donatistarum licentia.
Faustini Donatistae crudelitas Hippone Regio.

346. Iuvenalis Rationalis Numidiae.
Seditio Donatistarum, caesi e Circumcellionibus multi a Taurino Comite.
Constantis lex de bonis occisorum.
Concilium Sardicense indictum, ad quod Gratus et triginta quinque cum eo Episcopi transmissuri erant.

347. Concilium Sardicense, in quo Grati Episc. Carth. instantia modus positus est ambitioni Episcoporum.
Eusebianorum synodus nomen mentita Concilii Sardicensis.
Gratos quum in Afr. rediret, Constantem Aug. adiit.

348. Constans Aug. Paullum et Macarium in Afr. mittit, qui egestate oppressos sublevarent. Donati insanae querelae. Numidicus tumultus contra Legatos.
Miles Circumcellionibus oppositus.
Marculi martyrium a Donatistis jactatum.
Paullus et Macarius liberalitate ipsa non paucos demeruerunt: schisma prope sublatum est: Donatus exsulare jussus. Legati de Ecclesia Afr. optime meriti ad Constantem redeunt.
Donatistae exsules libros edunt contra Catholicos.

349. Donatistis prostratis, synodi per provincias actae, mox a Grato Concilium magnum Carthaginem vocatum. canones in eo sanciti plures, et ex antiquis quidam confirmati: poena violatoribus addita.

350. Constantis Aug. caedes: Magnentius Imperium sibi vindicat.
In Africa pax et quies a Donatistis, canones Concilii promulgantur.

351. Gallus patruelis a Constantio Aug. Caesar dictus, et in Persas missus, ipse Magnentium aggressus in Italiam redire coegit. Africa in Magnentii potestate erat. Ecclesia secura fuit. Miraculum Antonii magni.

352. Constantius pulso Magnentio provincias Occidentis et Africam ipsam recepit.
Memmius Orfitus Procos. Afr.
Iulii P. M. mors, cui successit Liberius.

353. Catullinus junior Procos. Afr.
Constantius Magnentio mortuo solus Imperium Romanum administrat. sub eo Ariani orbem inficiunt, at non Africam.
Grati Episc. Carth. mors.

354. Proclianus Procos. Afr. Magnus Vicarius, mox Olybrius Procos. revocato Procliano.
Restitutus Episc. Carth. designatur.
Hoc anno natus est Augustinus.

355. Constantius Aug. Iulianum Caesarem dicit. Donatum suum Donatistae amittunt, in ejusque locum sufficiunt Parmenianum.
Liberius Arianorum opera in Thraciam relegatus. Felix ejus loco P. M. factus.

356. Ariani multa in Aegypto ausi crudelia.
Constantii Aug. leges.
C. Marius Victorinus ex Africa, Romae Rhetor. opera ejus varia.

357. Flavianus Procos. Afr.
Triumphus Constantii de Magnentio. Liberius ab exsilio revocatus, tentata prius fide ejus per Fortunatianum Afrum Episc. Aquilejensem.
Ariani in plures abeunt sectas.
Galli quidam Episcopi ex Africa.

358. Liberii adventus in urbem: Felix Pontificatu se abdicat.
Probus Procos. Afr. Martinianus Vicarius.
Quatuor Episcopi Africani Arianis subscriptione sua Sirmii adhaerent.
Hinc Semiariani gloriati sunt, Africam secum sentire.

359. Felix Martyr obiisse fertur.
Restitutus Episc. Carth. ad Ariminense Concilium cum aliis Episcopis proficiscitur: et Catholicum se praestat. legatus cum aliis ad Augustum decipitur, et formulam probat haereticam. quum Ariminum rediisset, plerique Episcopi in eandem sententiam adducti.

360. Iulianus a militibus appellatus Augustus. Post Ariminense Concilium Episcopi aliquot, ex Africa etiam, ad Constantium profecti.
Restitutus et ceteri, quos erroris poenitebat, moesti in Africam rediere, seque Catholicos professi sunt.

361. Flavianus rursum Procos. Afr.
Simultates inter Constantium et Iulianum. ab eo missus in Africam Gaudentius. mors Constantii.
Iuliano rerum potito Episcopi exsules domum rediere, Donatistae etiam pessimo publico.

362. Hymetius Procos. Afr. Anicianus Vicar. Iulianus favet Donatistis, qui reduces occupant Basilicas Catholicorum, et sacra omnia violant. rapinae passim et caedes fiunt.

363. Octavianus Procos. Afr. Avitianus Vicar. Aginatius Consularis prov. Byzac.
Rectores provinciarum scribunt ad Iulianum contra Donatistas.
Iulianus ea discordia abusurus brevi interiit. Iovianus Imperium suscepit, sed ei ad coercendos Donatistas vita defuit.
Optati testimonia de furoribus Donatistarum.

364. Ioviani Aug. mors. Valentinianus Augustus dictus est, qui Valentem fratrem collegam adscivit.
Ampelius Procos. Afr. Dracontius Vicar.
Augusti leges, quae Ecclesiam laederent.

365. Romanus Comes Afris incommodus.
Donatistae sectam suam augent, sodalibus veteribus ad eam revocatis.

366. Festus Procos. Afr. Dracontius Vicar.
Legati Romam a synodo Lamsacena in Africam quoque navigant, ut sociales epistolas a Restituto impetrent. Liberii P. M. mors, cui sufficitur Damasus, Vrsino contradicente.

367. Gratianus a patre Valentiniano Augustus dictus est. ambo praeclara lege auctoritatem P. M. vallarunt.
Victorinus jam Christianus moritur. Eunomius haeresiarches in Mauretania exsulare jussus, Valentis Episc. Ariani opera revocatur.

368. Claudius Procos. Afr. Crescens Vicar.
Valentinianus Acta Donatistarum rescidit, veteres leges in eos restituit.
Athanasius scribit ad Episcopos Afric. Nicaenam eis synodum commendat.

369. Tripolitanorum querelae a Valentiniano rejectae: leges in eos promulgatae.
Demetrianus Praef annonae Afr.
Donatistae in officio fuere.
Augustinus Madauris vacabat studiis.

370. Symmachus sub anni finem Procos. Afr.
Lex Auggg. contra licentiam et avaritiam Clericorum.
Parmenianus contra Catholicos scribit, quem egregie refutavit Optatus.
Carthaginem mittitur Augustinus studiorum caussa.

371. Iulianus Procos. Afr. Crescens Vicar.
Lex de puellis ex scenicis natis.
Patricius Augustini pater Christianus moritur Monnicae opera.
Romaniani erga Augustinum affinem liberalitas.

372. Edictum Auggg. contra Manichaeos.
Firmus rebellat, Rex a Mauris dictus, cui Donatistae student. missus in eum Theodosius Comes.
Donatistae plures in sectas abire coeperunt, Tichonio auctore. Rogatus suam in Mauretania constituit.

373. Theodosii Comitis victoria gemina: Firmus laqueo vitam finivit.
Lex Auggg. de Baptismo non iterando.
Donatistae scriptis se invicem lacessunt, eorum diversa proposita.
Ethnici etiamtum complures.

374. Chilo Procos. Afr. Auggg. lex de Pictoribus. Restituti Episc. Carth. mors, in cujus locum factus est Genecllus.
Manichaeis adhaeret Augustinus.
Monnicae lacrymae ob filii casum.

375. Valentiniani Aug. mors: puer Valentinianus pro patre a militibus dictus Augustus. Africa Gratiano et fratri paruit.
Theodosius Comes reliquias hostium persequutus provincias pacavit.
Tichonii scripta.

376. Hesperius Procos. Afr. Theodosius Comes per invidiam capitis damnatus: cui deinde statuae dicatae, magnique honores habiti.
Nitentius Tribunus et Notarius contra Donatistas missus.

377. Thalassius Procos. Afr. Flavianus Vicarius Donatista, Gratiano inscio, cujus propterea lex minus valuit contra illius gregales: nec Basilicae, ut illa jubebat, redditae sunt.

378. Nova in Donatistas lata lex instantia Catholicorum.
Concilii Romani querelae de Donatistis apud Augustos.
Valentis Aug. mors a Gothis ambusti.
Satyri Ambrosii fratris naufragium ad Africae littora.

379. Theodosius a Gratiano dictus Augustus.
Africam puer Valentinianus administrare coepit.
Lex a tribus Auggg. contra omnes haereticos. poena in Donatistas constituta Genecllii rogatu compressa.
Augustinus, qui Thagastae aliquamdiu Grammaticam pueros docuerat, Rhetoricae tradendae caussa Carthaginem repetit.

380. Vindicianus Procos. Afr. Titianus Vicarius.
Agon Gymnicus Carthagine celebratus, in quo Augustinus inter poetas coronatur.
Clementis Episc. Caesareensis caritas erga patriam et cives suos.
Symmachi litterae pro Clemente.
Theodosii lex de Fide Catholica.

381. Hersius Procos. Afr. Kamenius Vicarius.
Legati Aquilejam a Genecllio Felix et Numidius, qui synodo adessent.
Augustinus commentari incipit, Manichaeos aversatur.

382. Faustus Milevitanus Manichaeorum Episcopus Augustino familiaris.
Gratianus Aram Victoriae e curia removet.
Damasus Concilium in urbem vocat, ad quod Afri quoque Episcopi conveniunt.

383. Eusignius Procos. Afr. Arcadius a Theodosio dictus Augustus.
Valentiniani lex in Iudaeos et Manichaeos.
Gratianus a Maximi tyranni factione Lugduni occisus.
Augustinus Romam migrat.

384. Africa Valentiniano paret, Maximo in Gallus dominante.
Augustinus Roma Mediolanum deducitur.
Damasi P. M. mors, cui succedit Siricius.

385. Messianus Procos. Afr. lex Valentiniani.
Augustinus apud Mediolanenses floret.
Ambrosium saepe audit: Catechumenus fieri vult. Mater ad eum venit. Agapae ab Ambrosio sublatae.

386. Manichaei apud Messianum Procos. accusati. Theodosii lex de Martyrum sepulcris.
Siricii Concilium et canones novem.
Optati Milevitani mors.
Augustinus totum se Deo victus dicat.

387. Maximus tyrannus Italiae imminet.
Siricii litterae in Africam perferuntur, quae Concilii canones continebant, eaeque synodo vocata promulgatae sunt.
Augustini Baptismus Mediolani, ubi et Martyrum Gervasii et Protasii corpora reperta ac translata.
Digressus inde cum suis, Ostiae matrem amittit. Romae consistit.

388. Africa in Maximi potestate fuit: sed brevi a Theodosio victus poenas dedit.
Augustinus Romae ad scribendum se contulit. post tyranni mortem Carthaginem navigavit: inde Thagastam secessit cum amicis, Deo vacaturus.

389. Theodosii et Valentiniani in urbe triumphus: mirum religionis studium. Nebridii Augustini familiaris praeclara mors.
Zeno Afer Episcopus Veronensis floret.

390. Drepanius Procos. Afr. Theodosii lex de Diaconissis: quae in Africa non erant.
Genechi Concilium Carth. et ejus canones, quos singuli Episcopi subscriptione confirmarunt.
Augustinus Thagastae monachum agebat, haereticos confutabat, utilis multis.

391. Magnillus Vicarius Afr.
Genechi Episc. Carth. mors et cultus.
Augustinus Hippone Regio Presbyter fit, et Valerio Episcopo operam navat. ibidem monasterium condit.
Celticius in Mauret. Sitif. raptam viduam dimittit intactam, et Baptismo abluitur.

392. Valentiniani caedes: Eugenius Imperium sibi vindicat.
Aurelius fit Episc. Carthagin. cui Donatistae, Parmeniano mortuo, Primianum opposuerunt. litterae Aurelii ad Augustinum et hujus ad eum de iis, quae emendanda viderentur. alia ejusdem scripta.
Fortunatus Manich. victus.
Lex Theodosii in hsereticos.

393. Africa in fide ac potestate Theodosii msnsit: sed Donatistarum turbis agitata est. Concilium ab his actum Cabarsussi, ubi Primianus damnatur, et Maximianus constituitur, unde Maximianistae ortum habuere.
Ob Carthaginis tumultum, synodus ab Aurelio Hipponem Regium convocata est, et canones sanciti plures, at appellationes minime sublatae.
Alypius in Palaestinam navigat, ubi Hieronymum novit.
Augustinus multa commentatus est.

394. Herodes Procos. Afr. Theodosius Aug. quamquam a Gildone Magistro utriusque militiae per Africam copiae ad eum auxiliares missae non sunt, de Eugenio insignem victoriam retulit. Maximianus a Primiano in synodo Bagaitana damnatur cum tota ejus factione: exinde Maximianistae abjecti.
Adrumeti Concilium Catholicorum fuit, ad quod legati missi sunt ex prov. Procons. Adimantus Manichaei discipulus refutatus.
Alypius fit Episcopus Thagastensis.
Augustinus Donatistas ad Ecclesiam litteris adducere conatur.

395. Ennoius Procos. Afr. Hierius Vicarius, Theodosii mors. Africa exinde sub Honorio.
Primiani factio saevit contra Maximianum: milite etiam usa et publica potestate.
Aurelius perversas consuetudines tollit: synodus Hippone Regio celebrata, in qua Augustinus Episcopus factus est Valerio superstite, et a Megalio Primate consecratus.
Paullini Nolani de ea re laetitia.

396. Theodorus Procos. Afr. sub eo acta caussa Feliciani et Praetextati Maximianistarum.
Circumcellionum motus in agro Hipponensi.
Evodius fit Episcopus Vzalensis.
Augustini labores in Manichaeis et Donatistis ad Ecclesiam traducendis.

Primus e Clero ejus Hypodiacoous transfuga.
Valerii Episcopi mors.
Florentius sartor Hippooensis divinitus ditatus.

397. Probinus Procos. Afr. Gildonis defectio: Optatus Gildonianus. Primiani factio Maximianistas insectari pergit, nec videt, caussam suam contra Catholicos plane iofirmari.
Aurelius Presbyteris suis concionum habendarum munus defert.
Possidius fit Episc. Calameosis, Fortunatus Cirtensis.
Concilium Carthagioe geminum habitum et in secundo canones Hipponenses propositi, ut Ecclesiae Africanae leges in posterum essent, et ubique servarentur.
Augustini disputationes et litterae ad haereticos et ethnicos.

398. Victurus Procos. Afr. Gildo a Senatu hostis publicus appellatus. Mascezel iu eum missus, cui Ambrosius in viso victoriam promisit.
Gildo captus sibi mortem conscivit, familia ejus superstite.
Hooorii Aug. leges, quae bello exstincto pacem salutemque attulere. Optatus Gildonianus aliique in carcere necati.
Monachi apud Afros in honore esse coeperunt Augustini opera, ejusdem cura fuit, ut vetus superstitio deleretur: cui legibus suis Honorius Aug. praesto fuit.
Coocilium ab Aurelio Carthaginem vocatum, ut de Ecclesiae dignitate atque honorum gradibus ageretur.
Siricii P. M. mors, cui successit Anastasius.
Augustinus libros Confessionom suarum absolvit. litterae ejus et opuscula.
Arzuges barbari.

399. Apollodorus Procos. Afr. Dominator Vicar. exinde Sapidianus, at Iannarinus Consularis Numidiae, Simplicius Praeses prov. Tripolitanae: Comites per Afr. Gaudentius et Iovius.
Honorius Aug. idola usquam esse vetat. Deae Caelestis delubrum Carthagine per Aurelium uni Deo consecratur. Christiani lege admoniti, ne ipsa templa opere artificioque insignia everterent.
Christiani LX. ab ethnicis necati Sufibus, quod signum Herculis confregissent. epistola de ea re Augustioi ad ejus coloniae seniores.
Manichaei ab Honorio lege repressi, Ecclesia defensa, barbari a finibus Romanis prohibiti.

Concilium Carth. et legatio ad Priocipes Augustini litterae et cohortationes ad Donatistas.
Posthumiani accessus ad almam urbem.

400. Agape in urbe Martyr sub Flaviano ethnico Praef. urb. Pompejanus Procos. Afr. multa etiamtum superstitionis vestigia manebant. iteratis spectaculorum sumptibus familiae ab Honorio liberatae.
Sententia, quam de Equitio synodus Carthaginiensis tulerat, lege firmata ab Honorio est.
Concilium Carth. in quo legatio decreta ad Anastasium P. M. et ad Venerium Episc. Mediol. item ad Principes cum mandatis. Augustini scripta varia.
Ritus Ecclesiae Afr. ab eodem expositi in epistolis ad Inquisitiones Ianuarii.

401. Collatio lustralis ab Honorio Aug. Clericis remissa. Pammachius Donatistas, qui in fundis degebant, quos in Numidia habebat, Catholicos fecit.
Anastasii P. M. litterae de admissione Donatistarum, quae lectae sunt in Conc. Carth.
Deliberatur auctore Augustino de Donatistis Catholicae Ecclesiae conciliandis, et de Cleri moribus conformandis: multa Episcopis praescribuntur, ut ordinis sui dignitatem tueantur.
Actum de Episcopo Hipponis Diarrythi creando in Equitii locum.
Controversia de Primate Numidiae.
Augustini plures epistolae ad Episcopos. De Presbytero Abundantio, quem ille ob crimina loco movit.

402. Theodosius jun. ab Arcadio patre dictus Aug. Anastasii P. M. mors, cui successit Innocentius.
Crispini Episc. Calameosis Donatistae facious. Augustini scripta et aliorum Episcoporum labores ad Donatistas molliendos. Concilium Milevitanum: canones Hipponenses confirmantur, caussae Episcoporum cognoscuntur.
Castorius fit Episcopus Bagajensis.
Hieronymi litterae ad Augustinum.

403. Septiminus Procos. Afr. Strategius Vicarius. Honorii de Alarico triumphos: delectus militum per Africam habitus. Episcopi a Donatistis in vitae discrimen adducti, Augustinus quoque et Presbyteri quidam.
Concilium Carth. Numidis Episcopis desideratis ob tumultum militum. formula concepta, qua Donatistae ad disputandum invitarentur.
Impudentia Donatistarum colloquium repudiantium.

Augustini praeclara epistola sub persona Ecclesiae Catholicae.

404. Crispini Episc. Calamens. Donatistae furor in Possidium: caussa ad Procos. delata: Possidii elementia.
Concilium Carth. et legatio ad Augg. ob Donatistis: quorum auctus furor est ad caedes usque.
Augustini curae et victoria de Felice Manichaeo, qui et socios detexit.

405. Diotimus Procos. Afr. leges Honorii adversus Circumcelliones, et edictum contra hostes Catholicae Ecclesiae Carthagine a Diotimo promulgatum exinde Donatistae magno numero Catholici facti.
Concilium Carth. in quo litterae Innocentii P. M. lectae sunt. Episcopi reduces multos Donatistas in Catholicam Ecclesiam receperunt, opem Caeciliano adferente provinciae Praeside. quidam tamen nullis officiis deliniri potuere: poenam vero Catholici, si infligeretur, deprecabantur.

406. Sapidianus Vicar. Afr. Nestorius Comes et Dux Limitis Tripolitani.
Donatistarum legatio ad Praef. Praet. infecta, nisi quod e legatis unus Catholicus factus est magna cum indignatione sectae suae.
Aurelii officia apud Innocentium P. M. pro Ioanne Chrysostomo exsule, et hujus litterae ad Aurelium.
Augustini scripta contra Donatistas et Arianos. Macrobius Proculejano Donatistae apud Hipponenses suffectus.

407. Porphyrius Procos. Afr. Lex Honorii in Manichaeos.
Donatistae e Clero resipiscentes honorem retinent: sed pauci ad Ecclesiam redeunt.
Concilium Carth. in quo modus synodis vocandis positus est: et Legationes provinciarum auditae: actum de Episcopis constituendis, et Ecclesiae legibus conservandis.
Legati ad Augustum, qui opportunas Ecclesiae leges impetrarent.
Melania senior in Africam venit.
Lerinenses Monachi ad Augustinum non pertinebant.

408. Arcadii Aug. mors: et multa Imperio infausta.
Calamae in Numidia seditio Paganorum. Legati ab Aurelio de synodo missi ad Augustum, qui opem contra Haereticos et Paganos implorarent.
Donatistae edictum confingunt, quo Honorius leges suas abrogans inducebatur.
Concilium Carth. in quo rursum Legatos ad Aug. mitti placuit.

Augustini litterae ad Olympium, qui Stiliconi successerat.
Donatus Procos. Afr. Heraclianus Comes.
Honorii lex, quae priores contra Haereticos et Paganos firmabat.
Augustini litterae ad Donatum Procos. ut aliquid de severitate remitteret: aliae ad alios.
Terrae mugitus Vticae.

409. Gaudentius Vicarius Afr. lex Honorii nova contra Donatistas et ceteros Catholicorum hostes.
Augustini epistola ad Donatistas et alia ad Macrobium, quem Hippone adversarium habebat.
Concilium Carth. solius prov. Procons.
Heraclianus Comes Attali tyrannidem Romae adripientis conatus repressit, Africam servavit.
Lex Honorii Catholicis funesta: Vandali in Hispaniam irrumpunt.

410. Macrobius, mox Palladius Procos. Afr. Generosus Consularis Numidiae.
Donatus, qui Procos. fuerat, in Africa subsedit Augustini amicus.
Concilium Carth. Legatis inde ad Aug. missis, ut lex anni superioris abrogaretur: quibus Honorius morem gessit. iidem impetrant, ut conventus publicus indicatur: cui praesidere jussus est Marcellinus V. C. magno Episcoporum Catholicorum gaudio.

411. Primores Romanorum ab urbe obsidionis metu profugiunt, et quidam in Africam multorum bono se conferunt. cum his tamen et haeretici venere.
Edictum a Marcellino promulgatum futuri conventus Episcoporum: deinde et ratio proposita, quam sequerentur.
Maximianistae a conventu exclusi. delecti ab utraque parte Actores: inque Thermis Gargilianis conventus kal. Iun. haberi coepit: et census Episcoporum omnium factus est.
Altercationes Donatistarum judicium declinantium. mira Episcoporum Catholicorum patientia et facundia.
Marcellini sententia, et poenae in Donatistas pertinaces.
Provocant Donatistae ad Augustos. ceterum ingens ex illis numerus ad Ecclesiam Catholicam passim rediit
Episcopi Catholici rem urgent: Augustinus Breviculum Collationis vulgat.
Concilium Carth. ad quod Caelestius doctrinae Pelagianae patrocinator vocatus damnatusque est.

412. Eucharius Procos. Afr. tyranni in Gallia exstincti. Augustini de Collatione liber

ad Donatistas: Lex Honorii contra Clerum eorum, et studium concordiae.
Odia Donatistarum in eos, qui ab ipsis defecerant: vis multis illata.
Augustinus Carthaginem ab Aurelio accitus disputat adversus Pelagianos.
Zertae in Numidia synodus acta ob Donatistarum motus, et epistolam ad eos scribere jussus Augustinus, in qua totam Collationis Carthaginiensis seriem exponeret. itaque Cirta prope tota facta est Catholica.
Apringius Marcellini frater Procos. Afr.
Innocentii P. M. litterae ad Aurelium de ratione Paschali.

413. Heraclianus tyrannidem affectans a Marino Comite superatur: et quum in Africam confugisset, occiditur: multa Afri ob eum perpessi. Marcellinus et Apringius tamquam perduelles ab haereticis accusati necantur.
Luctus Episcoporum in Concilio ob eorum merita, quae maxima fuerant.
Augustinus moerore victus discedit Carthagine. scribendo vacat.
Demetrias virgo ab Aurelio flammeum virginalem accipit. Honorius Marcellinum et fratrem insontes habet.

414. Iulianus Procos. Afr. Maurianus Comes Domesticorum militibus praeest.
Donatistae infamia notati, et confirmata quae sub Marcellino gesta essent.
Macedonii Vicarii Afr. edictum humanitatis erga Donatistas plenissimum.
Primianus princeps eorum mortuus, nec alius in ejus locum suffectus.
Synodum tamen illi in Numidia egerunt.
factione Donatistarum decrescente, Pelagiana augebatur. Augustini epistola ad Hilarium.

415. Symmachus deinde Largus Procos. Afr.
Otium non defuit Augustino ad scribendum. Orosius ad eum venit ex Hispania.
Fussalensibus Episcopus datus, qualem Augustinus nolebat, Antonius.
Pelagius refutatus, Mathematicus in Ecclesiam receptus.
Edictum Honorii contra Donatistas, lex in Paganos.

416. Classis Regis Valliae Africam petentis fluctibus obruta. Orosius e Palaestina redux Stephani Protomart. reliquias in insula Baleari deposuit, inde Hipponem ad Augustinum divertit.
Concilium Carth. prov. Procons. et litterae ejus ad Innocentium P. M. contra Pelagianos.
Concilium Milevitanum Episcoporum Numidiae, qui eadem de caussa ad Innocentium scripserunt.
Tertia ad eundem epistola accuratior a quinque Episcopis missa: aliae item ad alios Episcopos missae, ne Pelagii artibus fallerentur.
Augustinus Hipponem reversus novum opus molitur, et otium sibi a populo petit, qui tamen quod promiserat, ad breve tempus praestitit.

417. Orosii Historia vulgatur: ejus reditus in Hispaniam. Innocentii P. M. responsa ad Episc. Afr. et Pelagii ac Caelestii damnatio: item litterae ejus disertissimae ad quinque Episcopos.
Innocentii mors, cui Zosimus successit.
Augustini epistolae de haeresi Pelagiana.
Fama Zosimum prope a Caelestio deceptum falso nunciabat. litteris Zosimi docentur Episcopi Afr. quid Romae actum esset.
Concilium Carth. et litterae ad Zosimum.
Synodus Tusdritana.

418. Actae in provinciis synodi sex. inde Episcopi legati ad Concilium magnum Carth. quo tempore Largus Procos. Afr. erat.
Interea Zosimi perlata responsa, quae totam Pelagii caussam complectebantur.
At Episcopi antea convenerant, ut Pelagianas opiniones notarent: simul et Ecclesiae res ordinarent. lectis demum Zosimi litteris maxima fuit omnium gratulatio, quod judicio ejus quae ipsi egissent confirmata intelligerent. accessere et Xysti Presb. litterae ad Aurelium.
Epistola Concilii nomine ad Zosimum.
hujus jussu Augustinus in Mauretaniam profectus. disputatio ejus cum Emerito Episc. Caesareensi Donat. ludus item sollemnis ab eo sublatus. inde domum atque ad scribendum se contulit.
Evodius Vzali reliquias Stephani Protomart. in Basilica sua collocat: prodigia ejus duobus voluminibus vulgat.
Apiarius Presb. non uno crimine damnatus Romam ad Zosimum confugerat. is legatos in Africam mittit, qui eum in locum suum restituant. eo mox demortuo, res ad Bonifacium rejecta, qui in ejus locum suffectus est.

419. Aurelius et primi Episcoporum ab Honorio in Italiam evocantur, ut Spoleti cum aliis judices essent in caussa Bonifacii P. M. cui se opposuerat Eulalius. at hoc in exsilium acto, synodum solutam ante rescivere, quam ex Africa solverent. Concilium Carth. ob Zosimi praescripta.
Canones Sardicenses Afris ignoti: exem-

plar eorum ex Oriente petitum. Apiarius restitutus: Episcopi. legatis provinciarum exceptis, dimissi.

Canones ab Aurelio cum Legatis sanciti, et Codex absolutus, quem tota Ecclesia magni semper fecit.

Edictum Honorii contra Pelagianos, per Africam promulgatur. Augustini varia scripta. exemplaria Concilii Nicaeni bina ex Oriente adlata, quae ad Bonifacium mittuntur.

420. Dulcitius Tribunus et Notarius in Donatistas jussus animadvertere. ejus edicta ad Thamugadenses. Augustini contra haereticos scripta, Iulianum in primis Eclanensem.

Alypii geminum iter in urbem.

Sermonum Augustini ratio.

421. Fl. Constantius Placidiae vir dictus Aug. ejus jussu Caelestius et Pelagius iterum exsilio multati, et in Afr. templum Deae Caelestis eversum: Manichaei per Dulcitium comprehensi.

Concilium Carth. in quo praescriptum Primatibus, ut nomina decedentium et succedentium Episcoporum ad Episc. Carth. perscriberent.

Manichaei ab Augustino Hippone deprehensi.

Hieronymi Presb. mors.

422. Census praediorum in Afr. institutus. Vandalorum in Hispania motus, et Bonifacii Comitis alienatio ab Afris.

Mauretaniae Episcopi tres poena coërciti. Antonius Fussalensis accusatur.

Valentini Primatis litteris apud Bonifacium P. M. abutitur.

Bonifacii mors, cui Caelestinus successit.

Augustini Enchiridion, et liber *de cura pro mortuis* gerenda.

423. Honorii Aug. mors. Africa sub Theodosio. Augustinus Caelestino P. M. totam Antonii Fussalensis caussam exponit.

Caelestini judicium. Scriptores hujus aevi aliquot.

424. Bonifacii opera mansit Africa in fide Theodosii, qui eam Valentiniano puero destinavit. Carthago moenibus cincta.

Concilium Carth. in quo Tabracensium querelae auditae contra Apiarium, et provocatio ad transmarina canone vetita. Augustini epistolae, et honor Protomart. Stephani reliquiis habitus.

Ianuarii Presb. testamentum contra leges Monasterii Sanctimonialium feminarum tumultus adversus Praepositam.

425. Georgius Procos. Afr. Valentinianus Constantii Aug. et Placidiae Aug. filius a Theodosio dictus Aug. et in Occidente Imperium jussus administrare.

Lex ejus pro Ecclesia Africae, alia contra haereticos et Paganos perutilis.

Stephani Protomart. miracula.

Monasterii Hipponensis constitutio ab Augustino promulgata.

426. Apiarius a Caelestino per Faustinum Episc. in Africam reducitur. sed in synodo Carth. crimina fatetur sua. exinde querelae Episcoporum de Caelestino et postulatio, ne indulgentior esset: in eorum tamen numero nec Augustinus nec ceteri, qui eminebant, inventi.

Milevitani ab Augustino pacati: exinde Hippone ab eo designatus Heraclius, qui post ipsum Episcopus esset, populo omnia adclamationibus comprobante. Heraclii sermo ad populum.

427. Bonifacius Comes in Afr. justus, potentior, Placidiae Aug. gratia fretus: Arianam uxorem ducit Augustino improbante. ab adversariis perditur, et hostis publicus appellatur. exinde barbari in Romanos fines incurrunt.

Monachi Adrumetini de libero hominis arbitrio contra Augustinum disputantes ansam ei praebent scribendi *de Gratia et libero arbitrio:* Monasteriumque brevi ejusdem litteris sedatum.

Leporii caussa Carthagine cognita, et ipse atque adseclae in Ecclesiam recepti, ac passim laudati.

428. Bonifacii defectio. Sigisvultus Carthaginem occupat: Vandali e Baetica in Mauretaniam trajiciunt.

Augustinus censum init operum, quae scripserat. ejus disputatio cum Maximino Ariano. Dioscorus Archiater fit Christianus. Vandali Tingitaniam et Mauret. Caesareensem vastant, vicinas provincias terrore complent. incolae fuga sibi consulunt: Episcopi haerent, nec quid praestet, facile deliberant.

429. Celer Procos. Afr. provinciae a rectoribus ipsis et curatoribus publicis vexatae. Placidia Darium Comitem mittit, ut Bonifacium sibi conciliet, et Gensericum in Hispaniam redire cogat. sed nihil ille cum Vandalo profecit: nec vis aut arma valuerunt.

In provinciis, quas Vandali jam obtinebant, avaritia et crudelitas dominata est. ultima Augustini scripta.

Aurelii Episc. Carth. mors, cui succedit Capreolus.

Hilarius Massiliensis Augustini auditor.

430. Numidia praeter Cirtam et Hipponem a Vandalis subacta. in alteram Episcopi

plures ad Augustinum confugerant, Possidius in primis.
Augustini mors, et bonorum luctus.
Litterae a Theodosio Aug. quibus Capreolus et Augustinus ad Conc. Ephesinum invitabantur.

431. Hippo jamdiu a Vandalis obsessa, in qua Bonifacius erat. multi per Africam, Episcopi etiam, ferro atque igne excruciati.
Capreolus synodum cogere haud potuit: Ephesum tamen Diaconum Besulam legavit.
Bonifacius obsidione soluta liber bellum urget. Possidius vitam Augustini scribit.
Paullini Nolani mors.

432. Romanus exercitus a Vandalis caesus, Africa barbaris permissa. ii, quibus licuit, moenibus se texerunt: Hipponenses urbem deseruere.
Capreolus auctor Carthaginiensibus Dei poenitentia placandi, et Catholicae professionis retinendae.
Besula a Concilio Ephesino redux.
Caelestini P. M. mors, cui Xystus successit.

433. Capreoli labores et doctrina.
Vandali Afris graves, quandoque et utiles ad vitia coërcenda.

434. Carthaginienses ad Principem Legatos mittunt.
Aspar Consul in Africam missus, ut de pace ageret.
Capreolus puellam mali daemonis hospitem divinitus liberat.

435. Pax inter Valentinianum et Gensericum facta: et Genserico relicta, quae jam occuparat. qui jugum evaserant, plus aequo laeti, et ad licentiam proni.

436. Episcopi Hispani Capreolum de haeresi Nestoriana consulunt: ad quos ille doctas litteras misit, hortatus, ut naviter novas opiniones rejicerent.
Honorati Antonini Episc. Cirt. epistola ad Arcadium exsulem.

437. Gensericus ad Arianam haeresim Catholicos in primis Episcopos pertrahere conatur.
Martyres in ipsa Regis aula. item fratris ejus uxor in Ampsagam demersa.
Piraticam Vandali exercere incipiunt.
Capreoli Episc. Carth. mors, cui suffectus est Quodvultdeus.

438. Codex Theodosianus vulgatur, cujus et in Occidente summam esse auctoritatem Valentinianus voluit.
Vandali piratae Siciliam vastarunt. qui in Afr. erant, Catholicos vexavere.
Lex Valentiniani de Reliquiis.

439. Carthago a Genserico contra foedus capta. multa ibidem avare ac crudeliter gesta. Quodvultdeus cum Clero in exsilium actus Neapolim pervenit.
Catholici Basilicas amisere, suburbanas etiam: item jus funeris et exsequiarum.

440. Moenia urbis ob Vandalorum metum restituuntur. in Afr. reliquae provinciae in Augusti fide mansere.
Genserici saevitia in Episcopos Catholicos, qui in Afr. erant. ceteri, qui Italiam tenuerant, in Campania otium nacti.
Classis a Genserico instruitur, quae in Siciliam navigavit. Augusti bellum moliuntur, et Regem deterrent.
Xysti P. M. mors, in cujus locum factus est Leo.

441. Theodosii Aug. classis ultra Siciliam progressa non est, quod Hunni in Thraciam irrupissent.
Gensericus in Afr. reversus Catholicos edictis terrere instituit, et multos in exsilium pellere, caussas saepe falsas meotitus.
In provinciis, quae Augusto parebant, studium religionis eminebat etiamtum.
Victoris Cartennensis labores et scripta in Arianos. par et Voconii Episc. Castellani sollertia fuit, item Cerealis Episc. Castelli Ripensis et Vrsini monachi. nec tamen otiosi, qui Neapoli aut in Campania exsulabant.

442. Novum inter Valentinianum et Gensericum foedus ictum: at contra Regem in Afr. conjuratum: idque multo sanguine stetit. Afri voluntario exsilio solum vertabant. Theodoreti testimonia.
Maria nobilis puella captiva e Syria ad patrem redit.

443. Manichaei ex Africa Romam venerunt, quos Leo P. M. diligentissime insectatus est.
Valentinianus Afris opitulatur.
Iuliae virginis probitas et martyrium.
Quaestio de Paschatis die: scriptores, qui tum de eo argumento aliquid tradidere.

444. Afri ab Augusto aeris collatione liberati.
Manichaeorum Acta a Leone vulgata.
Quodvultdei Episc. Carth. mors.

445. Numidae Legatos ad Aug. mittunt, qui eos maxima tributorum parte levat. idem Manichaeos proscripsit notavitque.

446. Leo Potentium Episc. in Africam legat. subinde multa per Mauretaniam auctoritate sua corrigit, alia Episcopis servanda praescribit. de Episcopis loco motis sententiam fert: Virgines, quibus barbari vim intulissent, qua ratione tractandae essent declarat.

447. Valentiniani indulgentia erga Afros. Mira Leonis P. M. prudentia. nihil ab eo immutata Baptismi in Epiphania celebrandi consuetudo, quae Graecorum erat, et in Siculis ab eodem improbata est.
448. Eutychianae haeresis initium: quae Africam non attigit: in qua ne Ariana quidem labes quidquam profecit.
Episcopi quidam exsules in Oriente.
449. Sebastiani Comitia fuga: ex Hispania ad Gensericum se confert. fides ejus Catholica a Rege tentatur. praeclare professionem suam quum defendisset, contra hospitii fidem interimitur.
Concilium magnum vocatur Ephesum, quo Episcopi Africani profecti non sunt.
450. Lex lata de indulgentiis reliquorum.
Theodosii Aug. et Placidiae mortes.
Marcianus dictus Augustus. eo adnuente, synodus Ephesina rejecta, Concilium magnum Chalcedonense indictum.
451. Valentiniani liberalitas erga Afros.
Primates et Episcopi Imperatoriis litteris ad Concilium magnum vocati: quorum profectionem varia pericula retardarunt. at tres, qui exsulabant Chalcedone adfuere.
452. Litterae Leonis P. M. de Concilio Chalcedonensi ad omnes Ecclesias.
Lex Valentiniani Afris utilis, at Episcopis parum aequa.
Leo Attilae obviam proficiscitur.
Aurelii Episc. Adrumetini exsulis mors.
453. Duo Reges Romani nominis hostes obiere.
Carthaginienes Catholici, quod Felicem apud Adrumetinos Episcopum factum audissent, sibi etiam Episcopum a Genserico per Valentinianum petunt.
Felix Adrumetinus in exsilium actus.
454. Valentiniani litterae ad Gensericum perlatae, rogantis, ut Catholicos Episcopum habere pateretur, quem sibi legissent.
Rescriptum Regis: Deogratias Episc. Carth. renunciatur, vir sanctus.
Basilicae etiam quaedam Catholicis redditae.
455. Paschatis dies duplex.
Valentiniani Aug. caedes. Maximus Imperium occupat: provinciae barbaris objectae.
Gensericus Africam Romanam sibi vindicat.
Hunc vero Eudoxia Aug. Romam contra Maximum tyrannum advocat. Maximus in tumultu occiditur. triduo post adest Gensericus, cui obviam Leo P. M. processit.
Vandali dies quatuordecim urbem compilant. Eudoxia cum filiis multisque captivis Carthaginem adducitur.
Campanis post urbem a Genserico vastatur.
Paullini Episcopi Nolani captivitas.
Avitus Imperium arripit: sed nulla ejus in Africa auctoritas, quae tota Vandalica erat.
456. Urbana Genserici praeda, captivique omnes Carthagine expositi. Deogratias Episc. Carth. misericordia erga aerumnosos.
Aviti Aug. legatio ad Gensericum provincias Africae repetentis: quam Rex contempsit.
Classis Genserici a Ricimere apud Corsicam fusa.
Marciani Aug. legatio item infecta. Rex Eudociam Eudoxiae Aug. filiam Hunerico uxorem dedit.
457. Marciani Aug. mors, cui Leo successit. in Occidente post Avitum Majorianus Imperium suscepit. Vandali piratae quaquaversus praedatum excurrunt.
Arianis impellentibus Rex clarissimum quemque Episcopum in exsilium mittit: uno excepto Carthaginiensi.
458. Deogratias magno omnium luctu vita functus, et ab ejus morte vetitum a Rege Catholicis, ne amisso Episcopo alium crearent.
Thomas Episcopus Carthagine ab Arianis caesus.
Classis Genserici a Majoriano Aug. fusa fugataque ad Liris et Volturni ostia. ea clades Regis animum fregit.
Leonis P. M. Rescriptum ad Rusticum Episc. Narb. de baptismo eorum, qui ex Africa in Galliam profugerant.
459. Majorianus Aug. Rege Theodorico sibi conciliato bellum in Vandalos molitur.
Martyres rursum in Afr. at Confessores egregii. Vandalis eos insectantibus.
Maximae ancillae Catholicae vices.
Confessores in deserta Maurorum missi multos ad Christiana sacra traducunt.
Gensericus supplicio eos affici jubet.
460. Majoriani Aug. classis Gensericum terruit, Legatosque pacem petentes mittere coëgit. foedere icto, crudelior in Catholicos evasit.
Episcoporum quorumdam mira constantia.
461. Majoriani mors, cui suffectus Libius Severus,
Leone P. M. defuncto Hilarus pontificatum cepit. Ariani Catholicis vim inferunt, in Basilica celebrantes Pascha occidunt.

Armogastis longa patientia et invicta virtus.

462. Piratae Vandali rursum oras Italiae et Siciliae vastant. Itali opem Leonis Aug. implorant.
Legatio ab eo missa ad Regem, qui Eudoxiam et Placidiam reddidit: at sibi pacem cum Italis fore negavit, nisi nurui suae bona dotalia darentur.
Multa ab Arianis perpessi Catholici, Hunerico patris crudelitatem superante. Saturi insignis constantia et longum martyrium.

463. Placidia Olybrio nupta, Gensericus petere ab Italis ausus, ut eum Augustum dicerent.
Catholici, ubi plures Ariani, ibi crudelius tractati, maxime ab eorum Episcopis.
Liber ab Afro vulgatus *de Genealogiis Patriarcharum.*

464. Vandali, quos Rex Siciliam vastatum miserat, a Marcellino passim caesi.
Iram Rex ob eam cladem animo conceptam in Afros Catholicos effudit. Basilicae iis ereptae.

465. Exstincto Severo Aug. Italia sub Ricimere biennium fuit, qui exercitum regebat.
Concilium Romae sub Hilaro. cui Episcopi duo ex Africa interfuere. canones eo perlati.

466. Gensericus Europae paene omni gravis. Classis Ricimeris Africam tempestatibus adversantibus tenere non potuit.
Legatio in Afr. Regis Regismondi et Regis Eurici, quorum ille in Hispania, hic in Gallia regnabat.

467. Anthemius dictus Augustus. Legatio Leonis Aug. ad Gensericum bellum indicentis, nisi Italiae parceret. durum Regis responsum, belli apparatus utrinque.

468. Hilari P. M. mors, in cujus locum factus Simplicius.
Classis Leonis Aug. et Anthemii copiae in Vandalos immissae: nec fausto admodum exitu. nam rursus usque ad Zenonem Aug. Vandali piratae Romanos fines vexarunt.

469. Anthemii Aug. cum Ricimere simultates. Aspar Arianus apud Leonem Aug. Genserici amicus.
Domnulus Afer apud Gallos floret litterarum laude et pietatis studio.

470. Gensericus Regem Euricum in Anthemium concitat, quo ipse impune praedas ageret, et Italiam vastaret.
Catholici in aerumnis ad fortia quaeque informabantur.

471. Aspar Constantinopoli sublatus. Anthemius cum Eurico pugnabat.
Genserici mira felicitas videbatur.

472. Eudocia Eudoxiae Aug. filia Hunerici Ariani hominis conjugium perosa profugit ex Africa Constantinopolim, dein Hierosolyma secessit.
Anthemio et Ricimere interfectis, Olybrius Augustus est appellatus, eoque honore usus quatuor menses.
Ostentum Vesuvii montis.

473. Glycerius dictus est Augustus. ab eo Ostrogothi muneribus placati.
Afri multis aerumnis oppressi, et qui Africam etiamtum incolebant, et qui inde profugerant.

474. Iulius Nepos Ravennae dictus Augustus. Olybrius in ordinem redactus.
Classis Genserici praedatum in Orientem navigavit: ubi Zeno Aug. Imperium cum filio susceperat, et pacis ineundae consilium probabat.

475. Iulio Nepote depulso Romulus dictus Augustulus, qui et ultimus Augustorum in Italia.
Zenonis ad Gensericum legatio de pace. Severus Legatus captivos redemit quam plurimos: reditum Clero et Basilicas impetravit. foedus illud ad Iustinianum usque servatum est.

476. Zeno in Oriente deturbatus: in Italia Romulo pulso Rex esse coepit Odoacer: qui cum Genserico foedus iniit, Siciliam recepit.
Catholici otio usi coetus suos celebrare coeperunt. Episcopi in provinciis creati.

477. Zeno tyranno capto Imperium obtinuit. Gensericus anno quadragesimo nono, ex quo Vandalos in Africam traduxerat, decessit.
Hunericus filius regnum suscepit, vitiis patre major, virtutibus impar: quem Catholici simulatione ejus decepti propitium sibi spondebant: quum praesertim Manichaeos summa severitate punitus esset.

478. Pax Hunerico cum ceteris Regibus et ipso Augusto. avaritia ejus ex omnibus vitiis prima erupit, calumnia socia.
Legatio ejus ad Zenonem bonorum Eudociae repetendorum caussa.

479. Legatus a Zenone Alexander vir illustris ad Hunericum, a quo impetravit, ut Carthaginienses Episcopum legere sibi possent. lecto in Basilica Regis edicto, designatus est Eugenius vir antiquae virtutis.
Legatum revertentem Constantinopolim comitati sunt Legati Hunerici, quos Zeno magnifice excepit.

480. Hunericus crudelitatis initium a domo sua fecit, et Arianorum etiam Patriar-

cham vivum combussit: multi in exsilium acti.

Catholici metu abjecti, Eugenius Episc. ab Arianis odio habitus.

Hunerici lex, ne induti Vandalica veste a Catholicis in templum admitterentur.

Eugenii responsum: poena in eos dicta qui ad Catholicos accederent. multi dura supplicia subierunt.

481. Futura ab Hunerico mala signis ostentisque divinitus monstrata Catholicis. voces etiam auditae, quae abire juberent, et alia id genus, quae Cypriani quoque tempore contigerant.

482. Tentata fides Catholicorum, qui in Regis aula apparebant: multi relegati.

Edictum Hunerici, ne usquam Episcopus mortuo sufficeretur. quod tamen Arianorum instantia abrogavit.

Virgines Catholicae terrore tormentisque tentatae, ut se ab Episcopis violatas faterentur.

483. Simplicii P. M. mors, cui Felix successor datus ejus nominis tertius.

Catholicorum millia amplius quatuor Mauri jussu Hunerici in deserta deducunt. in quorum numero Episcopi etiam fuere, aerumnarum omne genus antea perpessi, et in itinere ipso ad mortem usque vexati.

Edictum Hunerici, quo omnes Episcopos kalendis Febr. quae proxime futurae essent, Carthaginem convenire jubet.

Responsum Eugenii de collegarum sententia: Hunerici, ac rursus Eugenii verba: nec quidquam impetratum.

Litterae Eugenii ad Felicem P. M. et hujus epistola ad Zenonem Aug.

Hujus legatio infecta: multi ob eam e Catholicis excruciati et in exsilium ejecti.

484. Quum Epiphania celebraretur, et Catechumeni Baptismo abluerentur, caecus quidam nomine Felix ab Eugenio sanatur palam, magna populi laetitia.

Episcopi, ut jussi erant, Carthaginem conveniunt. doctissimus quisque in carcerem conjectus necatur: Laetus Episc. Neptitanus vivus comburitur.

Exinde reliqui Episcopi ad disputationem adesse jubentur.

Diu de ratione disputandi cum Arianis Episcopi Catholici contendere: quum nihil proficerent, formulam Professionis suae exhibuere: libellus etiam Hunerico oblatus.

Edictum a Rege jam perscriptum erat, quo leges in eos statuebantur, quas olim Augusti in haereticos tulerant: eodemque die propositum est Carthagine, et omnibus in urbibus Africae.

Quom omnes extra moenia ejecti sub dio manerent, convenire rursus jussi sunt ad aedem Memoriae. ibi ad ambiguum jusjurandum provocati: exinde in exsilium missi, alii in agros, alii in Corsicam: Eugenius Tamallenem relegatus.

Missi et in provincias carnifices, qui Catholicos quosque ad Arianam sectam pertrahere conarentur. itaque Martyres passim inventi. Tipasensium insignis constantia. tum loquuti disertissime, quibus lingua avulsa fuerat.

Admissus Vranius Zenonis Aug. Legatus inter supplicia et caedes Catholicorum, quos ut servaret, advenerat.

Clerus Carthaginiensis post haec dire vexatus: et cura Arianis Episcopis delata, ut ceteris in urbibus Catholicos Episcopos insectarentur, quotquot invenissent.

Calamitates Africae, fames in primis.

Hunerici mors, qualis Arii fuit.

485. Guntamundus Gentonis f. regnum suscepit, Arianus quidem, sed a patrui crudelitate alienus. Catholici statim ab exsilio revocati, ac securi esse jussi.

Eugenius ipse Carthaginem rediit.

Ceteri e Clero serius redierunt. mare enim transmiserant. Vigilius Thapsensis diutius Constantinopoli versatus libros illic suos pro synodo Chalcedonensi conscripsit.

Sacconius Vzalensis ibidem aberrat.

486. Ariani etiamtum Basilicas Catholicorum in sua potestate habebant.

Guntamundi bellum cum Mauris, qui multas Mauretaniae et Numidiae urbes occuparunt.

Mauri Catholicis quam Vandali, aequiores.

Fulgentius inter monachos sub Fausto Praesidiensi florebat.

487. Redditum Catholicis Coemeterium s. Mart. Agilei com Basilica et Secretario.

Multi exinde, qui ad Arianos defecerant, ad Ecclesiam Catholicam redibant.

Eugenius de ea re Felicem P. M. consuluit, missis Legatis, qui Concilio Romano interfuerunt: in quo de Eccles. Afr. actum est.

488. Litterae Felicis in Afr. perlatae quae modum poenitentiae praescriberent. canones sex eae continebant, qui ad ceteros quoque orbis Episcopos missi sunt.

Victor Vitensis historiam suam in Epiro scribit, quam Diodocho Episc. auctore incohavit.

489. Conventus a Catholicis propter Arianorum invidiam caute ubique habiti.
Pauci ex iis, qui procul Africa exsulabant, in patriam reversi. Tipasenses Confessores Constantinopoli manseie, eorum vices.

490. Vandali Mauros de prov. Bysac. pellunt.
Monasterium Praesidiense pulsis monachis occupatur. quum se ii in agrum Siecensem recepissent, ab Arianis vexantur. alibi etiam Clerus parum tutus, nisi latebras quaererent.
Iulianus Pomerius e Mauretania profugus Rhetorem agebat Arelate.

491. Zenonis Aug. mors, cui successit Anastasius. in Italia, Odoaero Ravennae obsesso, Rex Theodoricus dominabatur. foedus cum eo a Guntamundo ictum.
Asclepii Episcopi scripta adversus Arianos.

492. Felicis P. M. mors, cujus loco factus est Gelasius ortu Afer. hujus officia Catholicis multum profuisse putantur.

493. Rex Theodoricus regia ornamenta ab Anastasio Aug. accepit: annos xxx. securus regnat.
Eugenius Episc. Carth. multis Deo precibus fusis, libellum Regi Guntamundo porrigit, quo suas Catholicis Basilicas, reditum exsulibus petebat.

494. Regis Rescripto Basilicae omnes Catholicis redduntur, postliminium exsulibus datur.
Laetitia Catholicorum: Episcopi Ecclesiis imponuntur. Synodus et Decretum Gelasii.

495. Gelasii de Eugenio praeconium.
Ecclesiae vel Arianis frementibus in integrum restituuntur.
Monasteris monachis receptis florent.

496. Guntamundi mors, cui Trasamundus frater succedit, Arianae sectae studiosissimus.
Catholicos hic praemiis et impunitate allicere conatus, bonos et fortes non permovit.
Gelasii P. M. mors, cui successit Anastasius ejus nominis alter.
Salvianus obit, Afris in scribendo infensus.

497. Ariani a Rege impetrant, ut Catholicos, qui se impudentius gererent, in custodiam ipsi ducere possent.
Exinde Cyrilas Patriarcha eorum Eugenium comprehendi jubet: mox ad Regem procul agentem ducit. in eo itinere Eugenius ad Ecclesiam suam scribit.
Disputatum coram Rege: Ariani clamoribus victoriam mentiti.
Cyrilas coeco fingens se visum reddere, lumen eripit utrumque: dolum coecus ipse palam praedicat.
Deducitur coecus ad Eugenium et socios Episcopos, eorumque precibus sanitatem recipit pristinam.
Rex ira exarsit, nec Arianos, sed Catholicos perdere instituit.

498. Anastasii P. M. mors, cui suffectus Symmachus.
Primi Martyres Episcopi duo Vindemialis et Longinus: at Eugenius in Gallias relegatus. occisus Octavianus Archidiac. Eccl. Carth. ad Arianorum castra transfugit Revocatus Episc.

499. Nunciata Carthagine Eugenii calamitas Ecclesiam summo dolore affecit.
Ariani impudentius in dies se gerebant.
Edictum Regis, ne Catholici amisso Episcopo alium creare possint.

500. Trasamundus uxorem ducit Amalafridam Regis Theodorici sororem.
Nihil crudele in Catholicos susceptum: Eugenius in Aquitania exsul monasterium sibi condebat.
Fulgentius Aegyptum invisere meditatus ab Eulalio Episc. Syracus. deterretur: item a Rufiniano Episc. Romam invisit, redit ad monachos suos.

501. Episcopis jam paucioribus Ecclesia utebatur: at qui superstites desiderium eorum, qui obierant, supplebant.
Eugenius litteris monitisque Carthaginienses suos regebat exsul.
Scripta ab Episcopis vulgata contra Arianos, praefixis patrum magnorum nominibus.

502. Concilium Romae sub Symmacho. quietae in Africa res.
Donatistae, non illi quidem sublati, sed tamen abjecti. quosdam in Gallias penetrasse, Avitus Episc. Vienn. indicat.

503. Synodus Palmaris Romae acta, et schisma sublatum.
Ecclesia Africana apud Mauros felicior, nec apud eos leges Trasamundi valebant.

504. Otii aliquid in Africa fuisse Catholicis videtur: quorum Episcopi se ad scribendum contulerant. Vigilii et Primasii opera.

505. Nuncii tristes e Galliis Carthaginem venere, Eugenium decessisse. dies ejus emortualis. Gregorii Turonensis testimonium: miracula ad ejus sepulcrum.
Fulgentii libri duo editi.

506. Conventus ab Episcopis clam habitus, ut de supplendo Episcoporum numero deliberarent. Decretum, ut Episcopi rursum essent, ubi ante fuissent. in pro-

vincia Byzacena synodus a Victore Primate vocata creditur.

507. Carthagine novi nihil in oculis Arianorum ausi Catholici, sed in provinciis Episcopi passim creati, brevi quidem, sed magna omnium laetitia.
Ariani facile rem suspicati ad Regem deferunt. satellites in prov. Byzacenam missi, qui Victorem Primatem Carthaginem vinctum pertraherent.

508. Victor Primas prov. Byzac. Carthaginem deducebatur. Ruspenses ab eo in itinere petunt, ut sibi Fulgentium Episcopum concedat. annuit ille: Ruspenses illico Fulgentium in patriam repugnantem adducentes Episcopum renunciant: monasterium, in quo vivat, adtribuunt.
Sardinia destinabatur, in quam Episcopi deportarentur, templa claudebantur.
Victor aliique undique Episcopi Carthaginem ducti navibus imponuntur.
Reliquias MM. et ipsum Augustini corpus secum in Sardiniam asportant.

509. Fulgentius apud Ruspenses etiamtum erat, et omnium virtutum laude florens Ecclesiam suam ornabat.
Carthaginem mox trahitur, et in Sardiniam mittitur.
Exsules ex ea insula ad Symmachum P. M. scribunt. ille omnes litteris solatus pecuniam ad eos et vestes mittit. nec minus iis opem affert, qui in Afr. aerumnosam vitam agebant.

510. Fulgentius Carali monasterium condit. Victoria Primatis prov. Byzac. mors. Trasamundus Gesalecum hospitio accepit hostem Regis Theodorici, qui cum eo graviter de ea re questus est.

511. Trasamundus Theodoricum placare nisus est litteris muneribusque. tum qua pollebat facundia Catholicos labefactare conatus, terrores etiam et promissa adhibebat.

512. Catholicorum exsulum auctus numerus. Castrensis Confessor cum sociis undecim in Campania clarus. ibidem sepulcra eorum et templa.
Insulae inferi maris exsulibus plenae, multisque Episcopis.

513. Crebrae ab Episcopis mittebantur epistulae ad Ecclesias, libelli etiam, quibus ad refutandos Arianos uterentur.
Fulgentii scripta, quae in Sardinia exaravit.

514. Symmachi P. M. mors, cujus loco factus est Hormisdas.
Fulgentii scriptis Ariani perculsi: Rex hominem accari voluit, ut cum eo ipse congrederetur.
Fulgentius e Sardinia Carthaginem revocatur.

515. Fulgentii adventus Carthaginiensibus jocundissimus. Rex libellum ad eum mittit, et respondere iis jubet, quae opponebat.
Fulgentius respondet sapienter modesteque: laudatur a Rege. gratia usus, qua valere apud eum caeperat, liberius agere cum Catholicis, et qui defecerant, clam recipere instituit.

516. Ariani indignantur, quod Fulgentii opera Catholici reviviscant. Regem in eum commovere conantur.
Trasamundus novas ad eum quaestiones mittit, quibus statim respondeat.
Rex acceptis Fulgentii responsis victum se silentio confirmavit.
Pinta Episcopus Arianus, qui Fulgentium refellere aggressus fuerat, ab eodem strenue refutatus est. Prodigia in Arianos.

517. Virginum Sanctimonialium prov. Byzac. ad Bonifacium Primatem perlatae in Sardiniam querelae sunt de Presbyteris, qui jus sibi in earum monasterium esse jactabant. Bonifacii rescriptum.
Ariani ab Rege petunt, ut Fulgentium Carthagine pellat. itaque in Sardiniam eum Rex amandavit.
Discedit Fulgentius nocte intempesta. sed venti navem retinuere. populus postridie ad portum convenit: quum magnus omnium esset fletus, eos solatus, brevi se reversurum ait.

518. Anastasius Aug. interiit. Imperium Iustinus Aug. suscepit.
Fulgentius in Sardiniam pervenit, ibique de monasterio extra Caralim aedificando cum Brumatio Episc. egit.
Carthaginienses amisso Fulgentio tristes dolorem lectione librorum ejus lenibant.

519. Litterae Ecclesiae Carth. ad Fulgentium. Fulgentii epistola ad eosdem insignis. Catholici post ejus discessionem acrius ab Arianis connivente Rege vexati.

520. Episcoporum, qui in Sardinia exsulabant, clara ubique fama erat.
Legati Monachorum Scytharum ad eos scribunt de controversiis, ob quas Romam ad Hormisdam missi fuerant.
Episcopi fuse respondent, Fulgentii opera usi.
Possessor Episc. Afr. Constantinopoli cum laude versabatur. rogatus de Fausti Rejensis scriptis, Hormisdam consulendum censuit.

521. Tripolitana provincia a Vandalis Arianis contra Mauros profectis gravia multa

pertolit. templa Catholicorum pro stabulis habita: Clerus alapis caesus ac ministrare militi coactus.
Sed Mauri victores eas injorias olti.

522. Trasamundus Maurorum victoria perculsus abjecit animum. qoum iostare sibi mortem sentiret, Hildericum jurare cogit, se Regem Catholicis oec Basilicas nec vetera privilegia redditorum.
Episcopi io Sardinia, acceptis a Monachis Scythis Fausti Rejensis libris, epistolam synodicam ad eos mittunt: duo Fulgentius addit opuscula, quae epistolam explanarent.

523. Trasamundi mors, ex qua Catholici vivere tandem sibi visi sunt.
Amalafrida Regis uxor fugit ad barbaros.
Hildericus aote quam regnum auspicetor, Catholicos omoes ab exsilio revocat, reddit iis Basilicas, Bonifacium Episcopum Carthagiuiensibus dat.
Bonifacii cousecratio in Basil. s. Agilei.
Reditus Episcoporum a Sardioia, quos inter eminebat Fulgeotios.
Hilderici mira apud exteras nationes praeconia: Hormisdae P. M. laetitia. ejusdem altero post mense mors, cui Ioannes soccessit.

524. Episcopi, ubi deesseot, Regis consensu creantur. Fulgentius operam scribeodo navat.
Concilium Byzacenum a Liberato Iuncensi Primate indicitur: iu quo graves fuere de sobsellii hooore controversiae. item de Petri Abbatis et Monachorum jure.
Concilium alterum actum Sufibus: utriqoe Fulgeotius interfuit.
Indictum a Booifacio Coocilium magnum Carthaginem in annum proximum.

525. Legati Carthaginem e provinciis conveniunt. Numidas ipse Bonifacius ob nonnullorum conteotiooes designat: Primatem de die proximi Paschatis certiorem facit.
Concilium incohatur nonis Febr. ab Episcopis sexaginta.
Primo die veteres leges recognitae, jura Ecclesiae Africanae firmata.
Postero die auditae querelae Monachorum, quibus Patres miro consensu faverunt.
Cootroversiae dioeceseon diremptae.

526. Ioaonis P. M. mors, io cojus locum creatus est Felix tertius, qoi et quartus.
Theodorico successit Athalaricus.
Bonifacius kalendarium Eccl. Carth. ordinat, in quo et externi quidam Martyres cientur.
Ecclesiae reliquae soum habebant kalendarium.

527. Iustinianus Hilderici amicus a Iustino Aogustus appellatur.
Athalarici ad Hildericum querelae de Amalafriae morte.
Fulgeotii labores et scripta. Maximiensibus Episcopum reddit.

528. Basilicae passim a Catholicis restitutae. Furnis novum templum a Bonifacio Episc. Carth. rite dedicatom, multis Episcopis praesentibus, et Fulgeotio orationem habeote.

529. Florente multis virtutibus Ecclesia, studia quoque disciplioarum revixere, quae Fulgentius urgebat.
Ferrandus Diacoous, Facundus Hermianensis, Primasius Adrumetinus, Eogipius Abbas, Liberatus Archidiac. Victor Tonnonensis clari fueruot.
Coocilium Vasense ritum Afrorum commendat ac recipit.

530. Felix P. M. decessit, cui suffectus est Bonifacius ejus nominis secundus.
Vandali Ariaoi Hilderico infesti rebus novis student, Gilimerem pro eo regnare cupiunt.
Rex Hildericus Iustioianum Aog. de periculo suo admonet.
Mox Gilimer regnum occupat, et Hildericum io custodiam duci jubet.
Legati a Iustioiaoo venere ad Gilimerem: qui eos re infecta redire coëgit, Hildericum arctiore custodia sepsit.
Ferraodi Diaconi controversia Fulgeotio proposita de Aethiope Catechumeno.

531. Catholici maguo in metu iojuriam oullam perpessi. synodus acta.
Iostioiaous legationis suae exitu cognito, quod bello Persico detineretur, iram dissimulavit, litteras rursum ad Gilimerem mittit. dura Regis respoosa Iustiniaoum de bello infereodo cogitare cogunt.

532. Gilimeris avaritia divites multi periere. Catbolicis pax fuit.
Fulgeotius io insulam Circinam se recepit, vicioae mortis conscius.
Carthaginienses Vaodalici Imperii finem adesse, visis etiam freti, jactabant.
Iustioianus io somnis a Laeto Martyre admonitus Belisarium ab exercitu revocat, quem classi praeficiat.
Bonifacii P. M. mors, cui sufficitur Ioannes cognomento Mercurius.
Anatolius Diac. Eccl. Rom. Ferrandum Diac. Eccl. Carth. consulit.

533. Fulgentius ipsis kal. Ian. moritur. paullo post Mauri in agrum Ruspensem

irruperunt. Felicianus mense Decembri sutlectus.

Ferrandus a Fulgentio primus doctrinae fama fuit.

Iustiniano bellum instruente, nuncii Constantinopolim perlati, provinciam Tripolitanam a Vandalis defecisse. qui Sardiniae praeerat Gilimeris crudelitatem aversatus insolam Iustiniano sponte obtulit.

Belisarius classe ad Siciliam accedit. inde exercitum in Africam trajicit. paucis diebus fusi exercitus duo Gilimer in Numidiam concedere coactus: Carthago capta. Mauri legatos ad Belisarium mittunt, principatus sui ab eo insignia petentes.

Iustiniani laetitia et gratus erga Deum animus. Praefectum Praetorio Africae creat, provincias designat.

Vandali in Afr. rursum a Belisario victi, Gilimer evasit.

Pharas Erulus Dux Gilimerem obsidere jussus: Belisarius gaza omni Regis potitus Carthaginem rediit.

534. Factio Ariana plane jacebat. Catholici Arianorum etiam templa receperant.

Belisarii in publicis rebus ordinandis mira celeritas.

Gilimer in fidem receptus Constantinopolim ab ipso Belisario ducitur, Salomone relicto, qui rem publicam administraret.

Submissae ab Augusto copiae, quae fines tuerentur: limites his descripti, et stipendia adtributa.

Archelaus primus Praefectus Praet. Afr. designatus. Salomoni Magistro militum cum Mauris pugnandum fuit, quos prope Mammam ingenti pugna disjecit.

Triumphus Belisarii in regia urbe. Gilimeri praedia in Galatia data: Patricius quoque factus fuisset, si haeresim Arianam repudiasset.

535. Belisarius Consul factus. Iustiniani jussu missa Hierosolyma, quae Titus olim Romam tulerat, vasa aurea, et Gensericus Roma in Afr. avexerat.

Bonifacii Episc. Carth. mors, cujus loco factus est Reparatus in Concilio Carth. in quo actum de admissione eorum, qui ad Arianos defecerant, sancitumque, ut judicium Pontificis maximi exquireretur. Legati Romam ea de re missi.

Controversia etiam dirempta de jure monasteriorum.

Apocrisiarius destinatus, qui Constantinopoli apud Augustum Ecclesiae negotium gereret.

Ioannis P. M. mors, cui successit Agapetus. Agapeti epistola ad Reparatum et ceteros Episcopos. alia ejusdem ad Reparatum privata.

Salomon Archelai loco Praefectus Praet. factus. lex Iustiniani, quae Afris sua recuperandi jus dabat: alia item, quae Ecclesiae auctoritatem ac dignitatem reddebat.

Ariani insidias Salomoni instruunt.

Mauri rursum ab eo victi, et in Numidiam rejecti. Carthago munita.

536. Agapeti P. M. mors, cui successit Silverius.

Salomon in ultimum vitae discrimen adducitur: divinitus ab insidiis servatus in Siciliam navigat: Belisarium in Afr. adducit, qui fama ipsa adventus sui copias hostium dissipavit, et una pugna aggressus disjecit. quum in Siciliam rediisset, et Salomon praefectura defunctus ad regiam urbem remeasset, Duces rem publicam administrarunt, et ab Augusto numeri suppleti.

537. Silverius P. M. a Belisario captus: Vigilius favore ejus Pontificatum sibi vindicat. Praefectura Afr. ornatur Germanus, qui exercitum auget, et milites, qui ad Stozam Ducem Maurorum transfugerant, ad se invitat: ipsum Ducem proelio fundit, et pacem atque otium reducit.

538. Carthagine conjuratum a Maximino in Germanum. auctorem sceleris poena subsequuta est.

Africanae Ecclesiae pax summa, dum Oriens Origenistarum factione turbabatur.

539. Salomon rursus in Afr. Praefectus mittitur, cujus adventus omnibus jocundus fuit.

Mauros in ultima Numidia debellat, Mauretaniam Sitifensem recipit.

540. Silverius jam in exsilio obierat: huic Vigilius consensu Ecclesiae Romanae successit.

Salomonis opera publica. Adrumetum Iustinianopolis appellata: urbs nova ad Caputvada condita, ex ipsius Augusti diagrammate.

541. Carthago, quae jam Iustiniana appellabatur, a Salomone Imperii viribus exornata.

Templum etiam et Monasterium magno sumptu aedificatum, quod a monachis Sabaitis habitatum creditur.

Datianus synodum in prov. Byzac. habet, unde Legati duo ad Augustum missi.

542. Aedes sanctae Genitrici Dei Carthagine

in Palatio exstruitur, item Basilica Caeliti indigenae Primae.
Baga in prov. Procons. restituta et Theodorias dicta. castrum Septa contra Gades munitum.
Rescriptum Aug. Datiano Primati prov. Byzac. quo privilegia Ecclesiarum confirmat.

543. Sergius Tripolitanae provinciae praeses, cui Salomon patruus erat, Mauros in se concitavit: Antalas Maurorum regulus Carthaginem aggredi ausus.
Salomon in conflictu captus occisusque, puer fratris ejus filius, Salomon dictus, quum se Vandali filium simulasset, et Salomonis servum, exiguo pretio redemptus est.
Praefectura Africae Sergio data, quod Afris gravissimum fuit.

544. Edictum Constantinopoli adversus Tria Capitula promulgatur. magna in Afr. Episcoporum conspiratio, Ferrando in primis auctore, ne Augusto mos gereretur. legantur Romam et in Siciliam qui Vigilium proficiscentem Constantinopolim obsecrarent, ne se in fraudem deduci pateretur.
Provincia Byzacena a Mauris direpta, Adrumetum dolo captum, mox receptum.
Areobindus ab Aug. Magister militum in Afr. mittitur, ut pari auctoritate cum Sergio bellum administraret. nulla horum concordia: Stoza tamen Dux Maurorum in proelio interfectus.

545. Vigilius in Sicilia mansit, Concilium illic, si fas esset, habiturus.
Areobindo Praefecto Praet. Gontharis Dux Numerorum Numidiae tyrannidem affectat Carthagine.
Areobindus contra interpositam fidem, quum et Reparatus pro eo supplicasset, occiditur.
Artabanes Gontharim in convivio necat, et tranquillitatem urbi reddit.

546. Vigilius in urbem regiam pervenit. ibidem Facundus Hermianensis jam versabatur et scribebat.
Concilium coram Vigilio incohatum dissolvitur propter quotidianas altercationes: quid quisque sentiat, scriptum afferre jubetur. Facundus rem urget.
Artabanes Carthagine Magisterium militum delibat Augusti jussu, mox reditum postulat.
Ioannes Pappi frater ei sufficitur.

547. Vigilius Graecorum Patrum mentem edoctus, in Augusti sententiam inclinare visus est. Facundus offensus ad Episcopos Afr. scripsit contra Vigilium.
Ioannes de Antala et Mauris Byzacenis victoriam retulit: secundo proelio inferior, exercitum rursus supplevit, et barbaros demum debellavit.

548. Vigilius *Iudicatum* suum ad Menam misit. Facundi et ceterorum Episcoporum indignatio.
Mauri limitis Tripolitani Christiani fiunt, qui deinde *Pacati* dicti sunt. eos sequuti Gadebitani.
Leptis magna contracto ambitu munita, sacrisque aedibus et operibus publicis nobilitata.

549. Episcopi per Illyricum Vigilii *Iudicatum* respuunt. Romae etiam dissidium oritur.
In Africa Facundi litterae, et Illyricorum Episcoporum exemplum viam ad schisma muniebant.

550. Vigilius ab Augusto postulabat, ut Concilium in Italia haberi pateretur.
At in Afr. Reparatus synodum contra eum vocabat. in ea Episcopi plus ausi, quam eorum esset auctoritas, et quae sanxissent, ad Augustum perscripsere.

551. Vigilius, quum *Iudicato* suo contentum Augustum non esse intelligeret, atque a se plus peti, quam par esset; Episcopos ex omnibus provinciis advocandos respondit. Iustinianus quum assensus esset, ex Illyricis nemo vocanti obtemperavit. ex Africa plures profecti. mox Vigilius *Iudicatum* suum abrogat, ut ea controversia de integro tractari posset.
Edicta Iustiniani nova, quae Latinos Episcopos offendunt omnes: Vigilium aliosque alio secedere cogunt. vis Pontifici maximo infertur: Chalcedonem confugit, quo et Africani Episcopi se receperant.
Cleri Italici epistola ad Regis Theobaldi Legatos, qui Constantinopolim petebant.
Reparatus Episc. Carth. quum in regia urbe Principis voluntati palam adversatus esset, in exsilium mittitur: Primasius loco ejus Episcopus renunciatur Carthagine.

552. Reparatus exsulat Theodoropoli. Firmus Primas Numidiae commeatum impetrat. alii a Vigilio non discedunt.
Iustiniani et Menae opera Vigilius delinitus, litteras scribit encyclicas ad Ecclesiam.
Verecundus Episc. Iuncens. Chalcedone moritur.

553. Primasius Episc. Carth. de Episcoporum sententia Sextilianum Tunejensem Constantinopolim ad Concilium mittit: hunc alii sequuntur ex variis provinciis.

Vigilius in regiam urbem redierat, Concilium vocaturus, si Graeci et Latini pari numero convenisseut. in eandem sententiam Latini venerunt.
Episcopi Graeci Concilium soli incohant: adfuit subinde Sextilianus Primasii et Concilii Proconsularis legatione fungens.
At Vigilius interea *Constitutum* scribebat, in quo res damnabat, auctoribus parcens.
Concilio absoluto, quum Vigilius quae acta essent, confirmare noluisset, in exsilium mittitur: pari poena multati qui cum eo consenserant.

554. Vigilius Actis Concilii perlectis, inconstantiae notam prudentiae laude delet. exinde multa ab Augusto impetrat, quae Romani expetebant.
Facundus Hermianensis exsulat, et in Vigilium Conciliumque multa scribit.
Primasius Episc. Carth. vocata synodo Episcopos de tota controversia edocet. assensere Patres fere omnes: decreta quadriennio ante novis confixa sententiis. Vigilius in reditu Syracusis mortuus est, quum jam honoris sui cupiditatem diuturna poena expiasset.

555. Pelagius P. M. creatur, qui socius Vigilii fuerat. Concilium Carth. a Primasio habitum, ut Episcopos Numidiae pro Tribus Capitulis pugnantes in rectam sententiam deduceret. in provincia Byzacena id ipsum praestitit Primasius Adrumetinus, qui Boethio mortuo Primatum obtinuit.
Duo Episcopi in exsilium acti.

556. Qui veterem controversiam renovarent, Augusti jussu poenam tulerunt.
Ceteri studia impensius colebant. insignes id temporis Primasius, Iunillus, Victor Mataritanus aliique. quidam et Graecis litteris operam dabant.

557. Felix Hegumenus monasterii Cilitani in exsilio mortuus.
Monasteria alia per Africam.

558. Primasius Adrumetinus pontificatu se abdicat: paullo post moritur.
Victoris Tonnon. maledicta in eum.

559. Nuncii in Afr. perlati, Episcopos Illyricos mutasse sententiam: id valuit plurimum ad concordiam Afrorum fovendam.
Sergius, qui in Afr. Magister militum fuerat, captus a barbaris discerpitur.

560. Pelagii P. M. mors, cui suffectus Ioannes III. Reparatus antea Episc. Carth. tenax propositi in exsilio vivebat, quo cum versatus creditur Liberatus Diac. ac tum Breviarium suum scripsisse: in cujus fine Iustinianum perstringit.

561. Seditio in urbe regia. in Africa pax. Cassiodorii judicium de studiis Afrorum. Petri Abbatis opera et monasterium in prov. Tripolit.

562. Dedicatio templi Sophiani in regia urbe. Corippus Grammaticus ortu Afer, ac poeta Latinus, Constantinopoli versabatur, qui sub Iustino inclaruit.

563. Conjuratio in Iustinianum: de cujus crimine Belisarius falso accusatus.
Reparati exsulis mors.
Ioannes Rogathinus Praefectus Afr. post paucos menses se abdicare jubetur, eique Marcianus successor datur.

564. Episcopi quatuor, quod Trium Capitulorum controversiam refricarent, Constantinopolim vocati, et in monasteria conjecti.

565. Belisarii, deinde Iustiniani Aug. mors. hujus in senectute haeresis.
Theodorus Cabarsussitanus eodem, quo Princeps, die decedit. Iustinus dictus Aug.

566. Thomas Praefectus Afr. Procurator ejus Anicius Faustus Paullinus.
Edictum Iustini Aug. quo quaestiones omnes tollebat. at interpretatio varia fuit.
Primasii Episc. Carth. mors, cui successit Publianus. Episcoporum exsulum reditus.

567. Theodorus Praef. Afr. hujus cura, ne Afri sobolem adscriptitiam amitterent.
Nunctus Abbas ex Africa in Lusitaniam cum aliquot monachis transit.

568. Iustini Aug. lex ad Theodorum Praef. de libertate colonorum.
Theodori Praef. in pugna adversus Mauros interitus.
Ecclesia Mauros recepit Christianos factos: qui tamen saepe ad ingenium redibant.
Praefectura Theoctisto data.
Spesindeum Primas prov. Byzac. legatum ad Aug. mittit, et quae petebat impetrat.

569. Theoctistus in proelio adversus Mauros occumbit: pro quo ab Augusto missus est Amabilis.
Mauri saepe multis graves, monasteriis in primis permolesti erant.
Donatus Abbas cum haud exigua monachorum manu in Hispania migrat.

570. Mauri rursum belli caussa fuere Amabilis, quum eos armis persequeretur, tertius ducum in proelio occisus est.
Exinde Maurorum crevit audacia.
Anastasius Quaestor Afris favet.

571. Corippus, qui jam Fl. Cresconius dicebatur, ex urbe regia in Africam reversus fit Episcopus, et *Breviarium* suum atque *concordiam Canonum* scribit.

572. Iustinus corporis animique valetudine tentari coepit.

Mauri mitiores facti: Concilia tamen sub Publiano nulla fuisse videntur.
573. Ioannis III. P. M. mors.
Italiae res haud meliore quam Africae loco erant.
574. Tiberius Constantinus Caesar dictus.
Benedictus P. M. renunciatur.
Mauri non jam raptu vivebant, sed regnum sibi constituerant sub Rege Gasmule, qui et leges dixerat.
575. Iustini Aug. victoria de Persis.
Mauri expeditionem in Gallias suscipiunt.
Ecclesia Afr. pace usa.
576. Armenia a Persis occupata, quum Imperii exhaustae vires essent, auxiliares frustra copias Africa implorabat.
577. Bellum etiamtum ab Aug. cum Persis gerebatur. Mauri tamen quievisse videntur. Episcoporum labores ignoti.
578. Iustini Aug. mors: Imperium suscepit Tiberius Constantinus.
Benedictus P. M. moritur: Pelagius II. succedit.
Gregorii adolescentis, qui postea Pontifex Agrigentinorum fuit, adventus in Afr.
Mauri rursum arma sumpsere. Afri Tiberium mature obsecrant, ut Gennadium Magistrum militum ad se mitteret.
579. Gennadii adventus in Afr. omnium animos erexit. exercitus ab eo eductus in hostem. nec Regem ipse vitavit, sed ultro insequutus manu sua interfecit.
Exinde Mauri disjecti: Carthago revixit.
580. Gennadius belli Persici caussa revocatur. Theodoro Praefectura datur, quam quietam gessit.
Afri per Publianum Episc. Carth. a Tiberio petunt, ut Iustini legem agrorum possessoribus perutilem confirmaret.
581. Numidae in Tiberii exercitu contra Persas militabant.
Tiberius secundum Publiani petitionem Iustini legem confirmat.
582. Tiberius Mauricium generum legit, et Augustum appellat, quem litteratorum virorum fautorem esse constabat. id Afris gratum fore par erat.
583. Mauri post Gennadii victoriam nihil molestiae attulerunt. ea pax Ecclesiae utilis: monasteria etiam florebant, unde aliquando arcessiti quidam, qui alibi monachis praeessent.
584. Publiani Episc. Carth. mors, in cujus locum suffectus est Dominicus.
585. Regina Ingundis s. Martyris Hermenegildi uxor in Africam a viro missa: quae post ejus martyrium ibidem obiisse creditur.
586. Persae a Philippico victi. Pelagius P. M. Istriae Episcopos ob Trium Capitulorum controversiam jamdiu dissidentes pacare litteris conatus est.
587. Rex Reccaredus in Hispania Catholicus factus est.
Clarus litterarum gloria apud Afros Stephanus Presb. cui e Gallia argumenta ad scribendum oblata.
588. Persae rursum devicti. in Africa quies fuit. Synodos ibidem coactas, quae id temporis alibi frequentes agebantur, non est ambigendum.
589. Concilium Toletanum tertium celebratum, in quo Ariana haeresis damnata, et quatuor magna Concilia recepta. synodus in Numidia coacta adversus Donatistas Arianosve.
590. Pelagii P. M. mors, cui suffectus est Gregorius. hujus ad Dominicum Episc. Carth. epistola synodica.
Gennadius a Mauricio Praefectus Praet. Afris renunciatur.
Mauricius Aug. Carthaginem adit.
591. Gregorius de haereticis edoctus, qui Ecclesiam Africanam turbabant, gravissimam de ea re epistolam ad Gennadium misit. petiit etiam, ut Numidas Episcopos hortaretur, ne Primatem habere vellent, quem aetas obferret.
Hilarus Rector patrimonii Germaniciani a Gregorio in Afr. mittitur.
Episcopi Numidae Gregorium rogant, ut Primatem a se veteri more legi patiatur. Argentius Episc. Lamigensis apud Gregorium accusatur.
Gregorius Droculfum Langobardum Gennadio commendat.
592. Gregorii litterae ad Dominicum Episc. Carth. de gratulatione ejus et de Legatis. Maximiani Episc. Pudentianensis nomen ad Gregorium delatum. Synodus indicta. Afri Haeretici peregre Ecclesiae molesti.
593. Litterae Gregorii ad Columbum Episc. item ad Adeodatum Primatem.
Concilium in Numidia habitum. Gennadius a Gregorio excitatur, ut res Ecclesiae juvat. Pantaleon, qui Numidiae praeerat, operam navat, dum Gennadius barbaros debellat.
594. Adeodatus Presb. ex prov. Byzac. ad Gregorium confugit contra Quintianum Episc. acturus caussam suam. eam Gregorius ad Crementium Primatem defert. Concilium in Numidia idem cogi jubet adversus Donatistas.
Bonifacius quidam haereticus Romam a Gregorio invitatur cum sociis, quo facilius colloquendo errorem possit suum agnoscere.

Concilium Carth. et Dominici Episc. legatio ad Gregorium.

595. Litterae Gregorii ad Dominicum, cui et de munusculis gratias agit.
Columbi Episc. Numidae legatio ad Gregorium: et hujus ad eum litterae, quibus Petri Episcopi Afr. caussam defert.

596. Paullus Episc. Afr. Gregorium adit, apud quem accusatus fuerat.
Dominici Episc. cum Gregorio familiaritas. hic Episcopos Afr. qui Romae erant, ad Mauricium Aug. mittit, ut valere leges juberet, quae contra Donatistas latae fuerant.

597. Columbi litterae ad Gregorium de Paulli Episc. caussa: et hujus responsum.
Ejusdem litterae ad Gennadium pro Corsis. Cumquodeus Abbas contra monachos suos Gregorii opem postulaturus Romam petit. hunc Gregorius commendat Dominico.

598. Gregorii litterae ad Episcopos Afr. pro Episcopis, qui injuria vexati dicebantur.
Dominici erga Petri cathedram reverentia.

599. Lues Africam quoque peragravit: ob quam Episcoporum erga miseros cura enituit.
Crementius Primas prov. Byzac. judicium Gregorii declinat, cui Augustus detulerat.

600. Post Gennadium Praefectus Afr. renunciatur Innocentius Gregorii P. M. amicus. hic et classem ab Augusto instruere jussus adversus Langobardos.
Gregorii litterae ad Innocentium.
Innocentii Praef. et Dominici Episc. litterae ad Gregorium pro Sardis, item hujus responsum.
Lues rursum per Africam serpit.

601. Gregorii litterae ad Innocentium pro Sardis. Dominicus Episc. gravi morbo laborat. Donadei Diac. caussa ad Columbum delata, ut coram Primate Numidiae examinaretur.

602. Mauricii Aug. caedes. Phocas Imperium arripit. Gregorii litterae ad Episc. Afr. in caussa Paullini Episc. Tigisitani.
Aliae ejusdem epistolae ad Episc. prov. Byz. in caussa Crementii Primatis.

603. Heraclius post Innocentium Praef. Afr. cum Gregora fratre Legato.
Ambo indignantur, quod Phocas Imperium administret, et res publica periclitetur.

604. Gregorii P. M. mors, cui suffectus Sabinianus.
Dominicus quoque Episc. Carth. decedit.

605. Ignotus qui Dominico suffectus fuerit: quo tempore binos Aquileja Patriarchas habere coepit.
Constantina Mauricii uxor et filiae ejus a Phoca sublatae.

606. Sabiniani P. M. mors, cui Bonifacius III. suffectus.
Ostentum apparitoris Praetoriani. Thalassius Abbas.

607. Presb. Anastasius, qui pontificatum Briziensem postea gessit, Africam lustrat.
Bonifacius P. M. moritur.

608. Persae Syriam vastant.
Bonifacius IIII. P. M. creatur, is, qui postea Pantheon dedicavit.

609. Senatus Constantinopolitanus Legatos in Afr. ad Heraclium mittit, et ad Imperium capessendum hortatur.
Phocae negligentia, Heraclii filio adventante.

610. Sergius Constantinopoli fit Patriarcha. Heraclius urbe regia potitur: Phocas interficitur: Eudocia puella Afra Aug. uxor, quam Sergius cum viro coronat.

611. Carthaginiensium et totius Africae laetitia. Principum imaginibus eo perlatis, quum pater Augusti Praefectus esset.

612. Eudociae Aug. mors a partu.
Heraclius pater filium Augustum visit. Ecclesiae res per Afr. tranquillae.

613. Eudociae filius Imperator a Senatu appellatur. in Afr. pro Praefecto Gregoras rem publicam administrabat.

614. Hierosolyma a Persis capta, et Crux veneranda in Persidem ablata. urbs direpta.

615. Bonifacii P. M. mors, in cujus locum suffectus Deusdedit. Persae Chalcedonem usque pervenerunt. Heraclius metu abjectus Africam cogitavit: quae pacata erat.

616. Sergius Patriarcha nequitiam manifestat suam, Augustumque ad haeresim Monotheletarum declinantem fallit. cum Georgio Arsa haeretico societatem init.

617. Fames ac lues in regia urbe: pacis a Persis nulla spes. Heraclius magnam opum vim in Africam mittit: cujus pars mari obruitur. quum et ipse abire vellet, a Sergio retinetur.

618. Deusdedit P. M. mortuus est. urbs terrae motu et lue funesta.

619. Ancyra Galatiae a Persis capta. Bonifacius V. pontificatum suscepit.
Afri a barbaris tuti. ceterum obscura historia, quod deinde Saraceni omnes Afrorum libros consulto cremaverint.

620. Persae bellum urgebant. Heraclius aeris egebat, neque numeros milite supplere poterat.

621. Averes ingruentes repressi: bellum ab Heraclio in Perses susceptum templorum opibus.
Copiae ex Africa submissae: nudata praesidio Africa urbes aliquot ed fretum Gaditanum amisit.
622. Heraclius Persas saepius vicit: victus ipse ac deceptus a Monotheletis, quos in Armenia reperit.
Mahometes ex Arabia profugit, unde Hegira exordium ducit.
623. Tres de Persis relatae victoriae.
Sclavi Avarum jugum detrectant; et Samouem Francum faustis auspiciis sibi Regem constituunt.
624. Persae ultra Euphratem acti: et Averes violato foedere student Persis.
625. Bonifacii P. M. mors, cui successit Honorius, Exharco Ravennatium designationem comprobante.
Turcae ab Heraclio in subsidium belli Persici advocantur.
626. Persae et Avares regiam urbem cingunt.
Cyrus Episc. Phasidis a Sergio in haeresim suam pertrahitur.
627. Persico bello finis impositus.
Mahometes bello sibi viam ad regnum muniebat, sectam amplificabat.
628. Heraclii triumphos de Persis. epud Afros par cum regia urbe laetitia.
629. Crue veneranda Hierosolymis reddita.
Festus dies institutus, ut tantae victoriae memoria retineretur.
630. Fortunius Episcopus Carth. creatur.
Heraclius Constans Heraclio Constantino Augusti filio natus; qui diu postea in Ecclesiae perniciem Imperium obtinuit.
631. Africae post Heraclium Augusti patrem Gregoras praefuisse creditur: cujus filius Nicetas apud Augustum florebat.
632. Mahometes secta per decennium aucte decessit. Persarum Imperium ruebat.
633. Synodus Alexandriae habita secundum Monotheletas. Sophronius restitit.
Saraceni Palaestinam vastant.
Concilii Toletani canon de corona capitis, qua Afri passim Episcopi utebantur.
634. Omarus Rex Saracenorum Syriam subigit, Heracliumque terret.
Sergius ad Honorium de Cyri synodo dolose scribit.
Honorius doli nescius errori favisse visus est, quum Catholicus apprime esset.
635. Sareceni Damascum Phoeniciamque subiguut. caeso Heraclii exercitu, Aegypto imminent.
Petro Praetori Numidiae imperatum, ut in Aegyptum contenderet.
636. Hierosolyma obsesse ab Omero. pleraeque nationes a barbaris vexatae: ut ceteris feliciores Afri viderentur, quorum Ecclesie heereticorum etiam turbis carebet.
637. Omarum Hierosolymis per deditionem potitur. Sophronius moritur.
Saraceni Persidem in suam potestatem redigunt.
638. Antiochia a Sarecenis cepta.
Honorii P. M. mors.
Sergius Ecthesin scribit: curat, ut eam Heraclius promulget, nec patiatur Pontificem maximum renunciari, nisi ante Ecthesin amplectatur.
639. Saraceni Mempbi capta Alexaodriam obsident. Sergio mortuo Pyrrhus succedit ex eadem faece, qui Ecthesin probat.
Maximus Abbas in Africam, quo Ecthesis missa fuerat, divino consilio navigat.
Maximi diligentia Episcopi edocti quid esset Ecthesis, eam omnes aversantur, et synodum poscunt, in qua damnent.
Severinus fit P. M. et Exarchi jussa contemnit. legatio populi Romani ad Heraclium.
640. Mesopotamia e Saracenis subacta.
Severinus Ecthesin damnet in synodo.
Concilia in Afr. celebrantur contra Ecthesin, et litterae ad Severinum missae, quibus peracta de ea judicia nunciarent.
Maximus Christiani Peschetis enarrationem edit.
641. Heraclius obit, sublati filii ejus et uxor. Constans solus Imperium sibi vindicat.
Severino P. M. mortuo Ioannes succedit pari virtute, qui Ecthesin et ipse damnavit. vulgatum est, Ecthesin Sergii opus esse.
Pyrrhus admonitus a Ioanne: idem mox eufugit: suffectus ei Paullus ejusdem sceleris socius, et Constanti Aug. acceptus.
Ioannes P. M. moritur: succedit Theodorus.
Alexandria a Sarecenis capta.
642. Pyrrhus in Africam navigat.
Paullus ad Theodorum scribit magno verborum delectu, ut falleret. ejus litterae vix displicuere. ceterum in regia urbe haeresim aperte tuebatur, animis multorum ob Imperii calamitates suspensis.
643. Theodori eccuratae litterae ad Paullum. Pyrrhum ab Ecclesia rejici jubet: mandat Apocrisiariis, ut Paullum scripto testari cogant, quid animo sentiat.
644. Pyrrhus in Africa exsul Fortunium Episc. Carth. et alios quosdam in sectam suam addnxisse putatur.
Maximus Pyrrhum ab errore revocare

conatur. auctor Episcopis est; ut eum ad disputandum pertrahant, idque ex Gregorii Praefecti consensu.
645. Omaro Califae Saracenorum succedit Osmanus.
Episcopi undique Carthaginem conveniunt, ut Pyrrhum cum Maximo disputantem audiant.
Victum se Pyrrhus fatetur: Romam cum Maximo petit, et coram Theodoro haeresim damnat: jussus a Theodoro sedere inter Episcopos, ejus etiam sumptibus Romae alitur.
646. Synodi in provinciis actae praeterquam Carthagine, unde Fortunius profugerat Constantinopolim, et cum Paullo versatus, sacrum etiam coram eo fecerat. Episcopi Paullum de synodorum suarum decretis certiorem faciunt: quum ad Augustum quoque litteras exarassent, eas ad Theodorum miserunt, quod turbata legatio esset Gregorii defectione. Victor fit Episc. Carth. qui ad Theodorum scribit. hic Paullum novis litteris coarguit.
Post Gregorii tyrannidem Saraceni Cyrenaicam ingressi, unde gradus in Africam nostram.
647. Tripolitani fines et Byzaceni a Saracenis peragrati: Gregorius disjectus captusque est. mox barbari recessere.
Pyrrhus Ravennam ad Graecos suos profectus ad veterem sententiam deduci se passus est.
648. Theodorus P. M. Pyrrhum, ot rescivit unde excidisset, Concilio vocato damnavit.
Constantinopoli Paullus Typum promulgat.
649. Theodori P. M. mors, quem excepit Martinus. hic Typum in magna synodo Lateranensi condemnat, cui interfuit ex Afr. Victorianus Vzalensis. pro reliquis epistolae eorum lectae probataeque.
650. Saraceni Siciliam diripiunt: exercitum Romanum caedunt.
Victorianus Concilii Lateranensis Acta in Afr. refert.
651. Victor Epise. Carth. moritur.
Martini P. M. litterae ad Episcopos Afr. officii plenae.
652. Saraceni provincias Romanas impune vastant. Afri damnatis Monotheletis immunem sceleris religionem servant, nec Constantis Aug. vim metuunt.
653. Martinus P. M. a Calliopa Exarcho captus navi imponitur, et Naxum vehitur. Maximus Abbas item capitur, et in urbem regiam mittitur.
654. Martino P. M. absente Ecclesiam regunt Archidiaconus, Archipresb. et Primicerius. ille Naxo Constantinopolim deportatus in carcerem conjicitur. Constantis Aug. in eum crudelitas.
Paullus interea moritur.
Romae, ne haereticus Ecclesiae imponeretur, Eugenius vir sanctus pro Martino P. M. creatur.
655. Martinus post multas aerumnas Chersonam in exsilium mittitur.
Pyrrhus Paullo suffectus moritur.
Saraceni post Osmanum Regem sibi constituunt Maviam, qui perniciem Africae adlaturus erat.
656. Maximus Abbas Bizyam relegatur.
Afri epistolam ex Oriente accipiunt, in qua Catholicus vir omnia complexus erat, quae Martinus ab haereticis tolerasset.
657. Eugenius P. M. moritur, cui suffectus est Vitalianus. Maximus Abbas revocatus in regiam urbem dire excruciatur: dein in Colchidem deportatur.
658. Mavias ultro pacem cum Romanis fecit, ut Alim in Perside regnantem coërceret. Afri Saracenis paruisse videntur.
659. Saraceni in duas sectas abeunt. Alis interemptus: Mavias solus regnare coepit, ac regiam sibi Damasci constituit, Omari partes tutatus.
660. Afri minus sibi timebant, quod Mavias tam longe ageret. at precibus tamen Deum placare nitebantur.
De Hildefonsi libro contra haereticos et de Afrorum pietate erga Mariam virginem.
661. Labores Episcoporum Afr. ignoti: monumenta ipsa veteris religionis Afr. ne in museis quidem nostris reperias.
662. Maximi Abbatis mors in Colchide: quem tolerata supplicia magnis Martyribus aequaverunt.
663. Constans Aug. multis invisus in Italiam venit.
Romae Catholicorum more se gessit. inde in Siciliam profectus Syracusas adamavit.
664. Constans Aug. quum Syracusis classem haberet, eam praedatum vel in Africam saepe misit.
665. Pestis per Italiam aliasque provincias pervagatur.
Saraceni foedere violato fines Romanos ipsamque Siciliam in oculis Aug. compilant.
666. Mavias ipse Africam aggreditur, Cairoanum aedificat, quo praedam comportet: praesidium imponit, arcem Sara-

cenorum facit. Afri repugnantes numero eorum opprimuntur.
Constantinopoli Catholicus tandem Patriarcha Thomas renunciatur.

667. Saborius Dux Armenorum rebellat, quem Constantinus Aug. filius repressit, Arabum quoque manu deleta, quam ille sibi conciliarat. multi ex Africa dilapsi.

668. Constantis Aug. mors, quem Syracusis conjurati in balneo ex insidiis occiderunt.
Constantinus, qui Pogonatus dictus est, vir Catholicus Imperium suscepit, patris caedem ultus est.
Hadrianus Abbas Archiep. a Vitaliano designatus.

669. Siciliam Saraceni omnem occupant, inde Africam adoriuntur: plurimos in servitutem abducunt: Episcopos in primis et Clarum.
Quicumque elapsi sunt, in aliis oris consenuere.
Potentinus Episcopus Vticensis in Hispania vixit.
Pauci ex Episcopis, qui pedem ex Afr. non extulissent, diu latere potuerunt.
De indigenis multos Creta insula profugos excepisse dicitur.

670. Saracenorum classes quaquaversus navigarunt.
Britanni, qui extremi hominum ferebantur, soli fere securi florebant, jamdiu Christianis addicti sacris. poena ceteras nationes premebat.
Afrorum exitus luctuosus, et lamentatione prosequendus. inde homini documentum, humana omnia caduca esse.



AFRICAE CHRISTIANAE

PARS II.

SIVE

ANNALES ECCLESIAE AFRICANAE

AD ANNUM CCCC.

I. CONSIDERANTI mihi, quam saepe divino consilio factum sit, ut quae olim hominum impiorum furor, Christiani nominis delendi caussa, molitus esset, ea potissimum religionis sanctissimae incrementis prodessent; Neroniana maxime occurrunt tempora, omni diritate atque immanitate teterrima, quae sub illa Christianitatis initia plurimum contulisse videantur, ut Evangelii doctrina, jam in ipso crudelitatis terrore ac suppliciorum metu Romae confirmata, in Africam etiam, Deo auspice victrix, ad florentissimae Ecclesiae exordium ab urbe transmitteret. quum enim Nero, post nefarium patriae incendium infamia flagrans, Christianos homines, rumori aboleodo, tamquam ejus auctores quaesitissimis poenis afficere coepisset, et ludibria etiam illa, quae Historia commemorat (1), pereuntibus adderet, *ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi inflammandique, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur;* multos omnino ex illis in tanto periculo trepidos, et Evangelii tamen propagandi percupidos, Roma dilapsos esse, atque eo quoque trajecisse arbitror, qui Afris primi caelestis institutionis veraeque virtutis lumen ostenderent. nulla certe orbis plaga tum erat, ad quam accessus pateret magis, quam ipsa Africa, Ostiensi maxime e portu, unde naves quotidie frumenti in primis advehendi caussa eo commeabant (2). multis praeterea, qui praedia illic habebant, multis, qui negotium publicum ibidem agebant, saepius eodem erat navigandum. nec illa tum navigatio suspiciosa esse poterat, in egenis praesertim ac victum sibi in speciem quaerentibus, quos Africa potissimum operarum indiga alere ac ditare facile posset.

II. Enimvero a Neronis exitu in pacata illa terra, quamdiu Romae Principatus penes Flavios Augustos fuit, multo etiam felicius post Domitianum, Christianae professionis rudimentis institui multi potuere, atque

(1) Tac. *Ann. lib. xv. c. 44.* (2) Tac. *ibid. lib. xii. c. 43.*

Ecclesia illic aliqua jam esse, quae deiode vicorom et oppidorum maguis accessionibus augeretur. ea sane tempora consequuta sunt, quae bonam illam segetem uberius proveoientem vincere ac retardare non possent. ac Tertullianus quidem sic Principes recenset, qui deinde rempublicam administraruot, nihil ut per eos conterraneis suis illatum impedimenti ostendat, quominus Christiaoum uomen per Africam iu dies propagaretur. *Quales*, inquit (3), *leges istae, quas adversus nos soli exsequuntur impii, injusti, turpes, vani, dementes? quas Trajanus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasianus, quamquam Judaeorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit.* ipsi aotem magistratos, quos aliis io provinciis maturius adversus Christiaoos debacchatos esse, in eosque acerbe ac crodeliter animadvertisse legimos, nihil io Africa, Tertulliano teste (4), aote Severi Ang. aetatem ausi fuerant: datumque divinitus apparet, ut in illa traoquillitate atque otio altas Ecclesia radices ageret, ac sese iu omnes partes latios explicaret. jamtum etiam a Pontificibus maximis impetratom credere licet, ut descriptis finibus, Episcopisque rite impositis, certae passim Ecclesiae per Africam constituereotur. quo spectant Tertulliani verba de Cathedra urbis Romae (5): *Unde*, ioquit, *nobis quoque auctoritas praesto est:* itemque Ioooceotii Pontificis maximi dictum in litteris ad Decentium (6), *In omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus Apostolus aut ejus Successores constituerint sacerdotes.* quis tamen Episcopum primos Africae dederit, antiqui Patres uoo tradidere: quamquam Liber Pootificalis *Episcopos per diversa loca XV.* ab Evaristo creatos refert, ab Alexandro V. a Xysto IIII. a Telesphoro XIII. ab Hygiuo VI. ab Aoiceto VIII. a Pio XII. a Sotere XI. ab Eleutherio XV. in quorum uumero uoo paocos Africanos fuisse, merito existimes. nec vero ambigendom est, primum Carthagini Episcopum esse praepositom, ex cujus iostitotiooe jus successoribos partom sit, ut reliquis deinde omuibus summa aoctoritate praesidereot, ipsaque Ecclesia Carthaginiensis, ut apud Augustiuum dicitur, caput Africae appellaretur (7).

III. Saeculo Ecclesiae altero vix dimidiato Clericos Africa habuisse optime institutos videtur, qui et Romae probari posseot. declarat id, quem Afri io urbem submisere, Victor Felicis filius, subiode a Romaois dignos habitus, qui Pontifex maximus renunciaretur. iodidem nempe fuit Victor, qoi aooo CLXXXV. Pontificatom cepit, ac re Christiana naviter admioistrata, deceuoio post Martyr occuboit. ceterum nec quorum opera, nec quibus gradibus Ecclesia Africaua tum creverit, demoustrare ouoc possumus, sileotibus iis, qui proximi eorum temporum vera nobis tradere

(3) *in Apologet. c. V.*
(4) *ad Scapul. c. III.*
(5) *de Praescript. c. XXXVI.*
(6) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 995. v. Baron. *ad an.* 44. *n.* 36.
(7) *epist.* XXXXIII. *n.* 17.

uni litterisque mandare potuerunt. ac Tertullianus in primis, quem anno CLX. aut proximis natum constat (8), nullam Episcoporum, qui tum in Africa Ecclesias regerent, mentionem intulit: nisi quod Agrippinum, ut jam monuimus (9), synodosque ejus designare videtur, ubi jam Afris definitum affirmat, quid cum Haereticis, qui ad Catholicos accederent, praestandum esset. at quum Augustinus ad eam synodum septuaginta Episcopos convenisse indicet (10), profecto fatendum est, multos eosque strenuos viros mature in Afrorum animis excolendis operam suam posuisse: summa item usos esse felicitate, qui intra unius saeculi spatia tot Ecclesias rectoribus datis constitutas reliquerint. atque horum etiam in Ecclesiis regendis veterem diligentiam laudat Cyprianus: qui jam legibus sanxerant, ne sacris initiati ac Deo uni devoti ad res profanas et aliena negotia traducerentur: quemadmodum et Paullus Apostolus cavendum esse monuerat (11). *Quod*, inquit (12), *Episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* quamobrem vere Clementi Alexandrino ante saeculi II. exitum doctrina et virtute florenti Iesus Dei filius omnia jamtum implevisse visus est (13) *sanctis potestatibus, operatione, salute, beneficio, legislatione, prophetia, doctrina:* et ubique jam, in Africa etiam nostra, *Athenae et Graecia* esse, unde recte vivendi praecepta peterentur.

III. Nomen autem Christianum, saeculo altero vertente, mirifice in Africa tuebantur egregia Tertulliani scripta. in ipsa enim adolescentia superstitionem, in qua natus erat, abjecerat, et Christianam sapientiam amplexus fuerat: quod Hieronymus haud obscure indicat, qui et librum ab eo adolescente de incommodis nuptiarum scriptum tradit (14), et eundem virgini Eustochio legendum proponit (15): cujus sane consilii auctor non fuisset, siquidem eum a Tertulliano etiamtum ethnico scriptum existimasset. porro insigne Tertulliani opus, nondum saeculo II. elapso in lucem emissum, illud prae ceteris est, quod *Apologeticum* appellavit, et ad *Romani Imperii Antistites* scripsit, adversus omnes calumnias atque convicia, quibus Christiani appetebantur. prodiisse illud anno CLXXXXVIII. auctor ipse declarat, qui postremam factionis Albinianae caedem, et Severi Aug. Quinquennalia non obscure designat, post quae ille in Orientem contra Parthos eo anno profectus est. *Sed*, inquit (16), *et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur, post vindemiam*

(8) *Mem. Eccl. T. III. p.* 196.
(9) *in Comment. I. n.* 4. v. *Conc. edit. ult. Venet. p.* 623. *et* 625. *T. I.*
(10) *de un. Bapt. c. XIII.*
(11) *epist. II. ad Timoth. c.* 2.
(12) *epist. LXVI. ad Furnit.*
(13) *Admon. ad Gent. p.* 69. *ed. Colon.* Ει γαρ ἡμιν ὁ διδασκαλος ὁ πληρωσας τα παντα δυναμεσιν ἁγιαις, δημιυργια, σωτηρια, ευεργεσια, νομοθεσια, προφητεια, διδασκαλια, παντα νυν ὁ διδασκαλος κατηχει, και το παν ηδη Αθηναι και Ελλας γεγονεν τῳ λογῳ.
(14) *lib. I. adv. Iovin. n.* 13.
(15) *epist. XXII. n.* 22.
(16) *Apologet. c.* 35. v. Mosheimi *Disquis. Chron. de aet. Apolog.* §. 14.

parricidarum racematio superstes, quam recentissimis et ramosissimis laureis postes praestruebant? quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula nubilabant? quam cultissimis et superbissimis toris forum sibi dividebant? non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota propria jam edicerent in aliena sollemnitate, et exemplum atque imaginem spei suae inaugurarent, nomen Principis in corde mutantes. circa idem tempus editi ab eo putantur *Libri II. ad Nationes* et qui *de Testimonio animae* inscribitur, in quibus sane Christianam professionem aeque defendit, atque etnicorum commenta refutat. certos tamen singulis Tertulliani operibus adsignare annos perdifficile est: quod jam viderunt, qui dedita opera de ejus scriptis disseruere.

V. Annos igitur fere centum Ecclesiae Africanae divinitus concessos statuendum est, quibus paullatim adolesceret, ac doctrinis exculta, conformata legibus, virtutum omnium exemplis erudita confirmaretur. magnam quippe provinciam viri Apostolici, quos eo Deus legaverat, in se susceperant, maximi et diuturni laboris opus erat, Afros, quales ea aetate fuisse indicavimus, ad religionis et virtutis studium traduci, ut hominum perditorum mentes superstitione depulsa erectae, Evangeliique praeceptis imbutae ea demum aversarentur, quibus antea cupidissime inhaerebant. sed jam Deus, qui Africae miseratus tantis in tenebris lumen extulerat, divino plane munere hoc quoque effecerat, ut multi jam essent, qui propositam caelestis vitae rationem veteri licentiae anteponerent, et quantum antea vitiis obruebantur, tantum exinde virtutibus eniterent. itaque adesse jam tempora passus est, quibus fidem suorum experiretur. de quorum quidem virtute preclare omnino sentiendum est, quos in periculis, laboribus, calamitatibus maximis diu versatos accepimus. nam quum ea Dei clementissimi erga homines cura atque benevolentia sit, neminem ut gravius tentari patiatur, quam ejus vires perferre possint; tantum malorum Afris incubuisse videbimus, ut in ea Ecclesia fidem jam tum, religionem, constantiam, contemptum mortis, spem vitae aeternae, omnia summa fuisse fatendum sit. quae modo nos in Annales ex ordine referemus: reliqua deinde complexuri, quae in florentissima Ecclesia, etsi non multorum saeculorum definita spatiis, multa tamen et magna contigere: ob quae Annales nostros et sanctissimarum virtutum exemplis insignes, et temporum vicissitudine rerumque omnium ubertate plenissimos fore spondemus.

ANNUS CHRISTIANUS CLXXXXVII.

Agrippino Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES Romae hoc anno processere kal. Ian. Appius Claudius Lateranus, M. Manricus Rufinus. ex Africa autem nostra jamdudum et Ecclesia Catholica Rectorem, et Respublica Principem acceperat. erat enim hic Pontificatus Victoris annus VI. Imperii a Septimio Severo suscepti IIII. tranquilla porro Christianis tempora diu fuerant; quippe Severus ipse im-

imperium adeptus, quosdam ex iis aliquamdiu caros habuerat, et beneficiis affecerat. Tertulliano enim teste (1), *Proculum Christianum, qui Torpaeion* (sive nutricius) *cognominabatur, Euhodi procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus: quem et Antoninus optime noverat, lacte Christiano educatus. sed et clarissimas feminas et clarissimos viros Severus sciens hujus sectae esse, non modo non laesit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in nos palam restitit.* at postquam belli caussa Roma discessit, ac Nigri Albinique competitorum factione distentus, rerum urbanarum arbitrium magistratibus permisit; rursum in Christianos vetera ethnicorum odia exarsere, priscarumque legum, quae in eos latae fuerant, revixit auctoritas. itaque jamtum, ut ait Tertullianus (2), *Alios ignis, alios gladius, alios bestiae Christianos probaverunt: alii fustibus interim et ungulis insuper degustata martyria in carcere esuriebant* his Romae incohatis modum fortasse aliquem hoc anno posuit Severus Albino devicto redux. sed quum idem, Quinquennalibus eodem anno celebratis, bellum Parthis illaturus, iterum urbem deseruisset, duplicatus in populo furor est, et Christiani omnes hostium loco haberi coepti. nec jam odia urbis moenibus continebantur. flamma illa serpere latius visa est, et Africam ipsam pervadere, quae hoc anno cladis jam impendentis initiis exhorruit, diuturnaeque pacis tranquillitatem amisit.

II. Aderat tum Carthagine Tertullianus: Romae certe non erat, quemadmodum in Apologetico ipse indicat (3), Romam memorans procul positam, de qua aliquid fama nunciaret. in ea rerum perturbatione, operae pretium se facturum ratus, si caussam Christianorum scriptis defenderet, opus illud praeclarissimum exorsus est, quod anno insequenti vulgatum ostendimus. in hoc libro multos e Christianis jamtum conjectos in vincula vexatosque significat, quum ait (4): *Hoc agite, boni Praesides, meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos.* atque ibidem de tentata virginis constantia haec addit: *Proxime ad lenonem damnando Christianam, potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari.* ceterum neminem hoc anno capitis damnatum constat. nam qui *primus gladium,* ut ab eodem traditur (5), in Christianos *egit,* Vigellius Saturninus Proconsul fuit, quem anno CC. id est serius, quam triennium Proconsulare ferebat, provinciam etiamtum obtinentem, et Christianis adversantem, Martyrum Scillitanorum Acta repraesentant. afflictae tamen Ecclesiae res, et alienatae magistratuum voluntates inimicorum numerum in dies augebant, ut Iudaei quoque indigenae adversus Christianum nomen animos sumerent, et religioni sanctissimae in illa nostrorum calamitate insultarent.

(1) *ad Scapul. c. III.* v. Bochart. *Geogr. sacr. lib. 2. c. 16. p. 770.*
(2) *in Scorp. c. I.*
(3) *Apologet. c. VII.*
(4) *ibid. c. ult.*
(5) *ad Scapul. c. III.*

III. Fuit sane e Iudaeis perditissimus quidam bestiarius (6), qui, ut Christiani ludibrio passim haberentur, monstrum in tabula pingendum curavit auribus asininis, altero pede ungulatum, librum gestans et togatum, idque Carthagine spectandum proposuit cum inscriptione, DEUS CHRISTIANORUM ONOCOETES. *Et credidit vulgus Iudaeo,* inquit Tertullianus (7); *quod enim aliud genus seminarium est infamiae nostrae? itaque in tota civitate Onocoetes praedicatur.* quamquam tale monstrum superstitioni ethnicorum consentaneum erat: *Illi,* ait idem, *debuerant adorare statim biforme numen, quia et canino et leonino capite commistos, et de capro et de ariete cornutos, et a lumbis hircos, et a cruribus serpentes, et a planta vel tergo alites Deos receperunt* (8). haec vero satis, opinor, declarant, quantum molestiarum in ea licentia Christianis exhiberetur, et quanta quotidie pericula inferrentur: in quibus Deus virtutem eorum experiens, desides quoque atque imbelles ad difficillima quaeque ac maxima conformabat. defunctus id temporis creditur ille veteris superstitionis et magicarum artium sectator, Madaurensis Apulejus, levium quidem et pudendarum rerum scriptor, at ut illis temporibus non inelegans: de quo Augustinus (9): *Apulejus .... non dico ad regnum, sed ne ad aliquam quidem judiciarium reipublicae potestatem cum omnibus suis magicis artibus potuit pervenire, honesto patriae suae loco natus, et liberaliter educatus, magnaque praeditus eloquentia.*

IIII. Interea Ecclesiam Carthaginiensem regebat Agrippinus: neque enim sequioris aetatis esse potuit, quem Vincentius Lirinensis (10) primum omnium mortalium auctorem fuisse affirmat, ut haeretici, qui ad Ecclesiam Catholicam accederent, iterum baptizarentur. in eadem quippe sententia fuit Tertullianus (11), cui propterea Agrippinum praeivisse fatendum est. atque ad hunc annum vel certe ad superiores pertinere Concilium, quod Agrippinus coegit, ut controversia de haereticorum Baptismo (12), quae tum orta erat, dirimeretur, tempora ipsa, quae consequuta sunt, Christianis sacris adversa, prope testantur. neque enim credibile est, septuaginta Episcopos impune in eam maxime urbem convenire potuisse, in qua deinde nihil tutum Christianis fuit. favet etiam Optati successoris aetas plane explorata: quem sub saeculi tertii initium Ecclesiae Carthaginiensi praefuisse novimus. nam post hunc quidem et Cyro et Donato suus tribuendus est locus, qui ante Cyprianum fuerunt.

V. Quis vero hic et nomina et Ecclesias scire non cupiat tot Episcoporum, qui Concilium illud cum Agrippino celebraverunt? verum ea omnia jamdiu longa aetas delevit, et illud unum nos docet Cyprianus, ex provincia Africa et Numidia eos esse convocatos (13), Augustinus vero, septuaginta numero convenisse (14). haec tamen vel sola Ecclesiae Afri-

(6) *Apologet. c. XVI.*
(7) *ad Nation. lib. I. c. 14.*
(8) *Apologet. c. XVI.*
(9) *epist. 138. n. 19.*
(10) *Common. I. n. 9.*
(11) *de Baptism. c. XV.*
(12) *Cypr. ad Jubajan. epist. 73.*
(13) *ad Quint. epist. 71.*
(14) *de un. Bapt. c. XIII.*

canae amplitudinem ac dignitatem testatam nobis ac manifestam objiciunt. quamquam ne illis quidem finibus Ecclesiam id temporis in Africa circumscriptam existimandum est, nec, quod de Mauretania aut de Tripolitano tractu mentionem Cyprianus non fecerit, praeclusas etiamtum Evangelio censendum eas regiones fuisse, unde saeculo insequenti Episcopos frequentes ad Cypriani Concilium submissos esse, compertum sit. neque enim fieri potuit, ut tot Ecclesiae tam brevi tempore exsisterent, et Clerum quaeque suum atque Episcopum sortirentur.

vI. Quod reliquum est, si quae tum Agrippinus cum ceteris Episcopis de Haereticorum Baptismo sanxisse dicitur, non secus atque ea, quae in eandem sententiam sub Cypriano constituta sunt, Ecclesia Catholica repudiavit; nomen tamen Agrippini apud posteros in honore fuit, quippe qui a vero ante aberraverit, quam de ea controversia judicium a Catholica Ecclesia esset institutum. *Ecclesia*, inquit Facundus Hermianensis (15), *non approbans beati Cypriani ejusque praedecessoris Agrippini, qui hoc ante statuerat, de baptizandis omnibus Haereticis definitionem, non solum ipsos, sed et omnes, qui cum illis hoc definierunt, Episcopos Patres adscribit, eorumque fidem atque doctrinam, et maxime Cypriani toto orbe radiantem, judicat esse laudabilem.*

vII. Ipsum autem ritum, quo Catechumeni in Ecclesiam admittebantur, triplici sacramento recreati atque alti, presse indicat Tertullianus (16). *Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut et anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur: caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* praeclara etiam ab eodem de matrimonio Christianorum accepimus, unde discere est ab his temporibus consuetudinem obtinuisse, ut nuptiae coram Ecclesia adprobante contraherentur, nec sponsi ante abirent, quam sacrum pro ipsis oblatum Deo esset, precesque sollemnes super iisdem peractae forent. sic enim ad uxorem ipse scribit (17). *Unde sufficiemus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renunciant, Pater rato habet?*

(15) *lib. x. c. 3.*
(16) *de Resurr. carn. c. 8.*
(17) *lib. II. ad uxr. c. 8.*

ANNUS CHRISTIANUS CLXXXXVIII.

Agrippino Episcopo Carthaginiensi

I. Signant hunc annum Consules Tib. Haterius Saturninus, C. Annius Trebonius Gallus, quo anno Victor Pontifex maximus, Irenaei Episcopi Lugdunensis litteris placatus, Asiaticas Ecclesias de legitimo Paschatis die ab Romana consuetudine dissidentes pacis studio in gratiam recipiebat:

at Severus Aug. Antonino filio Tribunitia potestate aucto in Orientem profectus Parthos bello aggrediebatur. eodem anno Senatus provinciam Africam Vigellio Saturnino decrevit Christiani nominis hosti, quem in ipsa provincia crudelitatis poena manebat: inde enim caecus erat rediturus: de quo Tertullianus ad Scapulam (1), *Vigellius*, inquit, *Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit.* huic praenomen *Marco* fuisse, vetus Vigelliorum epitaphium (2) indicare videtur; in quo filii, opinor, ejus tres, Saturninus, Felix, Restitutus *Marci* appellantur, cognomine singulos distinguente, ut mos tum ferebat: itemque aliquot Libertorum ejus tituli (3), quibus idem praenomen adscriptum est. jam qui animo in Christianos infesto Africam petebat, magnam praeterea veluti segetem ad metendum paratam erat inventurus. multos enim anno superiore addictos carceribus factio ethnicorum in Proconsulis adventum servabat, quos ille imperii auspicandi gratia immolaret. hos vero, anticipatione quadam Martyres passim appellatos, dum in custodiis faustum martyrii diem opperiebantur, sedula Diaconorum Carthaginiensium cura, Agrippino in primis auctore, fovebat ac sustentabat, sodalibus fraterno studio suppeditantibus, quaecumque iis solatio esse possent. quorum caritatem aemulatus Tertullianus, quo maxime poterat, subsidii genere calamitatem eorum levare instituit, libello *ad Martyres* scripto, cui hoc fecit initium: *Inter carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quae vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis, et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum. carnem enim saginari, et spiritum esurire non prodest: immo si quod infirmum est curatur, aeque quod infirmius est negligi non debet.* scripsisse autem videtur nondum Presbyter, nec sacris etiamtum ullis initiatus: haec enim ille subnectit: *Nec tantus ego sum, ut vos adloquar. veruntamen et gladiatores perfectissimos non tantum magistri et praepositi sui, sed etiam idiotae et supervacue quique adhortantur de longinquo: ut saepe de ipso populo dictata suggesta profuerint.*

II. Quaerenti nunc mihi, quem primum e Confessoribus Vigellii gladius sustulerit, ducemque Martyrum fecerit, ille occurrit Namphanio Archimartyr (4), quem Maximus Madaurensis, ethnicus Grammaticus, ad Augustinum scribens, cunctis Diis immortalibus praeferri queritur. veri equidem simile arbitror, hunc *Archimartyrem* tamquam Martyrum Principem esse dictum, quod terram illam Martyrum victoriis clarissimam sanguine suo primus dedicasset. nam reliquis fere Martyribus ob ordinis dignitatem Cyprianum Episcopum anteponebant: nec tamen Archimartyrem appellabant, primus licet Episcoporum, ut Pontius ait (5), sacerdotales coronas in Africa imbuisset. ceterum ethnicus ille in ipso etiam nomine Namphanionis inesse aliquid putabat, quod rideret: de qua appellatione Augu-

(1) *cap. III.*
(2) Maff. *Mus. Ver. p.* 305. *n.* 9.
(3) Murat. *Thes. p.* 1421. 3. *p.* 2088. 12. *etc.*
(4) *inter Aug. epist. XVI. n.* 2.
(5) *in vit. Cypr. n.* 19.

stinus (6), quia Punica vox erat, mirari se rescribit, quod Afer homo scribens Afris, Punica nomina exagitanda existimaret. *Nam si ea vocabula,* inquit, *interpretemur, Namphanio quid aliud significat, quam boni pedis hominem, id est cujus adventus afferat aliquid felicitatis: sicut solemus dicere, secundo pede introisse, cujus introitum prosperitas aliqua consequuta sit.* porro Namphanionem et socios, quos Maximus quoque memorans, *Migginem*, *Lucitam et Sanaem* vocat, in Martyrologio Romano Martyres Madaurenses haberi (7) video: quos tamen Maximus, a quo nomina haec accepimus, nec Madaurenses facit, et aliis accenset *interminato numero*, quos *Diis hominibusque odiosa nomina* esse ait; nos vero, sive illi Numidae fuerint, sive e provincia Proconsulari, Carthagine sub Vigellio martyrium fecisse, merito existimabimus.

II. His primum laureis ornatam Ecclesiam, rursum amplissimis aliorum triumphis intra annum laetatam esse, ambigendum non est. par enim omnium, qui in custodiis habebantur, crimen erat, Christianos esse: nec aut accusator deerat, qui in judicium raperet, aut judex desiderabatur, qui delatos damnaret. nomina ipsa Martyrum non omnia excidere: occurrunt enim in Actis Perpetuae (8) Iocundus, Saturninus, Artaxius flammis absumpti, item Quintus, *qui et ipse Martyr in carcere exierat:* eos scilicet Saturus Perpetuae frater splendidissimo in loco divinitus ostentos videre sibi visus erat; qui et se ab Angelis monstratoribus quaesisse scribit, *ubi essent ceteri*: ac rursum ait, *Et coepimus illic multos fratres cognoscere, sed et Martyres:* quos nempe hic annus caelo transmiserat, Saturo minus notos, quod nec cives ejus essent, et quinquennio ante obiissent, quum puer etiamtum erat. ii sine dubio sunt, quos antiqua Martyrologia commemorant v. idus Ianuarias, et quatuor illis conjungunt, quos modo recensuimus: sic enim in exemplari Lucensi enunciantur: *In Africa Epicteti, Iocundi, Quinti, Secundi, Saturnini, Vitalis. Item Quinti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Rustici, Selli, Quieti et aliorum VII. Martialis, Saturi.*

III. Dum vero nomen Christianum victoriis Martyrum inclarescebat, in ethnicorum manus jam venerat Apologeticus Tertulliani, quo et nefariae superstitionis commenta refutabantur, et Christianae professionis sanctitas vindicabatur. caussam in eo libro plene peroratam, censuit Lactantius (9), nec dubium cuiquam esse debet, tot rationum momentis, tantaque rerum ubertate atque copia effectum esse, ut qui aliquid inter ethnicos saperent, crudelitatis eos suae furorisque puderet. nam ille nominis sui auctoritate, quod tum prudentiae fuit, uti noluit: *Liceat*, inquit (10), *veritati vel occulta via tacitarum litterarum ad aures vestras pervenire.* sed si pudor jam aliquis ethnicos cohibebat, ut de odio suo nonnihil remissuri viderentur; modum nesciebant Haeretici, qui maxime ab Oriente in Africam usque penetraverant, ut gravius inde malum Ecclesiae impenderet. hunc

(6) *epist. XVII. n. 2. v.* Bochart. *Geogr. sacr. lib. 2. c. 16. p. 766.*
(7) *ad diem IIII. Iul.*
(8) apud Ruinart. *n. XI.*
(9) *Inst. lib. V. c. 4. n. 3.*
(10) *Apolog. c. I.*

V. II. 7

enim, opinor, annum designans Tertullianus, *Quum*, inquit (11), *fides aestuat, et Ecclesia exuritur de figura rubi, tunc Gnostici erumpunt, tunc Valentiniani proserpunt, tunc omnes martyriorum refragatores ebulliunt, calentes et ipsi offendere, figere, occidere.* contra quos ad Scorpiacen in primis scribendam se contulit: quod Hieronymus insigne volumen appellat, et *Scorpiacum* rectissimo nomine dictum ait (12), *Quia arcuato vulnere in Ecclesiae corpus venena diffundit, quae olim appellabatur Caina haeresis*, cui Septimius noster idoneam antidotum opponebat. nec tamen uno contentus opere, alia idem ordiebatur, quibus omnium Haereticorum audaciam coerceret: quorum in numero eminet, quod *de Praescriptione Haereticorum* inscripsit; quamquam id serius emissum Praxeae commemoratio declarat, de quo infra dicendum erit.

v. Qui demum ceterarum Ecclesiarum per Africam status esset, minime litteris consignatum reperio. Numidiam id temporis regebat Sex. Varius Marcellus (13) Severi Aug. affinis: habebat enim in matrimonio Iuliam Soëmiadem Bassianam, Iulia Maesa natam, quae Iuliae Aug. soror fuit. itaque, quum edictum etiamtum in Christianos nullum a Severo promulgatum esset, veri plane simile est, nullam a Vario Christianis molestiam exhibitam esse: quippe qui Severi animum nosset jamdiu erga Christianos benevolum atque indulgentem. neque magis, qui Mauretanias administrabant, Procuratores Caesaris aliquid tum ausos crediderim, quum eorum provinciae in Augusti potestate essent, ejusdemque arbitrio successores mitterentur. quosdam item Praesides recenset Tertullianus (14) Scapula Proconsule antiquiores, quos alibi Christiani satis humanos ac mites experti fuerant, hoc, opinor, tempore, de quo agimus: neque enim locus iis omnibus est inter Timinianum Vigellii successorem et Scapulam ipsum, si eos in Proconsulum numero habere velis. *Quanti*, inquit, *Praesides et constantiores et crudeliores dissimulaverunt ab hujusmodi caussis? ut Cincius Severus, qui Thysdri ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent: ut Vespronius Candidus, qui Christianum, quasi tumultuosum civibus suis satisfacere, dimisit: ut Asper, qui modice vexatum hominem, et statim dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos et adsessores, dolere se incidisse in hanc caussam. Pudens etiam missum ad se Christianum, in ellogio concussione ejus intellecta, dimisit, scisso eodem ellogio, sine accusatore negans se auditurum hominem, secundum mandatum.* haec, ni fallor, pacatas nobis hoc anno ceteras provincias repraesentant: maximoque Dei immortalis beneficio datum reliquae Africae ostendunt, ut Ecclesiae Carthaginiensis exemplis erecta ac confirmata, mortem contemneret, et religionem fidemque suam rebus omnibus anteponeret.

(11) *in Scorp. c. I.*
(12) *contra Vigilant. c. 9.*
(13) *Inscr. vet.* apud Oderic. *p.* 199.
(14) *ad Scap. c. ult.*

ANNUS CHRISTIANUS CLXXXXVIIII.

Agrippino Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES habuit hic annus P. Cornelium Anullinum iterum, M. Aufidium Frontonem, atque his consulibus P. Septimius Aug. F. Geta, quem pater prope Ctesiphontem anno superiore Caesarem designaverat, Romae a Senatu nonis Martiis Caesar appellatus est: qui deinde dies, *Getae Caesaris Natalis* dictus, ludorum sollemnibus quotannis celebrabatur (1). interea Vigellius, qui anno Proconsulatus sui primo Carthaginem totam caede Christianorum funestam fecerat, hoc contra spectaculorum laetitia exhilarandam putavit. itaque ejus opera Carthaginienses Pythia celebrandi jus a Senatu impetraverunt: quos ludos in ea urbe nemo ante spectaverat. gratum id toti provinciae fuit, ejusque rei caussa civitatum legationes de honore urbi parto gratulatum venere. quo pertinent Tertulliani verba in Scorpiace (2), *Adhuc Carthaginem singulae civitates gratulando inquietant, donatam Pythico Agone post stadii senectutem: ita ab aevo dignissimum creditum est stadiorum experimentum, committere artes, corporum et vocum praestantiam exprimere, praemio indice, spectaculo judice, sententia voluptate.* eorundem ludorum caussa Odeum Carthagine exstructum esse, idem nos obiter docet, quum de carnis resurrectione scribens, ossa memorat nondum absumpta, quae tum in illa molitione egesta essent. *Proxime*, inquit cap. XXXXII. *in ista civitate, quum Odei fundamenta tot veterum sepulturarum sacrilega collocarentur, quingentorum fere annorum ossa adhuc succida et capillos olentes populus exhorruit.* ad Pythicum nempe certamen Odeo maxime opus erat, in quo musici in primis et poetae certarent.

II. Inde occasio a Tertulliano arrepta est libri *de spectaculis* conscribendi. quo quidem libro ludorum omnium origines, superstitionem, impudentiam, levitatem ob oculos posuit; sed Pythica quoque certamina improbavit, et quam inutiles Christianis ejusmodi conventus essent, ostendit. *Si scientiae, doctrinae delectant, satis,* inquit (3), *nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum: nec fabulae, sed veritates; nec strophae, sed simplicitates. vis et pugilatus et luctatus? praesto sunt non pauca simul: aspice impudicitiam dejectam a castitate, perfidiam caesam a fide; saevitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia adumbratam; et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur.* porro id opus consequuti sunt liber *de cultu feminarum*, liber *de oratione*, libri duo *ad Uxorem*, alii fortasse aliquot ex iis, quos Catholicus scripsit: nam singulorum annos, quibus emissi sunt, ignoramus. virum igitur tam bene de Ecclesia meritum, in cujus scriptis studium religionis, labor adsiduus,

(1) v. Tillem. *Emper. T. III. p. 450.*
(2) *cap. VI.*
(3) *c. XXVIIII.*

doctrina, eloquentia, pietas eminebant, dignum Agrippinus Episcopus censuit, quem sibi Ecclesia adscisceret, et per minores gradus elatum inter Presbyteros Carthaginienses cooptaret. de cujus honore perperam aliquando dubitatum est, quum eum Hieronymus (4) et auctor libri *de haeresi Praedestinatorum* (5) diserte Presbyterum appellent.

III. Ad ceteras provincias quod attinet, monumenta omnia delevit vetustas, nec ad nos quidquam de primo illo Ecclesiarum statu et conditione pervenit. ceterum anno superiore non paucos metu caedis ad deserta dilapsos credere licet, qui Evangelium ultra Romanos limites, interque barbaras Getulorum et Maurorum nationes afferrent. Tertullianus certe contra Iudaeos postea scribens (6) *Getulorum varietates* et *Maurorum multos fines* Christo vero jam subditos fuisse affirmavit, eorum licet barbaries a Romanis obsideretur, ne regionum suarum fines excederent. major enim Christianae religionis vis erat, quam ut horum vallo aut illorum moribus repelli vincique posset. quare infeliciores e Getulis, quemadmodum et e Numidis, eos jure dixeris, qui jam in cohortes Romanas (7) recepti fuerant: longius quippe hi aberant a Christiana religione, quae conterraneis eorum maturius effulserat.

(4) *de vir. ill. c.* LIII.
(5) *lib. I. n.* 26.
(6) *adv. Iudaeos c.* 7.
(7) Murat. *Thes. p.* 674. 1.

ANNUS CHRISTIANUS CC.

Agrippino Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere hoc anno Tib. Claudius Severus iterum, C. Aufidius Victorinus. eundem autem esse, quem Scillitani Martyres praeclara confessione et memorabili exitu insignem fecerunt, germana eorum Acta confirmant. quum enim Claudio Consule iterum, et sub duobus Augustis martyrium fuisse ostendant, hunc Claudium, non alios, qui prius Consules fuere, significari manifestum est: quum Antoninus Severi filius eodem anno *Augustus* fuerit appellatus, quo Geta frater ejus dictus est *Caesar:* quod anno superiore contigisse liquet. rursum igitur Proconsul Vigellius, peractis ludorum sollemnibus, ad Christianorum caedem et feralia spectacula rediit. inclusi jam carceribus supremum diem manebant Confessores duodecim, quos vetera Martyrologia omnes Scillitanos vocant, ex oppido Scilla, in provincia Proconsulari sito, cujus Episcopos in Commentario nostro recensuimus. inde nimirum eos Proconsul Carthaginem adduci jusserat. jamque ex eo numero sex auditi fuerant, qui se Christianos professi, nullo se mortis genere deterreri responderant, quominus in sententia sua permanerent. itaque de horum quaestione nihil in Actis habemus: nomina tantum ex Proconsulis sententia novimus. XVII. kal. Aug. reliqui sex ante tribunal producti sunt, Speratus, Narzalis, Cittinus, Donata, Secunda et Vestina. hos quum hortari Proconsul caepisset, ut bono animo

ad Deos suos converterentur, eamque unam restare viam diceret, quae illis Imperatores propitios reddere posset, ad ea Speratus, cui ceteri primas deferebant, pauca de sua sociorumque innocentia praefatus, paratum se dixit, si aures adhibere vellet, fusius de religionis sanctitate disserere: ceterum nec Imperatoris Genium sibi notum esse, et se uni Deo famulari, qui Rex regum et omnium gentium dominus foret. haec vero Proconsul aversatus, ceterorum constantiam labefactare nisus est: pro quibus Cittinus, *Nos*, inquit, *Non habemus alium, quem timeamus, nisi Dominum Deum nostrum, qui est in caelis* (1): isque omnium consensus fuisse videtur, ut se Proconsul operam perdere intelligeret. eos enim illico in carcerem reduci, ac nervo vinciri jussit.

II. At postero die rursum ad tribunal vocati prodiere; cumque coram omnes adstarent, feminarum primum tentata virtus est: quae singulae invicto animo in sociorum sententiam iverunt, Christianas se esse, nec ullum inanibus Diis honorem deferre. rejectis igitur feminis, iterum viros Proconsul aggreditur, nec quidquam proficit: spatium se daturum trium dierum ait ad resipiscendum; illi se Christianos et esse et fore confirmant. tam praeclaram confessionem sententia demum sequuta est, quam per Exceptorem sic Proconsul pronunciavit, sex quoque sociis simul damnatis, de quibus ante cognoverat: *Speratum, Narzalem, Cittinum, Veturium, Felicem, Acyllinum, Laetantium, Ianuariam, Generosam, Vestinam, Donatam et Secundam Christianos se esse confitentes, et Imperatori honorem et dignitatem dare recusantes capite truncari praecipio* (2). Confessores autem quod erat in votis, adsequuti, gratias Deo agere, cujus beneficio caelestem in patriam laureati properabant. nam e forensi illo conventu ad supplicii locum recta ducti sunt, ubi, flexis genibus, postquam iterum gratias Deo reddidere, caput singulis amputatum est XVI. kal. Aug. quo die Martyrium eorum sacris in Fastis celebratur.

III. Exinde sacra Martyrum corpora ab Ecclesia Carthaginiensi recepta esse, et in loculis composita, aromatibus odoratisque balsamis superfusis, quae intacta praestarent, nemo sane ambiget, qui hanc majorum nostrorum consuetudinem fuisse meminerit: de qua Tertullianus (3), *Scient*, inquit, *Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* supremis hisce officiis Agrippinum ipsum Episcopum functum esse, credibile est, quo sepultura Martyrum parentis publici ministerio ac dignitate honestaretur. nunquam autem sepulcri eorum exstinctam Carthagine memoriam apparet: cum et Basilicam eorum honori postea aedificatam constet (4), in qua Augustinus sermonem habuit (5).

IIII. Ceterum Agrippini vitae actus ille, opinor, postremus fuit. Optatum enim successorem ejus sub haec tempora designatum esse Acta Per-

(1) apud Ruinart. *p.* 75. *ed. Ver. n. II.*
(2) *ibid. n. v.* v. Boll. *T. IIII. Iul. p.* 204.
(3) *Apolog. c. XLII.*
(4) Vict. Vit. *Pers. Vand. lib. I. c.* 3.
(5) *serm. CLV.*

petnae Martyris indicare videntur (6). quum enim eo animo Optatus ad Ecclesiam administrandam accessisse putandus sit, quem in Episcopo Paullus Apostolus requirebat, initia ejus adeo remissa fuisse non arbitror, ut jam de officio esset admonendus: quod triennio post Angeli in Actis illis audiente Perpetua fecisse dicuntur, sic eum adloquentes: *Corrige plebem tuam, quia sic ad te conveniunt, quasi de circo redeuntes, et de factionibus certantes* (7). quin et in his verbis inveteratae consuetudinis quaedam significatio inest, quae Optati negligentia adolevisset. quapropter in tanta temporum istorum obscuritate, quod simile veri est sequuti, annum hunc Episcopatus Agrippini ultimum fuisse statuimus. scripta nonnulla Agrippini mansisse, haud obscure indicat Augustinus in epistola ad Vincentium Rogatiani schismatis Episcopum (8), ubi rogat, ne calumnias colligere velit ex Episcoporum scriptis, *sive*, inquit, *nostrorum, sicut Hilarii, sive autequam pars Donati separaretur, ipsius unitatis, sicut Cypriani et Agrippini:* quae fortasse ad veterem illam de haereticorum baptismo controversiam pertinebant.

v. Idem annus, Vigellii Saturnini Proconsulis tertius, ob poenam, quae ei divinitus inflicta est, memorabilis fuit. qui enim Christianorum suppliciis et sanguine oblectatus fuerat, lumina repente amisit, ut jam in caligine et tenebris versaretur, quem inter summos cruciatus nox sempiterna manebat cujus deinde exemplo, itemque aliorum, qui crudelitatis suae adversus Christianos graves jam dederant poenas, Scapulam Proconsulem Tertullianus (9) a proposito deterrere nitebatur.

(6) apud Ruinart. *p.* 86. *n.* 13.
(7) *ibid. n. XII.*
(8) *epist.* 93. *c.* 10. *n.* 35.
(9) *ad Scap. c. III.*

ANNUS CHRISTIANUS CCI.

Optato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum iniere hoc anno L. Annius Fabianus, M. Nonius Mucianus. his autem Consulibus datus Africae Proconsul est Minucius. Timinianus, quem, in Fastis omissum, Perpetuae Martyris Acta commemorant. ab ejus adventu res Christianorum pacatas fuisse, prope exploratum est: neque enim ante Severi Aug. edicta quaestionem ullam de Christianis institutam accepimus. itaque fas fuit Optato Episcopo Ecclesiam de more statis diebus cogere, sollemnesque coetus celebrare, quos nobis Tertullianus apprime describit. *Coimus*, inquit (1), *ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus. haec vis Deo grata est. oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum ac potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad litterarum divinarum commemorationem; si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere. certe fidem sanctis vocibus pascimus,*

(1) *Apolog. c. XXXIX.* v. Bonam *Card. Rer. Liturg. lib. I. c.* 3 §. 4.

spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus densamus. ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina. nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii praejudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur. praesident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio ulla res Dei constat. etiam si quod arcae genus est, non dehonoraria summa quasi redemptae religionis congregatur: modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. haec quasi deposita pietatis sunt. nam inde non epulis nec potaculis nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat ex caussa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt. hactenus Tertullianus, plerasque conventuum sacrorum consuetudines et Christianorum officiorum summam mire complexus.

II. Erat tum in Optati Clero praeter Tertullianum Aspasius quidam, quem Acta Perpetuae Martyris *Presbyterum Doctorem* appellant, id est ex eorum numero, qui cum Episcopo reliquum Clerum probabant (2), et Catechumenos instituebant. huic porro quasdam cum Optato simultates fuisse, eadem Acta significant. nam Angelos audire in visione sibi visus est Saturus utrumque adloquentes admonentesque, ut si quas haberent inter se dissensiones, alter alteri studium suum et iracundiam dimitteret (3): tum incusso metu comminantes iis, velut si e viridario illo ejecturi essent, in quo Saturus cum Perpetua versaretur. ipsos nimirum virtutis et sanctitatis magistros, si forte animos sumpserint, atque aliquid de modestia remiserint, facile labes aliqua inficit, et caritati eorum concordiaeque iram et severitatem adspergit.

III. At vero Tertullianus utilem etiamtum atque adsiduam Ecclesiae operam navabat. erant tum e Christianis, qui, ut idem ait (4), *pacem in Ecclesia non habentes, a Martyribus in carcere exorare* consueverant. sed ex iis fortasse non pauci, quae ipsi admiserant crimina, alieno magis, quam suo labore delere volebant, et Confessorum potius promeritis compensare debitum, quam poenitentiae modo dissolvere. ergo istorum potissimum caussa scriptus, opinor, ab eo est per id tempus liber egregius *de Poenitentia*, quo laudes ejus et utilitates persequitur: quamquam ad eos etiam pertinet, qui Catechumeni erant, et ad baptismum instruebantur. *Quam porro ineptum*, ajebat (5), *quam iniquum Poenitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere! hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere. hoc enim pretio Dominus veniam*

(2) v. Cypr. *epist.* XXIII.
(3) apud Ruinart. *ibid. n.* XIII.
(4) *ad Martyr. c.* I.
(5) *de Poenit. c.* V.

addicere instituit, haec poenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem. verum et illa ab eo probabantur, *Presbyteris* (6), *advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere*, sed ita tamen, ut haec quoque requireret, *jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum:* alia hujusmodi, quae divinam misericordiam allicerent. *Haec*, inquit, *omnia Exhomologesis: ut poenitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.* quae ille adversus desides Christianos veteris disciplinae studiosissimus inculcabat, graviter questus, *plerosque publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, pudoris magis memores, quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium, vitant, et ita cum erubescentia sua pereunt.* quibus utique verbis occultorum criminum remedium nobis unum esse ostendebat, ut ea sacerdotibus tamquam medicis morbos et vulnera, detegeremus: sive id coram multis, sive uno tantum audiente et cognoscente fieri vellet. nec vero idem minus subrepentes tum haereses indagare atque odorari solebat. nova paullo ante per Orientem eruperat haeresis docentium, *Ipsum Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Iesum Christum.* hujus auctor Praxeas fuerat: *Iste primus*, ut ab eodem traditum est (7), *ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romae, homo et alias inquietus, insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum et simplex et breve carceris taedium.* atque hic ipse subinde ex Italia in Africam navigaverat, quemadmodum Philastrius (8) et Augustinus (9) indicant; itaque *fruticaverant*, inquit Tertullianus (10), *avenae Praxeariae, hic quoque superseminatae, dormientibus multis in simplicitate doctrinae.* vigilabat tamen Septimius noster, et qua erat sollertia, dolum detexit, fraudem deprehendit: rem enim ipse obscuris quidem, sed tamen non dubiis designat verbis: *Traductae*, inquit, *dehinc per quem Deus voluit, etiam evulsae* avenae illae *videbantur.* et addit, coactum esse Praxeam, quae docuerat, damnare, et professionis suae libellum tradere, quem Ecclesia servaret. *Caverat*, ait, *pristinum doctor de emendatione sua; et manet chirographum apud Psychicos, apud quos tunc gesta res est: exinde silentium.* haec scilicet nobis omnia Tertullianus in eo libro testata reliquit, quem in Praxeam edidit, postquam a Catholicis secesserat, quos ipse *Psychicos* appellare coepit: ne tum quidem Haereticis placabilis, quum jam haeresim et ipse profiteretur.

(6) *ibid. c. viii. et x.*
(7) *adv. Prax. c. 1.*
(8) *Haer. c. 54.*
(9) *de Haeres. n. xxxxI.*
(10) *adv. Prax. ibid.*

ANNUS CHRISTIANUS CCII.

Optato Episcopo Carthaginiensi

I. Ipsi Augusti Severus III. et Antoninus Consulatum hoc anno suscepere, quum in Syria essent (1). at Romae Victor Pontificatus sui annum decimum agebat (2), qui et vitae ejus postremus fuit. Martyrem eum decessisse XII. kal. Majas, Ado aliique traduut: et qui diem ejus natalem V. kal. Aug. enunciant, corporis Translationem indicare putantur.

II. Iam hunc annum Severi edicta adversus Christianos memorabilem reddidere. attigerat ille decimum Imperii sui annum, cujus initium fuerat IIII. nonas Iunias: exinde Christianorum, quos ante foverat, vexandorum consilium coepit. nec mutatae voluntatis caussa nota est: nisi forte Iudaeorum, quos hostes expertus fuerat, non levis vulgi opinione affinitas Christianis fraudi fuisse dicenda sit. nam iisdem edictis et Iudaeos et Christianos fieri vetuit (3). sed tamen Iudaeis otium fuit; Christiani contra, in quos odia ethnicorum jamdiu flagrabant, ubique per orbem Romanum, intestino velut bello ac domestico indicto, dire vexati, omnes indignitates contumeliasque pertulere. Dei autem beneficio, qui virtutem Christianorum ad fortia quaeque excitavit, per omnes Ecclesias, ut Eusebius ait (4), effectum est, ut ab athletis pro pietate certantibus illustria martyria peragerentur.

III. Sub anni exitum edicta Severi ad praesides Africae perlata sunt, quae omnes provincias jam prope tranquillas trepidatione ac terrore impleverunt. nam Timinianus ipse, qui Procousulatum eatenus incruentum gesserat, Trajani, opinor, sequutus praescripta, qui Christianos inquirendos non esse responderat: cognita demum Severi voluntate, veterem repente humanitatem exuit, et infenso in Christianos animo ad eorum perniciem incubuit. erant Tuburbi, haud procul Carthagine, adolescentes catechumeni pietate illustres, Revocatus, Felicitas, Saturninus, Secundulus, et Vibia Perpetua, quibus deinde et Saturus sponte accessit. eos, quum jam comprehensi essent, Timinianus morti destinaverat. sed illi quidem post praeclaram confessionem martyrii lauream adepti, ad caelestem patriam anno insequenti avolaruut: at Proconsul spes omnes suas et vitam ipsam maturius amisit. eum enim ante mors perculit, quam de Confessoribus sententiam ferret (5).

IIII. Haec in Africa futurae cladis initia erant: nec alibi minora pericula, aut levior calamitas imminebat. sed Romae tamen ante Severi adventum de Victoris successore deliberare licuit, in cujus locum suffectus est Zephyrinus, vir fortis ac strenuus, quem Optatus Milevitanus Assertorem Catholicae Ecclesiae appellat (6).

(1) Spart. *in Sev. c. XVI*
(2) v. Boll. *T. VI. Iul. p.* 535.
(3) Spart. *ibid. c. XVII.*
(4) *H. E. lib. VI. c.* I.
(5) apud Ruin. *p.* 83. *n. VI.*
(6) *de schism. Donat. lib.* I. *c.* 9.

ANNUS CHRISTIANUS CCIII.

Optato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES hoc anno facti P. Septimius Geta, L. Fulvius Plautianus iterum, ille Severi Aug. frater, hic Antonini Aug. socer. Minucio autem Timiniano Proconsule in Africa mortuo, nondum Senatus miserat, qui provinciam Proconsularem administraret. nam ejus loco *Hilarianum Procuratorem* jus gladii accepisse, Perpetuae Martyris Acta testantur (1). hic porro in illo interregno, ut populi Carthaginiensis gratiam iniret, munus edidisse videtur. testis enim est Tertullianus (2), *sub Hilariano praeside* populum in consessu de Areis sepulturarum, quas Christiani proprias habebant, adclamasse, *Areae non sint:* quo nempe Ecclesiae Coemeteria quoque eriperentur, in quae defunctorum corpora inferebat. quam ille crudelitatem inultam impunitamque non fuisse ostendit; quippe, qui Areas Christianorum esse noluerant, eo anno *Areae ipsorum non fuerunt: messes enim suas non egerunt.*

II. Severus interea, pacato Oriente, Romam redibat: quo in itinere Natalem Getae filii minoris ludis militaribus celebravit (3). eodem autem die, id est nonis Martiis Carthagine etiam spectacula eadem de caussa futura erant, in quibus Hilarianus Perpetuam et socios populo producere meditabatur. atque ea quidem, dum singuli etiamtum in liberis custodiis habebantur, magnum in certamen cum patre venerat, qui unus e tota familia Christianus non erat, et filiam, quam impense amabat, ut in libertatem vindicaret, omni ratione a proposito revocare conabatur. vicit tamen Perpetua, et quum caritate patris magnopere commoveretur, sic pietati satisfecit, nihil ut detraheret religioni. eodem autem tempore tam ipsi quam reliquis catechumenis nova virtus accessit: nam Tuburbitani, opinor, Episcopi diligentia effectum est, ut antequam Carthaginem in vincula traducerentur, salutaribus aquis abluti, puras omnisque labis immunes animas ad martyrium afferrent, a baptismo ad judicem, atque inde in carcerem ducti squalore atque illuvie foedum, summis praeterea loci angustiis intolerabilem. illic magnanimi Confessores martyrii diem laeti expectabant: quos tamen Ecclesia Carthaginiensis omni ope solari nisa est. misit nempe Optatus Episcopus Diaconos suos Tertium et Pomponium, qui eis ministrarent: hique pecunia a custodibus impetraverunt, ut quotidie in laxiorem locum educti, ad aliquot horas libero spiritu et communi luce frui possent. quot exinde dies in vinculis fuerint, minus liquet: neque enim novimus, quo mense conclusi sint. sed quamdiu eos carcer continuit, praeter Diaconorum subsidia, aliis nec levibus malorum solatiis usi sunt: Perpetua in primis et Saturus, miris a Deo visionibus recreati, quas tum litteris ipsi mandaverunt. tum certum sibi instare

(1) apud Ruin. p. 83. n. VI.
(2) ad Scap. c. 3.
(3) Capitol. in Maxim. c. 2.

martyrium certamque victoriam didicere: tum Martyres cognoverunt jam morte sua beatos, qui aliquot ante annis obierant, et Angelus viderunt, de quibus superius diximus, Optato Episcopo et Aspasio Presbytero subiratus. tum etiam ostensus Perpetuae est Dinocrates frater, quem septennem amiserat, primum quidem in tenebris aestuans et sitiens, sordido habitu, et vulnus in ore referens; deinde post diuturnas ipsius preces ac lacrimas jam alius, lucido in loco, mundus, bene vestitus, hilaris, sine vulnere: quo exemplo nihil aptius ac pressius afferri contra eos potest, qui pias defunctorum animas viventium officiis apud Deum juvari negant.

III. Ut vulgatum est, Confessores propediem ad tribunal productum iri, ecce tibi a Tuburbi Perpetuae pater, qui rursus animum filiae tentaret. nec levius huic facilinsve fuit patris senis misericordia et pueri infantis, quam ille commemorabat, urbitate non vinci, quam de ipsa vitae cupiditate ac de mortis terrore triumphare: quum praesertim vel in foro ante judicem ille iterum instaret, infantem filium ostentans, matremque per vim de gradu amotam abduceret. sed hominem demum coërceri Hilarianus jussit: sic tum peracta liberius quaestio est: utque Perpetua et socii rogati, se omnes Christianos esse, eaque de caussa Diis sacrum non facere, invicto animo professi sunt; sententiam in eos Hilarianus pronuncians, singulos damnavit ad bestias, et in carcerem reduci jussit, unde non multo post, Natali Getae Caesaris, quo munus Castrense edi debebat, ad populum producerentur. ex eorum tamen numero ante certamen processit ad superos Confessor Secundulus, maturiore exitu a Deo evocatus ad praemia. ceteri illic, feralem diem alacres laetique opperiebantur, ac Pudentis praepositi carceris facilitate quotidie ad pia colloquia Christianos admittebant: una dolebat atque angebatur Felicitas, non illa quidem supplicii impendentis recordatione sollicita, sed id tantum verita, ne sibi talium Martyrum societas eriperetur. nam quod praegnans esset, legesque in eas animadverti vetarent, quae uterum gererent, futurum sentiebat, ut in alium mensem caedes ejus differretur. ergo puellae vicem miserati reliqui Confessores, triduo ante ludos simul omnes a Deo enixe petierunt, ut tam bonae sodali praesto esset. nec Deus abnuit: nam Felicitas, quae octavo mense ventrem ferebat, post illas preces partus coepit doloribus affligtari, et ante gignendi maturitatem infantem edidit feminam, quam Christiana mulier suscepit, et in filiam educavit. biduo post coena Confessoribus instructa est, quae *libera* dicebatur, id est postrema ante mortem, in publico, multis e populo circumspectantibus: accubuere illi mensae, non ad comissandum, sed ut agapen coenarent; quumque populus curiosius singulos contemplaretur, Saturus in primis sic eum est affatus (4): *Crastinus dies satis vobis non est, quod libenter videtis quod odistis: hodie amici, cras inimici. notate tamen nobis facies nostras diligenter, ut recognoscatis nos in die illo judicii.* quibus ille verbis omnium animos perculit: ex eoque numero multi veterem superstitionem abjecere. subinde

(4) *in Act. n. XVII.*

potior mensa Confessores manebat, ipsa nempe Eucharistia, qua tum omnes ante agonem refectos esse atque ad martyrium fortiter obeundum confirmatos, exploratum habeo. sic enim Ecclesiae consuetudo ferebat, quae Cypriani temporibus maxime elucet. quin ipsa Perpetua, quum in visione buccellam sibi a Pastore dari comperisset, indicium hoc proximi martyrii habuit: quemadmodum his ab ea verbis testatum accepimus: *Et adscendi, et vidi spacium horti immensum, et in medio sedentem hominem canum in habitu pastoris, grandem, oves mulgentem, et circumstantes candidatos millia multa. et levavit caput, et adspexit me, et dixit mihi, Bene venisti, tecnon. et clamavit me, et de caseo, quod mulgebat, dedit mihi buccellam, et ego accepi junctis manibus et manducavi: et universi circumstantes dixerunt Amen. et ad sonum experrecta sum commanducans nescio quid. et retuli statim fratri meo, et intelleximus passionem esse futuram, et caepimus nullam jam spem in saeculo habere.*

III. Sed nunc ipse, qui praeclara Martyrum nostrorum Acta collegit digessitque, audiendus est (5). *Inluxit, inquit, dies victoriae illorum, et processerunt de carcere in amphitheatrum, quasi in caelum, hilares, vultu decori, si forte, gaudio paventes, non timore. sequebatur Perpetua placido vultu et pedum incessu, ut matrona Christi, ut Dei delicata, vigore oculorum dejiciens omnium conspectum. item Felicitas salvam se peperisse gaudens, ut ad bestias pugnaret, a sanguine, ab obstetrice ad retiarium, lotura post partum baptismo secundo. et quum delati essent in portam, et cogerentur habitum induere, viri quidem Sacerdotum Saturni, feminae vero Sacratarum Cereri; generosa illa in finem usque constantia repugnavit. dicebant enim, Ideo ad hoc sponte pervenimus, ne libertas nostra abduceretur: ideo animas nostras addiximus, ne tale aliquid faceremus: hoc vobiscum pacti sumus. Agnovit injustitia justitiam, concessit Tribunus, ut quomodo erant, simpliciter inducerentur. Perpetua psallebat, caput jam Aegyptii* (6) *calcans. Revocatus et Saturninus et Saturus populo spectanti comminabantur de hoc. ut sub conspectu Hilariani pervenerunt, gestu et nutu coeperunt Hilariano dicere, Tu nos, inquiunt, te autem Deus judicabit. ad hoc populus exasperatus flagellis eos vexari pro ordine venatorum postulavit. et utique illi gratulati, quod aliquid et de Dominicis passionibus essent consequuti. Sed qui dixerat, Petite et accipietis, petentibus dedit eum exitum, quem quisque desideraverat. nam si quando inter se de martyrii sui voto sermocinabantur, Saturninus quidem omnibus bestiis velle se objici profitebatur, ut scilicet gloriosiorem gestaret coronam. itaque in commissione spectaculi ipse et Revocatus leopardum experti, etiam super pulpitum ab urso vexati sunt. Saturus autem nihil magis quam ursum abominabatur; sed uno morsu leopardi confici se jam praesumebat. itaque quum aper subministraretur, venator potius, qui illum aprum subministraverat, subfossus ab eadem bestia,*

(5) *ibid. n. XVIII.* (6) *quo cum ante in visione pugnaverat, ut in Act. n. X.*

post dies muneris obiit: Saturus solummodo tractus est. et quum ad ursum substrictus esset in ponte, ursus de cavea prodire noluit. itaque secundo Saturus inlaesus revocatur. Puellis autem ferocissimam vaccam, ideoque praeter consuetudinem comparatam diabolus praeparavit: sexui earum etiam de bestia aemulatus. itaque despoliatae et reticulis indutae producebantur. horruit populus, alteram respiciens puellam delicatam, alteram a partu recenti stillantibus mammis. ita revocatae et discinctis indutae. inducitur prior Perpetua: jactata est, et concidit in lumbos; et ut conspexit tunicam a latere discissam, ad velamentum femorum adduxit, pudoris potius memor, quam doloris. dehinc requisita et dispersos capillos infibulavit. non enim decebat Martyrem dispersis capillis pati, ne in sua gloria plangere videretur. ita surrexit, et elisam Felicitatem quum vidisset, accessit, et manum ei tradidit, et sublevavit illam. et ambae pariter steterunt, et populi duritia devicta, revocatae sunt in portam Sanevivariam. illic Perpetua a quodam tunc catechumeno, Rustico nomine, qui ei adhaerebat, suscepta, et quasi a somno expergita, adeo in spiritu et in ecstasi fuerat, circumspicere caepit, et stupentibus omnibus ait, Quando, inquit, producimur ad vaccam illam nescio quam? et quum audisset quod jam evenerat, non prius credidit, nisi quasdam notas vexationis in corpore et habitu suo recognovisset, et illum catechumenum. exinde accersitum fratrem suum et illum catechumenum adloquuta est eos, dicens, In fide state et invicem omnes diligite; et passionibus nostris ne scandalizemini. Item Saturus in alia porta militem Pudentem exhortabatur dicens, Adsum certe, sicut promisi et praedixi; nullam usque adhuc bestiam sensi. et nunc de toto corde credas: ecce prodeo illo, et ab uno morsu leopardi consumar et statim in fine spectaculi leopardo objectus, de uno morsu ejus tanto perfusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi baptismatis testimonium reclamaverit, Salvum lotum, salvum lotum. plane utique salvus erat, qui hoc spectaculo claruerat. tunc Pudenti militi, Vale, inquit, et memor esto fidei meae, et haec te non conturbent, sed confirment. simulque ansulam de digito ejus petiit, et vulneri suo mersam reddidit ei, hereditatem pignoris relinquens illi et memoriam sanguinis. exinde jam exanimis prosternitur cum ceteris ad jugulationem solito loco. et quum populus illos in medium postularet, ut gladio penetrante in eorum corpora oculos suos comites homicidii adjungeret, ultro surrexerunt, et se quo volebat populus, transtulerunt: ante jam osculati invicem, ut martyrium per sollemnia pacis consummarent. ceteri quidem immobiles et cum silentio ferrum receperunt: multo magis Saturus, qui et prior scalam (7) ascenderat, prior reddidit spiritum: nam et Perpetuam sustinebat. Perpetua autem ut aliquid doloris gustaret, inter costas puncta exululavit, et errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum transtulit.

(7) *scala illa designatur, quam in Perpetuae visione Saturus prior ascenderat. Act. n. iv.*

v. Hactenus qui Acta Martyrum concinnavit, aequalis eorum temporum, ac fortasse illorum exitus spectator et testis. Acta certe ipsi Tertulliano nota fuisse videntur, nedum Augustino et Fulgentio: tum ipse auctor in praefatione, *Et nos*, inquit, *quod audivimus et contrectavimus, annuntiamus et vobis, fratres et filioli.* quaestio tantum est subobscura (8), an hic e Montani sectatoribus fuerit: quippe qui profiteatur, se *prophetias et visiones novas pariter repromissas et agnoscere et honorare*, quales tum Montanistae in sua secta multas jactabant. ceterum nihil hujus caussam juvabant quae hisce in Actis narrantur visiones, nisi et illud ostenderet, Perpetuam et Saturum, quorum visiones referebat, e secta sua fuisse: quod ille nec fecit, nec facere potuit. nihil enim perspicuum magis, quam Martyres illos Catholicos ab omni antiquitate habitos esse: quos et in antiquissimo Kalendario Romano celebrari, et in Canone sacrificali cieri videmus. quapropter aequiores mihi videntur, qui ea auctoris verba sic interpretantur, quasi hoc significare voluerit, Ecclesiam non minus aetate sua, quam primitus, divinis muneribus claruisse, ut prophetae etiamtum atque epoptae essent, quales Apostolorum temporibus exstitere.

vI. Iamvero post praeclarum illum agonem, qui nonas Martias toti Africae sempiterna memoria dignas effecit, corpora ipsa Martyrum, Optati Episcopi admonitu, a Christianis redempta esse, non est ambigendum. mansit enim Carthagine in multas aetates sepulcrum eorum et Basilica insignis honori Perpetuae in primis dicata, quam *majorem* Victor Vitensis appellat (9), et *ubi*, inquit, *corpora sanctarum Martyrum Perpetuae atque Felicitatis sepulta sunt.* iisdem appositi fuerant et socii Martyres; at consuetudo obtinuit, ut Perpetua et Felicitas solae appellarentur: quemadmodum et festus ipse dies earundem tantum nominibus designabatur. *In hoc insignis gloriae comitatu*, inquit Augustinus (10), *etiam viri Martyres fuerunt, eodem ipso die etiam viri fortissimi passione vicerunt, nec tamen eundem diem suis nominibus commendaverunt. quod non ideo factum est, quia feminae viris morum dignitate praelatae sint; sed quia et muliebris infirmitas inimicum antiquum miraculo majore devicit, et virilis virtus propter perpetuam felicitatem certavit.*

vII. Mense Majo vertente Romam pervenit Severus, eodemque mense Decennalia Imperii sui celebravit, cujus annus undecimus kalendis Iuniis incipiebat. eodem tempore Senatus Rufinum Africae Proconsulem designaverat, eum, opinor, qui consulatum cum Laterano gesserat anno CLXXXXVII. idem autem post Severi adventum statim in Africam transmisisse dicendus est. hoc enim anno sub Rufino Proconsule martyrium suum consummavit Carthagine Guddene virgo, cujus Natalem fuisse v. kal. Iulias, docet nos titulus sermonis eo die habiti ab Augustino in Basilica majore (11); docent et quaedam Adonis exemplaria (12): esto,

(8) v. Ors. *Diss. Apolog. de MM. Orthodox.*
(9) *Pers. Vand. lib. I. c.* 3.
(10) *Serm.* 282. *n.* 3.
(11) *Serm.* 294.
(12) Georg. *in Adon. p.* 299.

alia referant XV. kal. Aug. quem quis translati corporis diem esse non immerito existimet. Acta Martyris hodie non habemus; sed ex antiquis Actis, quae in Adone habemus, descripta esse putantur. sunt autem hujusmodi (13): *Apud Carthaginem Natalis sanctae Guddenes virginis: quae Plutiano et Zeta*, id est Plautiano et Geta, *consulibus, jussu Rufini Proconsulis, quater diversis temporibus equulei extensione vexata, et ungularum horrenda laceratione cruciata, carceris etiam squalore diutissime afflicta, novissime gladio caesa est.* ab Hilariano Procuratore, qui per interregnum dominabatur, in carcerem conjectam crediderim, vel etiam a Timiniano Proconsule: siquidem multos menses in vinculis fuit, et diuturno illic squalore contabuit. quod demum Augustinus diem sollemnem Martyris in eadem Basilica, quae Perpetuae dicata erat, celebratum testetur (14), satis indicat, ibidem Martyris corpus compositum fuisse, et quas idem annus caelo intulerat, eodem eas in templo sepulcri honore esse decoratas.

VIII. Romam hoc anno petiit Tertullianus, Ecclesiae, ut arbitror, caussa ad Zephyrinum legatus. Romae quidem se fuisse, quum Parthi et Medi aderant, quos Severus hoc anno captivos triumphi caussa ex Oriente adduxerat, ipse in eo libro significat, quem *de habitu muliebri* inscripsit: *Gemmarum*, inquit, (15) *nobilitatem vidimus Romae de fastidio Parthorum et Medorum ceterorumque Gentilium suorum coram matronis erubescentem.* tum vero contigisse etiam puto, ut apud multos ex Ecclesiae Romanae primoribus propter nimiam ejus severitatem, aut propter subtiliorem doctrinam ac scientiam minime vulgarem suboffenderet, et obtrectatione invidiae alienatus, simultates cum Catholicis primum obscuras, deinde apertas susciperet. nam defectionis ejus hanc affert caussam Hieronymus (16): *Hic*, inquit, *quum usque ad mediam aetatem, Presbyter Ecclesiae, permansisset, invidia postea et contumeliis clericorum Romanae Ecclesiae, ad Montani dogma delapsus.* quos tamen in errores despicientia illum et superbia deduxisse existimanda est, quae hominem sibi plus aequo fidentem, Deo invisum facit, divinorumque auxiliorum, quibus maxime eget, copiam adducit ac contrahit.

(13) *ibid. p.* 340. v. Boll. *T. III. Iul. p.* 359.
(14) *serm.* 294. *n.* 1.
(15) *de cultu fem. lib. I. c.* 6.
(16) *de vir. ill. c.* 58.

ANNUS CHRISTIANUS CCIII.

Optato Episcopo Carthaginiensi

I. L. Fabius Septiminus Cilo iterum, M. Annius Libo consulatum inierunt, hisque Consulibus Ludi Saeculares Romae celebrati post kal. Iunias, anno duodecimo Imperii Severiani, ab Vrbe condita nongentesimo quinquagesimo septimo. at Rufinus Proconsul in Africa pro spectaculis caedes Christianorum edebat. ad hunc annum pertinere crediderim mar-

tyrium Pudentis, quem Ecclesiae Carthaginiensis Kalendarium recenset III. kal. Majas. hic omnino Pudens ille esse videtur miles optio, praepositus carceris, quem Acta Perpetuae commemorant, sanctis Confessoribus plane benevolum, et in Christianos, qui ad carcerem itabant, valde officiosum, ut omnes, qui cum illis colloqui vellent, facile admitteret: cui deinde Saturus, in mortis limine ad Christianam professionem hortatus, *nunc*, dixit, *de toto corde credas*: et cui jam moriens, anulum, quem de digito ejus petierat, in vulnere suo mersum reddidit, provide *hereditatem pignoris relinquens illi et memoriam sanguinis.* hanc scilicet gratiam immortales illi Martyres, officiorum memores, Pudenti retulerunt, ut quem anno superiore docendo atque hortando Christianum fecerant, hoc Martyrem in chorum ipsi suum numerumque reciperent.

II. Duo alii sunt insignes Martyres, quos Ecclesia Carthaginiensis XI. kal. Iunias honorabat, Castus et Aemilius, a Cypriano etiam et Augustino laudati: quorum quidem virtus in primo congressu infirma succubuerat; sed iterato postea certamine victrix, memorabili martyrio nobilitata est. ne horum quidem Acta ad nos pervenere; verum eos praeclaro ornavit ellogio Cyprianus, quum illis ad imitandum proponeret, qui deinde sub Decio turpiter ante tormenta defecerant, excusationemque iis praereptam ostenderet, qua ceteri uti possent, qui flammae vim et carnificum cruciatus experti, corpore magis, quam animo conciderant. *Sic*, inquit (1), *hic Casto et Aemilio aliquando Dominus ignovit: sic in prima congressione devictos, victores in secundo proelio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante cessissent, et unde superati essent, inde superarent. deprecabantur illi non lacrimarum miseratione, sed vulnerum, nec sola lamentabili voce, sed laceratione corporis et dolore. manabat pro fletibus sanguis, et pro lacrimis cruor semiustulatis visceribus defluebat.* Augustinus vero die horum natali sermonem habens ad populum (2), *Iam*, inquit, *de illis gaudebat inimicus in prima congressione, quando cesserunt doloribus, in suis eos partibus computabat, jam exsultabat, jam suos habebat; sed quantum eis concessum est, Domino miserante? alii Martyres Diabolum vicerunt tentantem, isti etiam triumphantem.* horum porro martyria, si minus ad hunc annum, certe ad Severi tempora pertinent: alia enim designare Cyprianus non poterat.

III. Eodem referendi sunt, quos idem inter Celerini Lectoris majores numerat, Celerina, Laurentius, Egnatius. nam de egregio illo Confessore ad Clerum plebemque suam scribens (3), *Per vestigia*, inquit, *cognationis suae graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili divinae dignationis aequatus. avia ejus Celerina jampridem martyrio coronata est: item patruus ejus et avunculus Laurentius et Egnatius, in castris et ipsi quondam saecularibus militantes, sed veri et spiritales Dei milites, dum Diabolum Christi confessione prosternunt, palmas a*

(1) *de Lapsis p. 442. ed. Baluz.*
(2) *serm. 285. n. 4.*
(3) *epist. 34.*

Domino et coronas illustri passione meruerunt. atque horum jam festum Ecclesia Carthaginiensis Cypriano eodem teste celebrabat: *Sacrificia,* inquit, *pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* quae etiam ostendunt, diversis eos diebus lauream adeptos esse, quamquam nunc eos Ecclesia Romana una cum Celerino III. nonas Februarias honorat. in Kalendario Carthaginiensi non apparent, nisi forte in litura latet Egnatius sub finem Iunii mensis: quippe hoc solum legitur, *sancti E.... Martyris.* sed tamen Celerinae nomen apud Carthaginienses illustre erat, cui Basilicam dedicaverant, in qua Augustinus concionatus aliquando est (4), et quam Victor Vitensis (5) sub Genserico Arianorum religioni mancipatam scribit.

III. Huic demum anno adsignandum videtur Rescriptum Severi et Antonini Augg. *de suspectis tutoribus et curatoribus*, quod fortasse nominis Christiani invidia expressum est, quo a tutela curave removeri facilius possent, quos Christianos esse constaret. dubitatum in Africa fuerat, an apud Legatum Proconsulis suspectus postulari posset? rescripsere igitur Augusti, ut in Digestis legimus (6) *Braduae Maurico Proconsuli Africae, Posse, quia mandata jurisdictione, officium ad eum totum juris dicendi transit.* nec vero in nomine Proconsulis haereas, quem nunc Fasti perperam *M. Mauritium Rufinum* appellant. is nempe in veteri inscriptione (7) *M. Valerius Bradua Mauricus Pontifex* dicitur; subinde, ante consulatum, ob aditam hereditatem *Rufinus* quoque nuncupatus est: eamque appellationem Fasti ceteris praeferentes *M. Mauricum Rufinum* nominarunt.

(4) *serm. xxxxvIII.*
(5) *Pers. Vand. lib. I. c.* 3.
(6) *lib. xxvI. Tit. x. l.* 1.
(7) Grut. *p.* 356. *n.* 1.

ANNUS CHRISTIANUS CCV.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Severi filii, Imp. M. Aurelius Antoninus iterum, P. Septimius Geta Caesar hoc anno Consules fuere. eundem Optati Episcopi postremum fuisse, exiguum sane indicium sequuti, fingimus: nam certum nihil et exploratum habemus. quia scilicet hoc anno Tertullianus ab Ecclesia Catholica defecisse videtur, nec raro auctores haeresum a repulsa honorum Ecclesiae bellum aperte indixerunt; in suspicionem venit, Cyri competitorem fuisse Tertullianum, et quod praeteritus esset, indignatum rebellasse: quae si starent, Optati mors huic anno adsignanda erat. ceterum ne ipsa quidem Cyri tempora nota sunt; eumque successorem Optato dedimus, quod ceterorum Episcoporum certiores sunt anni, et locus vacat inter Optatum et Donatum, qui nulli ex aliis Episcopis Carthaginiensibus, quos novimus, tribui possit. nam sermonem illum ab Augustino habitum *de Depositione*

Cyri Episcopi Carthaginiensis, qoem Possidius memorat, jam amisimus: nec alius nobis ex antiquis scriptoribus praesto est, unde lux aliqua taotis io tenebris afferator.

ɪI. Iam vero Tertullianum, qnem Romae anno superiore a Catholicis abalienatum vidimus, eodem tempore io Montani sectam inclinasse credibile est Procli illius, qui et Proculus dicitor, admiratione, quem Romae invenerat plerisque Montaoistarum erroribos patrocinantem. nam hic certe apud eum aodit *Proculus noster, virginis senectae, et Christianae eloquentiae dignitas* (1), ac summis viris, Iostino, Miltiadi, Ireoaeo comparatur; quum eum tamen a Cajo Presbytero Ecclesiae Romaoae tamquam Montaoi sectatorem (2) dispotatione refutatum appareat. hoc deinde animo reversom in Africam, siqoidem tom de Optati successore in Ecclesia Carthaginieosi agebatur, facile eum repulsa impulit, ut ad Montaoistarum castra trausfugeret, et Catholicos demum, quos Psychicos appellare coepit, pro adversariis haberet. huic autem anno defectionem ejus adnectimus, qood iosequenti Scapulam Proconsulem factum arbitremur, ad quem ille librom suom scripsit, quum jam ad haereticos accessisset. nec saoe oova doctrinae soae commenta serius disseminare instituit, quum in libro de Monogamia, quo haeresim aperte defendit, scribere se demonstret *annis circiter* CLX. post Ecclesiae primordia (3), et Paracleti adventom, quem rorsus Montaoo jam et Priscillae Maximillaeque plenius superveoisso aetate soa contendebat. quam vero ad tanti viri casom Catholica Ecclesia exhorroerit, quo omoes boni moerore affecti siot, facile quisqoe intelliget, qui meminerit, qoantum ille apud omnes auctoritate aotea valeret, quam multis dicta ejus et scripta profuissent! cujus eloquentia maxime non minus haereticorum audaciae, quam potentiae ethnicorum furorique restiterat: qoi, quum hostis repente factus esset, multo etiam acrior in laedendo futurus videbatur, quam in defendeodo fortis exstitisset. huc oamque tum recidit illa mens, illa virtus Tertulliani, quem olim Christiaoi omnes suspiciebant, ot qui ad annum plus mious qoadragesimum in Catholica Ecclesia tuenda atque illustraoda iogenium, studium, operam suam magna cum laude posoerat, idem in deflexu aetatis pleraque Montani deliramenta summo cum dedecore amplecteretur; atque haec deinde, novam ipse haeresim et novos errores inducens, alio etiam scelere cumolaret.

ɪɪI. Sed tameo manebant scripta ejos permulta, quae sanus et sibi constans edidisset: quibus eum Catholicus quisque prava docentem refellere, amentiaque delirantem coercere facile posset. ea erant, semel enim recenseri omnia praestat, I. Apologeticus, ɪI. libri duo ad Natiooes, ɪɪI. libellus ad Martyras, ɪɪɪI. Scorpiace, quod alii Scorpiacum appellant, V. opus egregium de Praescriptione Haereticorum, VI. liber de spectaculis, VɪI. de cultu foeminarum, VɪɪI. de Oratiooe, VɪɪɪI. libri duo ad uxo-

(1) *adv. Valentin. c.* 5.
(2) Hieron. *de vir. ill. c.* 59.
(3) *de Monog. c.* 3.

rem, x. liber de Poenitentia, xI. de patientia, xiI. de habitu moliebri, xiiI. de Baptismo, xiiiI. exhortatio castitatis, xv. adversus Iudaeos, xvI. de testimonio animae. atque haec qoidem Tertulliani opera germaoa et proba adhuc exstant. at non haec solum in Catholicorum manibus reliquerat; alia tum terebantur, quae ouoc desideramus. nam et de iocommodis nuptiarum, ut jam monuimus, junior scripserat (4), et Graece de Baptismo Haereticorum (5): item de Trinitate (6), de censu animae (7), de Paradiso (8), de spe fidelium (9), de animalibus mundis et immundis (10), de Aaron vestibus (11), de circumcisione (12), de virginitate (13), de submissione animae (14), de superstitione saeculi (15) et adversus Apellicianos (16), sive Apellitas, ab Apelle dictos, cujus Marcion Tertnlliaoo teste (17) *institutor et praeformator* fuerat. haec, inquam, omoia tnm habebant Catholici, quae Tertulliano ipsi opponerent veteris doctrinae desertori: nam cetera ille, ut ait Hilarius (18), *sequenti errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem:* et Cypriano ipsi, qui viri ingenium et eloquentiam taotopere mirabatur, pudor fuit testimooio ejus et dictis uti, vel qnom maxime coosentiret.

iiiI. Quid praeterea, post Tertnlliaoi casum, Ecclesiae Carthaginiensi grave atque calamitosum acciderit hoc anno, in veterum scriptis consignatum noo reperio. vix tameo credibile est, Rufini crudelissimi Proconsulis secures quievisse; quum et io reliquis provinciis, quarum Praesides mitiores habebaotur, Christianorum vita iu ultimum descrimeo adduceretur. testatum id nobis reliqnit Tertnllianus in libello ad Scapolam Rufini soccessorem. *Nam*, ioqoit (19), *et nunc a praeside Legionis et a praeside Mauretaniae vexatur hoc nomen; sed gladio tenus, sicut a primordio mandatum est animadverti in hujusmodi.* erat autem praeses ille Legioois, quem Romani Legatum appellabaut, in qnem a Caji Aug. temporibus juris etiam dicendi officiom translatom fuerat (20), sed nomeo ejus, itemque Procuratoris Mauretaniae igooramos. nomina contra Martyrnm quoroodam, qoi io Mauretania lauream mernerunt, Fasti Ecclesiae veteres servant: ut quos Ado xiI. kal. Iuoias his memorat verbis: *In Mauretania Caesariensi Natalis sanctorum Timothei, Polii et Eutychii Diaconorum, qui apud praefatam regionem verbum Domini disseminantes, pariter coronari meruerunt.* horum porro, quia aetas ignota est, semel hic meminisse juvat.

v. At hoc anno consignaoda omoino videtur Plautiani Praefecti Praetorio caedes, quem obscuro loco in Africa natum diu Roma Severi Aog. gratia

(4) Hier. *lib. I. adv. Iovin. n.* 13.
(5) Tert. *de Bapt. c.* 15.
(6) Hier. *de vir. ill. c.* 70.
(7) Tert. *de anima c.* 1. 3. 22.
(8) *idem ibid. c.* 55.
(9) Hier. *de vir. ill. c.* 18.
(10) Hier. *epist.* 36. *edit. Vallars.*
(11) *idem epist.* 64.
(12) *idem epist.* 124.
(13) *idem epist.* 22. *n.* 22.
(14) *ex Ind. Agobard.*
(15) *ex eod. Ind.*
(16) Vinc. Lirin. *Comm. c.* 24.
(17) *de Praescr. Haer. c.* 30.
(18) *cap. v. in Matth.*
(19) *ad Scapul. c.* 4.
(20) Tacit. *Hist. lib. iiI. c.* 48. *et D. lib. xxxvI. Tit.* x. *l.* 1.

abutentem, et moltis occisorom spoliis ditatum invita tulerat (21). oec profuit illi, quod Antonioi Aug. socer esset, et Plantillaio filiam Augusti uxorem fecisset. eodem enim auctore iuterfectus est, meritasqoe superbiae ac crudelitatis suae pocoas dedit. quin et oomen ejus, quod auiea vel in Augustorum titolis legebator, iu qnibus *Necessarius Augustorum* aodiebat *et comes per omnes expeditiones eorum* (22), ubiqoe deletum est. eundem Plautiauom parum Christianis aequum haud injuria putaveris: quum Severo absente, et ipso Romae dominante, saepe io Christiaoos saevitum esse videamus.

(21) Herodian. *lib. III. c.* 10. v. et Valesii *Excerpta p.* 736.

(22) v. Fontan. *de Antiq. Hort. lib. I. c.* 3. *n.* 3.

ANNUS CHRISTIANUS CCVI.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM hoc anoo coosequuti suut M. Nummins Annins Albinos, Fulvius Aemiliauus. his Consulibns sententiam a Cyro Episcopo adversns Tertollianom prolatam esse, qua illi sacris omoibns interdiceretur, mioime ambigendum est. id oimirum significare ipse videtor, quum sectae suae jejunia defendeos, *Novitatem*, inquit (1), *objectant, de cujus inlicito praescribant, aut haeresim judicandam, si humana praesumptio est; aut pseudoprophetiam pronuntiandam, si spiritalis indictio est: dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter adnuntiamus.* idem etiam indicat, ubi ait (2), *Monogamiae disciplinam in haeresim exprobrant:* et ubi se a Catholicis divisum profitetur, *Nos,* ioqoiens (3), *agnitio Paracleti atque defensio disjunxit a Psychicis.* nec saue fas erat Episcopo ea silentio dissimulare, quae Tertullianus docere palam molirique coeperat; praesertim quum viri auctoritas nova praecepta tueretur, et nomiuis ipsins fama plebs in errorem facile adduci posset: plurimum etiam in eo homine severitatis ioesset, quae saepe virtutem emeotitur; oec doctrina ejus oisi ardnum quid atque perfectnm praeseferre videretor. primum eoim adsiduus castimoniae laudator nuptias secundas damnabat, et illicitas pronunciaos, Monogamiam tantum Christianis permissam edicebat. jejunia. idem nova, xerophagias et stationes inducens, delicta Christianorum maxime aversabatur, negabatqne datum Ecclesiae, ut capitalia crimina, quae quis a baptismo admisisset, poenitenti coudouaret. eorom etiam cousilium, qui imbecillitatis suae conscii fugam arripuissent, ne in ethnicorum adducti potestatem, mortis metu fidem Deo obligatam frangerent, ita improbabat, ut majore scelere teueri diceret, quam eos, qni in tormeotis defecissent. atque haec a Moutani Paracleto se edoctum jactabat, cui in primis, sociisque ejus Priscillae Maximillaeque tamquam

(1) *de Iejun. c.* 1.

(2) *de Monogam. c.* 1.

(3) *adv. Prax. c.* 1.

prophetis omnia divinitus novissimis temporibus monstrata esse ajebat, quo Christianorum virtus aliquando adsurgeret, et quae Ioel propheta, quae Christus ipse de Ecclesia sua vaticinatus esset, tum denique complerentur. quamobrem nihil magis interesset, quam ut Ecclesia statim auctoritatem suam interponeret, et audacia mature coërcita, plebem in officio contineret.

II. Dum haec Carthagine calebant, Romae Senatus novum Africae Proconsulem jam designarat. is erat Q. Flavius Scapula Tertullus; sic enim in veteri inscriptione appellatur (4): qui consulatum gesserat cum Tineio Clemente, anno CLXXXXV. quam ferus hic esset, quamque infesto in Christianos animo ad provinciam administrandam accessisset, brevi patefactum est crudelissimo supplicii genere, quod illi familiare esse coepit. nam in eo libello, quem deinde Scapulae ipsi obtulit Tertullianus, hanc Christianorum poenam fuisse discimus, ut igne absumerentur (5). *Pro tanta*, inquit, *innocentia, pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur: quod nec sacrilegi, nec hostes publici, verum nec tot majestatis rei pati solent.* idem supplicii genus illa indicant apud eundem in fine Apologetici: *Licet nunc Sarmenticios et Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti Sarmentorum ambitu exurimur. hic est habitus victoriae nostrae, haec palmata vestis, tali curru triumphamus.* ceterum prima Proconsulis victima Mavilus Adrumetinus fuit, quem in ipso itinere, quum Adrumetum appulisset, nondum rogos et pyras meditatus, damnavit ad bestias. cujus ille caedis jamtum poenas ex parte dedit, quas subobscure his indicat verbis Tertullianus (6): *Tibi quoque*, inquit, *optamus admonitionem solam fuisse, quod quum Adrumeticum Mavilum ad bestias damnasses, et statim haec vexatio subsequuta est, et nunc ex eadem caussa interpellatio sanguinis.*

III. Proconsulatu his auspiciis a Scapula incohato, planum est, omnes passim Christianos terrore esse commotos; quique Rufino ex Africa abeunte tranquillitatem redituram speraverant, satis intellexisse, alios sibi labores, alia pericula subeunda. quare praecipuam Episcoporum curam fuisse existimandum est, ut trepidos plebis animos confirmarent, ejusque rei caussa jejunia et supplicationes indicerent. vetus enim haec fuit Ecclesiarum consuetudo, quam et in Africa obtinuisse, Tertullianus etiam, etsi jam transfuga et hostis, luculenter testatur (7): *Bene*, inquit, *quod et Episcopi universae plebi mandare jejunia adsolent, non dico de industria stipium conferendarum, ut vestrae capturae est; sed interdum et ex aliqua sollicitudinis Ecclesiasticae caussa.* quibus ille verbis, dum Catholicos Episcopos, quos jam oderat, avaritiae insimulat, morem etiam antiquum pecuniae in calamitosorum solatium corrogandae repetit, quam semper Christiani ad levandas miserorum aerumnas libentissime profuderunt.

(4) Grut. *p.* 1027. *n.* 4.
(5) *ad Scap. c.* 4.
(6) *ibid. c.* 3.
(7) *de Iejun. c.* 13.

ANNUS CHRISTIANUS CCVII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Hunc annum M. Flavius Aper, Q. Allius Maximus Consules incoharunt: quem calamitatibus ostentisque Africae funestum fuisse, Tertullianus nos docet. nam in libro ad Scapulam, quem anno insequenti emisit, quum eum a crudelitate deterreret, *Ceterum*, inquit (1), *et imbre anni praeteriti, quid commeruerit genus humanum, apparuit, cataclysmum scilicet et retro fuisse propter incredulitatem et iniquitates hominum: et ignes, qui super moenia Carthaginis proxime pependerunt per noctem quid minati sint, sciunt qui viderunt, et pristina tonitrua quid sonuerint, sciunt qui obduruerunt. omnia haec signa sunt imminentis irae Dei, quam necesse est, quoquo modo possumus, ut et adnuntiemus et praedicemus. deprecemur interim localem esse: universalem enim et supremam suo tempore sentient, qui exempla ejus aliter interpretantur. nam et sol ille in conventu Uticensi, extincto pene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate et domicilio. habetis Astrologos.* porro eclipsin hanc Solis tabulae Astronomorum hoc anno exhibent pridie idus Majas, quum Sol in meridie esset (2), quod *hypsoma* Tertullianus vocat, quia tum altissimus Solis adspectus est: quamquam male portentum habuit, quod eclipsis meridie visa esset. Solis enim radios lunae interpositu auferri Africae necesse fuit, quia tum in centrum Solis incidebat. atque haec illa est temporis nota, quae Scapulam hoc anno jam Proconsulem fuisse nobis declarat: neque enim ulla insequentium annorum eclipsis in centrum vergens meridiana fuit: qualem in tractu Uticensi visam tum esse, Tertullianus affirmat. porro haec inter, turbatis perdiu elementis, captum, credibile est, cetum immensae magnitudinis, cujus costas in publico fixas memorat Augustinus (3), ad declarandum cuique, quantum belluae illius marinae corpus fuisset: quo quidem exemplo ille usus est in quaestionibus contra Paganos, qui transvorati Jonae factum multo cachinno irridebant.

II. At vero Proconsul ea omnia susque deque habuit, et in proposito susceptoque consilio permansit. Acta quidem amisimus Martyrum, qui eo tempore Africanam Ecclesiam illustravere: sed magnam Christianorum factam tum esse caedem, multosque igne combustos, Tertullianus significat in eo libello, quem hoc anno exarabat. in quo etiam Scapulam de ingenti numero Christianorum admonet, quos sine provinciae excidio delere non posset: *Quid facies*, inquit (4), *de tantis millibus hominum, tot viris ac feminis, omnis sexus, omnis aetatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? quid ipsa Carthago*

(1) *ad Scap. c.* 3.
(2) v. *l'Art de verif. les dates. p.* 55. *edit.* 2.
(3) *epist.* 102. *quaest. sexta.*
(4) *ad Scap. c.* 4.

passura est, decimanda a te, quum propinquos, quum contubernales suos unusquisque cognoverit, quum viderit illic fortasse et tui ordinis viros et matronas, et principales quasque personas et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos? inter eos autem, qui hoc anno palmam tulerunt, nomen ad nos pervenit Rutilii Martyris, quem Ecclesia Romana honorat IIII. non. Aug. vices ejus felicemque exitum descripsit Tertullianus, quum opus illud suum *de fuga in Persequutione* componeret, quod ejusdem Martyris exemplo refutabatur. *Rutilius*, inquit (5), *sanctissimus Martyr, quum totiens fugisset persequutionem de loco in locum, etiam periculum, ut putabat, nummis redemisset, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, et praesidi oblatus, tormentis dissipatus, credo, pro fugae castigatione, dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiae Dei retulit.* enimvero cum Rutilio alios Confessores martyrium suum consummasse credibile est. nam vetusta Martyrologia ejusdem meminisse videntur XII. kal. Martias, quamquam *Rutulum* potius appellant. socios autem ei addunt Silvanum (6), Classicum, Secundinum, Fluctulum, Damasum. et auget numerum codex Reginae Christinae, in quo scriptum est, *In Africa Natalis sanctorum Rutuli, Silvani et aliorum duodecim.* ceterum in antiquis hujusmodi Fastis, quod maxime dolendum est, incredibilis quidem Martyrum Africanorum occurrit numerus, ut prope tertio quoque die aliquorum memoria celebretur; at vix unquam vel tempus vel locus saltem certaminis enunciatur: ut praeter Martyrum nomina, quae saepe vexata atque incerta sunt, nihil fere ex iis exploratum, nihil definitum habeamus (7).

III. Post kalendas Iunias hujus anni, post quas incipiebat annus Imperii Severiani decimus quintus, manum Tertullianus admovit operi, quod contra Marcionem edidit, in libros quinque tributum: in horum enim primo annum ipse *jam decimum quintum Severi Imperatoris* commemorat (8). nescio quid antea adversus eundem luserat, quum inter Catholicos versaretur; subinde iterum incohatum opus ante in vulgus venerat, quam ipse perfecisset. itaque tertio se ad scribendum contulit, ut hos demum libros esse ostenderet, qui sibi probarentur. *Novam*, inquit (9), *rem aggredimur ex vetere. primum opusculum quasi properatum pleniore postea compositione rescideram: hanc quoque nondum exemplariis suffectam, fraude tunc fratris, dehinc apostatae, amisi; qui forte descripserat quaedam mendosissime, et exhibuit frequentiae. emendationis necessitas facta est: innovationis ejus occasio aliquid adjicere persuasit. ita stilus iste nunc de secundo tertius, et de tertio jam hinc primus hunc opusculi sui exitum necessario praefatur, ne quem varietas ejus in disperso reperta confundat.* sed qui Marcionem egregie atque impia illius commenta refutabat, haerebat idem in Montano suo,

(5) *de fuga in Pers. c.* 5. v. Bolland. *T. I. Aug. p.* 149.
(6) v. Florent. *Martyr. p.* 330.
(7) v. *ad calcem Martyrol. Africanum.*
(8) *adv. Marcion. lib. I. c.* 15.
(9) *ibid. c.* 1.

ponebatque modum nubendi; *quem*, inquit in eodem libro (10), *apud nos spiritalis ratio, Paracleto auctore, defendit, unum in fide matrimonium praescribens:* novam etiam prophetiam suam inculcabat (11), quam Ezechielis et Ioannis Apostoli vaticiniis aequare audebat.

(10) *ibid. c.* 29. (11) *ibid. lib.* III. *c.* 24.

ANNUS CHRISTIANUS CCVIII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hujus anni ex Augusti domo rursum ambo prodiere, Imp. M. Aurelius Antoninus Aug. III. P. Septimius Geta Caesar II. qui deinde a patre ipse etiam Augustus est appellatus. at in Africa res Christianae sub Proconsule Scapula non admodum laetae erant. nam etsi Ecclesia tota ob praeclaras Martyrum mortes maximo identidem gaudio afficiebatur, caussae quoque luctus exsistebant ingentes, deficientibus medio in certamine athletis ejus, quos ad martyrium studiosissime instituisset. quo pertinet narratiuncula Tertulliani acerba sane atque vehemens, in qua Catholici cujusdam imbecillitatem ignobilemque casum vitio Ecclesiae vertit large nimium opipareque Confessoribus carcere inclusis convivia paranti: quam idem tamen ab hoc ipso studio curaque ante laudaverat (1). ita nempe Catholicos, jejunia sua celebrans, ille adloquitur (2): *Plane vestrum est, in carceribus popinas exhibere Martyribus incertis, ne consuetudinem quaerant, ne taedeat vitae, ne nova abstinentiae disciplina scandalizentur, quam nec ille pristinum vester non Christianus Martyr attigerat; quem et facultate custodiae liberae aliquamdiu fartum omnibus balneis quasi baptismate melioribus, et omnibus luxuriae secessibus quasi Ecclesiae secretioribus, et omnibus vitae istius illecebris quasi aeternae dignioribus, hoc puto obligatum ne mori vellet, postremo ipso tribunalis die, luce summa, condito mero tamquam antidoto praemedicatum ita enervastis, ut paucis ungulis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat, quem Dominum confiteretur, interroganti praesidi respondere non potuerit amplius: atque ita de hoc jam extortus, quum singultus et ructus solos haberet, in ipsa negatione digessit.* nec vero desertorum hujusmodi et transfugarum, quos Tertullianus *paleas negatorum* appellat (3), exiguus tum numerus fuisse videtur, quum in illud denique consilium Ecclesiae tum aliquot devenerint, ut pecunia viritim corrogata, securitatem ab ethnicis impunitatemque pretii pactione redimentes, in commune consulerent. quod Tertullianus id temporis, quum ne in privatis quidem ferendum hoc duceret, ex sententia sua vehementer improbabat: quasi vero Christianis haud esset in laude ponendum, defectionis periculum auro depellere, et professionis suae libertatem pecuniae anteponere.

(1) *lib. ad Martyr. c.* 1.
(2) *de Iejun. c.* 12.
(3) *de fuga in Persec. c.* 1.

Parum, inquit (4), *denique est. si unus aut alius ita eruitur: massaliter totae Ecclesiae tributum sibi irrogaverunt. nescio, dolendum an erubescendum sit, quum in matricibus Beneficiariorum et Curiosorum, inter tabernarios et lanios et fures balnearum et aleones et lenones Christiani quoque vectigales continentur.*

II. Verum qui haec contra Catholicos tam severus censor declamitabat, idem jam inter Montanistas facile princeps, misere, tamquam anus delira, desipiens, mulierculam magistram non dedignabatur. ecce enim tibi quanti faciebat feminam e secta praestigiatricem: *Nam quia*, inquit (5), *spiritalia charismata agnoscimus, post Ioannem quoque prophetiam meruimus consequi: est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica sollemnia per ecstasin in spiritu patitur; conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, et videt et audit sacramenta, et quorundam corda dignoscit, et medicinas desiderantibus submittit. jam vero prout Scripturae leguntur, aut psalmi canuntur, aut adloquutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiae visionibus subministrantur. forte nescio quid de anima disserueramus, quum ea soror in spiritu esset. post transacta sollemnia dimissa plebe, quo usu solet nobis renunciare quae viderit, nam et diligentissime digeruntur, ut etiam probentur, inter cetera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, et spiritus videbatur, sed non inanis et vacuae qualitatis, immo quae etiam teneri repromitteret, tenera et lucida, et aerii coloris, et forma per omnia humana.* hactenus Tertullianus, verum serio se loqui arbitratus, qui olim inter Catholicos haec omnia ineptias et commenta habuisset, ipsamque feminam poena coercendam existimasset.

(4) *ibid. c.* 13. (5) *de Anima c.* 9.

ANNUS CHRISTIANUS CCVIII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. SIGNANT hunc annum Consules M. Aurelius Pompejanus, Lollianus Avitus: quem Scapula Proconsulatus sui tertium in Africa agebat. quum autem hic brevi de provincia sibi esse decedendum intelligeret, et crudelitati nimium jam indulsisset; reliquum tempus avaritiae explendae tribuisse putandus est: ut qui sanguine nihil profecerat, auro Christianorum dives in urbem reverteretur. Martyrum certe, qui hoc anno decertarint, nusquam mentionem fieri reperio: nec vero dubitandum est, tributa illa Ecclesiarum, quae Tertullianus commemorat, ad Scapulam pervenisse, cujus e nutu consensuque ea, quam sibi comparabant, tranquillitas securitasque pendebat. illud tantum ignoramus, quamdiu quaestu illo praedaque usus sit: neque enim de successore ejus quidquam accepimus: utque aliquando Proconsules triennio citius revocabantur, sic quosdam ultra quinquennium

cum imperio fuisse constat: quorum e numero Gordianus fuit, qui in Africa Augustus dictus est.

II. Circa haec tempora Tertullianus librum adversus Praxeam emisit, quod rursum novitatis auctor multos in errorem inducebat. *Aliquandiu*, inquit (1), *per hypocrisin subdola vivacitate latitavit, et nunc denuo erupit: sed et denuò eradicabitur.* porro in eo se quidem *instructiorem* dicit *per Paracletum deductorem omnis veritatis;* sed tamen haeresim Praxeanam strenue refutat, optimis sacrarum litterarum auctoritatibus summum augustae Trinitatis mysterium explicans, quod Praxeas, divinam inhumanationem Patri tribuens, penitus pervertebat. scripsit et contra Hermogenem materiae aeternae adsertorem, ac adversus Valentinianos aeonas illos suos similesque ineptias somniantes: quibus in libris mira Tertulliani eruditio maxime elucet.

(1) *adv. Prax. c.* 1.

ANNUS CHRISTIANUS CCX.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum kal. Ian. iniere Man. Acilius Faustinus, Triarius Rufinus: et in hujus subinde locum suffectus est C. Caesonius Macer Rufinianus, qui postea Proconsulatum in Africa gessit (1). per haec tempora Tertullianus, ut philosophum se Christianum jactaret, rejecta toga pallium sumpserat: qua de re Carthaginienses, quum inter se cavillari jocarique coepissent, facile eum impulerunt, ut libellum *de Pallio* scriberet, et consilium illud suum habitumque defenderet. annum hunc indicare ipse videtur, quum ait (2), *Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit praesentis Imperii triplex virtus! Deo tot Augustis in unum favente, quot census transcripti? quot populi repugnati? quot ordines illustrati? quot barbari exclusi?* quibus plane verbis tres simul Augustos superstites designat, Septimium patrem et Antoninum ac Getam filios, quos ille iisdem titulis decorarat: nec minus Britannicum bellum confectum, et murum in Britannia ad barbaros Romanis finibus excludendos hoc anno absolutum (3). in ipso autem libri exordio pacata etiam Christianis tempora significare dixeris, quum hos quoque sine dubio appellet, et Christianum praeterea se omnibus profiteatur. *Principes*, inquit (4), *semper Africae, viri Carthaginienses, vetustate nobiles, novitate felices, gaudeo vos tam prosperos temporum, quum ita vacat et juvat, habitus denotare. pacis haec et annonae otia · ab Imperio et a caelo bene est.* atque idem librum sic conclusit: *Gaude Pallium, et exulta: melior jam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire coepisti.*

(1) Grut. *p.* 381. *n.* 1.
(2) *de pall. c.* 2.
(3) Spart. *in Sev. c.* 18.
(4) *de pall. c.* 1.

11. Iam et Minucii Felicis commemoranda virtus est, qui praeclarum nobis libellum reliquit doctrinae ejus religionisque testem, cui nomen fecit Octavium. in eo enim magnam disputationem complexus est, quae se judice habita fuerat inter Octavium Ianuarium virum Christianum et Caecilium Natalem ethnicum apud Coloniam Ostiensem, sub autumni initium, quum feriae essent. eam ad hunc annum pertinere, non levi indicio significare ipse Octavius videtur, recentia, ut apparet, Christianorum exempla commemorans, qui mortem pro Christo fortiter oppetierant. *Quam pulcrum*, inquit (5), *spectaculum Deo, quum Christianus cum dolore congreditur, quum adversum minas et supplicia et tormenta componitur? quum strepitum mortis et horrorem carnificis irridens insultat?* et paullo post, *Pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt.* nec vero longe abit Caecilius, qui cadem illa crimina Christianis exprobrat, quae aliquot ante annis Tertullianus in Apologetico suo refutarat (6). ii porro, quos Minucius colloquentes inducit, tum ipse dialogi scriptor, minime externi erant, sed ad Africam nostram spectabant. ac Minucius quidem Romae jamdiu versabatur, qua in urbe insignem causidicum eum fuisse testatur Hieronymus (7). sed Afrum tamen se prodit, genus illud scribendi sequutus, quod Tertulliano, Cypriano, Arnobio commune fuit. Afrum etiam agnoscere quis possit, quod Romae Numidam hominem domi forisque lateri suo inhaerentem haberet (8); tum quod et Tertullianum Minucius, et Minucium Cyprianus in scribendo saepe sit imitatus, multaque uterque ex altero delibarit. ex eadem Africa fuisse Octavium et Caecilium, ex dialogi verbis manifestum est. nam Caecilius, quum Frontonis Cirtensis testimonio uteretur, ait (9), *Id etiam Cirtensis nostri testatur oratio:* quibus verbis se, opinor, et socios colloquentes ex eadem provincia esse indicavit. is autem colloquii illius exitus fuit, ut Octavius superstitione ethnicorum impugnata, divinaeque doctrinae summa proposita, Caecilium sensim sibi conciliaret, atque ad Christianam professionem traduceret. atque hic Caecilius ille esse (10) putatur, quem deinde Cyprianus Carthaginiensis magistrum habuit, et Christianae institutionis auctorem: cujus de nomine propterea Caecilius Cyprianus est appellatus. omnia certe mirum in modum consentiunt, nomen utriusque, patria, aetas, tempus, eruditio, religio: ut divino sane consilio conventus ille Minucianus ad Ostiam habitus videatur, ne deesset, qui tantum Africae doctorem tamque insignem Martyrem informaret. ipse autem Caecilius quo anno Carthaginem migraverit, frustra quaeras. eam tamen urbem inter Presbyteros Carthaginienses cooptatus ad mortem usque incoluisse videtur (11). *Venerabilem sacerdotem* eum aliquando appellatum legas (12). at in Martyrologio Ro-

(5) *in Octav. c.* 37.
(6) *ibid. c.* 9.
(7) *de vir. ill. c.* 58.
(8) *in Octav. c.* 3.
(9) *ibid. c.* 9.
(10) v. Baron. *ad an.* 211. *n.* 2.
(11) v. *infra ad an.* 256. *n.* 4.
(12) v. Papebr. Bolland. *Iun. T. I. p.* 270.

mauo *Sanctus* quoque dictus est, ab aevo tamen Gregorii XIII. Pont. Max. quo tempore nomen ejus Fastis illis insertum est.

ANNUS CHRISTIANUS CCXI.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum hoc anno inierunt Q. Epidius Rufus Lollianus Gentianus, Pomponius Bassus, hisque Consulibus Eboraci in Britannia decessit Severus Aug. anno Imperii decimo octavo: cujus illud fertur memorabile in exitu vitae dictum, *Omnia fui, et nihil expedit* (1). morte ejus pleramque Africam indoluisse credibile est: nam et *Indulgentia* ejus erga Carthaginienses antiquis in nummis celebratur, et Tripolitanos in primis (2) unde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus securissimos reddidisse dicitur, eosque etiam oleo gratuito et foecundissimo agro donasse.

II. Ceterum a Severi morte satis tuta Christianis pax esse coepit, ut jam ad usitatos conventus redire, et stata sollemnia repetere fas esset. nam antea quidem et raro et pauci conveniebant. *Numquid*, ait Augustinus (3), *quando fugiebant Christiani, persequentibus inimicis idololatris, fiebant congregationes et jubilationes Deo? numquid concinebantur hymni de Ecclesiis Dei, qui solent in pace concini, dulcique concentu fraternitatis Dei auribus personari?* datum vero tum aliquid et communi laetitiae est, solutis jam metu animis, et convivia inter Catholicos mutua instaurari coepta, quo sibi invicem partam tranquillitatem gratularentur. quae tamen Tertullianus, jejuniorum novorum et xerophagiarum auctor, vehementer improbabat, Apostoli monitum vel oblitus, vel male interpretatus. hinc illa apud eundem adversus Catholicos de disciplinae suae vetustate gloriantes, et Montanistarum novitatibus obstrepentes: *Vetus es,* inquit (4), *vera si velimus dicere, tu qui tantum gulae indulges, et merito te priorem jactitas: semper agnosco snpere Esau venatorem ferarum; ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimae disciplinae tuae venis, ita spiritu deficis. si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero, statim totos primatus tuos vendes: apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet.*

III. Atqui sua quoque Iejunia Catholicis erant, quae Tertullianus idem in Apologetico antea commendaverat: *Nos vero*, tum ajebat (5), *jejuniis aridi, et omni continentia expressi, ab omni fruge dilati, in sacco et cinere volutantes, invidia caelum tundimus, Deum tangimus.* quibus et religioni fuisse Quadragenarium Iejunium, nemo jure dubitaverit, esto

(1) Spart. *in Sev. c.* 19.
(2) *idem ibid. c.* 18.
(3) *in psalm.* 43. *n.* 15.
(4) *de Iejun. c.* 17.
(5) *Apolog. c.* 40.

ipsam *Quadragesimam* veteres Africae Patres non memorent: rem enim eandem designat Tertullianus, quum ait (6), illos dies a Catholicis putari jejuniis determinatos, *in quibus ablatus est sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abolitis legalibus et propheticis vetustatibus.* tum Hieronymus Marcellam de secta Montanistarum edocens (7), *Nos*, inquit, *unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto nobis orbe congruo, jejunamus: illi tres in anno faciunt Quadragesimas.* illud potius Catholicorum plerique jam minus servabant, quod primis Ecclesiae temporibus praescriptum Christianis fuerat, uti se abstinerent *a suffocatis et sanguine* (8): quod tamen a multis etiamtum per Africam factitatum, Tertullianus ipse alias indicaverat (9). quo etiam pertinet Octavii dictum apud Minucium (10), *Tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* quaestionem nimirum per haec tempora exstitisse arbitror inter Catholicos et Montanistas, et librum a Catholico emissum satis acrem, quo tota Montanistarum doctrina de jejunio refelleretur. nimis enim accurate singula, quae objiciebantur, Tertullianus recenset, ut e scripto desumpsisse videatur. inter quae Catholicus hoc quoque contendebat (11), *Xerophagias esse novum affectati officii nomen et proximum ethnicae superstitioni; quales castimoniae Apim, Isidem et magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant: quum fides libera in Christo ne Iudaicae quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat, semel in totum macellum ab Apostolo admissa, detestatore eorum, qui sicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abstinere a Deo conditis.*

IIII. Sociae jejuniorum Stationes erant, quae, ut Tertullianus docet (12), de militari exemplo nomen acceperunt. agebantur per hebdomadas singulas feria IIII. et VI. hora autem diei nona et jejunio et Stationi finem imponebat. itaque in Actis Fructuosi Episcopi Tarraconensium legimus (13), quum is ad martyrium hora diei quarta in amphitheatrum duceretur, et poculum ei et sociis oblatum a Christianis esset, respondisse, *Nondum est hora solvendi jejunii;* additurque, *Siquidem in carcere quarta feria Stationem sollemniter celebraverant.* verum Montanistae, quod Catholici reprehendebant (14), plerumque in vesperam producere consueverant: easque lege praescriptas dictitabant, quae contra Catholicis liberae erant: quare Tertullianus quoque ante scripserat (15), *Similiter et Stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod Statio solvenda sit accepto corpore Christi.* quae in eos dicta sunt, qui hoc jejunio minus convenire putabant: adjecit enim, *Ergo devotum*

(6) *de Iejun. c.* 2.
(7) *epist.* 41.
(8) *Act. Ap. c. xv. n.* 20.
(9) *in Apolog. c.* 9.
(10) *in Dial. c.* 30.
(11) *de Iejun. c.* 2.
(12) *de Orat. c.* 14.
(13) apud Ruinart. *p.* 192. *memorat August. serm.* 273.
(14) Tertull. *de Iejun. c.* 1.
(15) *de Orat. c.* 14.

Deo obsequium Eucharistia resolvit? an magis Deo obligat? nonne sollemnior erit Statio tua, si et ad aram Dei steteris? accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est et participatio sacrificii et exequutio officii. ipsum nempe jejunium hic *Stationem* appellat, quod sanctius fore ait praesentia Mysteriorum. animadverte tamen, non defuisse, qui ultra horam nonam jejunium, Catholici quum essent, sponte producerent, idque tanta religione, ut mysteria ipsa participando frangi existimarent.

ANNUS CHRISTIANUS CCXII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hujus anni duo Aspri fuere, M. et P. qui ambo e gente Iulia fuisse feruntur: quamquam Marcus in Fastis quibusdam Pompejus dicitur. caesus hoc anno est Geta Aug. Antonini fratris manu, qui exinde Imperium solus crudelissime administravit, unis aequus Christianis, qui eo Imperatore pacem agitaverunt.

II. Sed tamen in Africa haud levem Ecclesiae molestiam exhibebant Montanistae, Tertulliano in primis suffragatore, cujus scripta in dies crescebant. horum e numero fuere, quae Hieronymus quidem novit, sed vetustas deinde delevit: *Tertullianus*, inquit (1), *sex voluminibus adversus Ecclesiam editis, quae scripsit περι εκςασεως, septimum proprie adversus Apollonium elaboravit, in quo omnia, quae ille arguit, conatur defendere.* nam *εκςασιν* in veris Prophetis non agnoscebant Catholici: Propheta, inquit Hieronymus (2), *et adversum Montani dogma perversum intelligit quod videt; nec ut amens loquitur, nec in morem insanientium feminarum dat sine mente sonum.* multa autem Apollonius Antistes Ephesiorum de moribus etiam Montani et insanarum vatum vulgaverat, quae nemo facile refutaret: e quibus haec a Hieronymo excerpta (3): *Si negent*, ajebat, *eas accepisse munera, confiteantur non esse Prophetas, qui accipiunt: et mille hoc testibus approbabo. sed et ex aliis fructibus probantur Prophetae. dic mihi, crinem fucat Prophetes? stibio oculos linit? Prophetae vestibus et gemmis ornantur? Prophetes tabula ludit et tesseris? Propheta foenus accipit? respondeant, utrum hoc fieri liceat, an non: meum est approbare quod fecerint.* scribere porro haec se, idem testatur, quadragesimo post anno, ex quo haeresis Cataphrygarum exordium habuisset: unde liquet, libros Apollonii ante hunc annum emissos esse: itaque hoc et proximis annis Tertullianum operam suam in iis refutandis posuisse.

III. An idem et contra Soterem Pontificem maximum scripserit, qui primus Montanistarum deliramenta rejecisse perhibetur, controversia est.

(1) *de vir. illustr. c.* 40.
(2) *in Prol. ad Abac.*
(3) *de vir. illustr. ibid.*

nam auctor quidem Praedestinati, *Scripsit*, inquit (4), *contra eos librum sanctus Soter Papa urbis, et Apollonius Ephesiorum Antistes: contra quos scripsit Tertullianus Presbyter Carthaginiensis: qui, quum omnia bene et prime et incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem supradictum urbis Papam, asserens falsa esse de sanguine infantis, Trinitatem in unitate Deitatis, poenitentiam lapsis, mysteriis eijsdem unum Pascha nobiscum.* verum nec Hieronymus Soteris aut Tertulliani librum hujusmodi commemoravit, nec satis perspicua, quae ab eo pro Montano contra Soterem adseria dicuntur.

(4) apud Sirm. *T. I. haer.* 26. v. Coustant. *Epist. Rom. Pont. p.* 79.

ANNUS CHRISTIANUS CCXIII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus Imp. M. Aurelium Antoninum Aug. IIII. P. Caelium Balbinum II. quem alii Decimum Caelium appellant. quo tum loco Ecclesiae res in Africa essent, historia silet. at Episcopis tum maxime curae fuisse, ut creditum sibi populum propositis majorum exemplis ad virtutem et sanctimoniam revocarent, non modo officii ratio, sed ipsa etiam temporum tranquillitas persuadet. ac Tertullianus quidem Cyrum nobis describere videtur veteri ritu eos in Ecclesiam recipientem, qui ob admissa scelera abjecti, vitam in moerore luctuque poenitentes traduxerant. *Et tu quidem*, inquit (1), *poenitentiam moechi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, conciliciatum et concineratum, cum dedecore et horrore compositum, prosternis in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum, quantis potes misericordiae inlecebris, bonus pastor et benedictus Papa concionaris, et in parabola ovis capras tuas quaeris, tua ovis ne rursus de grege exiliat, quasi non exinde jam liceat, quod nec semel licuit: ceteras etiam metu comples quum maxime indulgens.* quod si non deerant, qui tantam poenam tamque gravem expiandorum criminum caussa patienter subirent, quanto expeditiores ad cetera pietatis officia Christianos tum fuisse existimandum est, in quibus suavitatis plurimum laetitiaeque erat?

II. Huic anno, aut certe proximis adsignanda est Caji Presbyteri Romani Disputatio adversus Proculum Montanistarum fautorem, cujus artibus captum Tertullianum sectae illi nomen dedisse scripsimus. ea Romae habita sub Zephyrino, ac deinde litteris consignata: quam Eusebius se legisse significat (2). de ipso Cajo Hieronymus (3): *Disputationem*, inquit,

(1) *de pudicit. c.* 13.
(2) *H. E. lib. II. c.* 25.
(3) *de vir. illustr. c.* 59.

adversum Proculum Montani sectatorem valde insignem ***habuit***, ***arguens*** *eum temeritatis super Nova Prophetia defendenda.*

ANNUS CHRISTIANUS CCXIIII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules kalendis Ianuariis processere Silius Messala, Q. Aquilius Sabinus. hoc, opinor, anno Proconsul Africae factus est C. Caesonius C. F. Macer Rufinianus, qui consulatum triennio ante gesserat. hic adolescens, ut vetus inscriptio docet, sub M. Aurelio militaverat (1), a quo et donis militaribus donatus fuerat: vixitque ad Severi Alexandri tempora, cujus *Comes* dicitur. Legatum in provincia, exemplo minime novo, filium Lucillum Rufinianum habuisse videtur, qui in alia inscriptione (2) appellatur *Legatus Prov. Africae, Eodem Tempore Vice Proconsulis:* quod nempe Romam pater subinde reipublicae caussa vocatus esset, nec successor destinatus fuisset.

II. Pertinet ad haec tempora Antonini Caracallae Constitutio, qua omnibus, qui in orbe Romano erant, civitatem dedit (3): specie quidem honorem iis largitus, at fiscum revera suum auctorus, quod peregrini antea pleraque vectigalium non penderent, quae cives solvebant. nec vero Afros omnes ea lege laetatos credibile est, imminuta quodammodo earum urbium dignitate, quae Municipia aut Coloniae erant (4).

(1) Grut. *p.* 381. *n.* 1.

(2) Grut. *ibid. n.* 3. v. Marin. *Frat. Arv. p.* 756.

(3) Dio *lib.* 76. *in Vales. excerpt. p.* 745.

(4) v. Spanhem. *Exerc. II. ad Const. Anton. n. VI.*

ANNUS CHRISTIANUS CCXV.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hoc anno facti Aemilius Laetus iterum, Anicius Cerealis; eodemque Antoninus Aug. bellum in Dacos Gothosque suscepit. Cyrus interea Carthagine, summam D. N. Iesu Christi clementiam ac misericordiam imitatus, singulos, qui anteactae vitae poenitentia ducti ad Ecclesiam redibant, paterno amore suscipiebat: edictoque etiam ceteros admonendos censuerat, paratum se omnes recipere, quocumque tandem se crimine contaminassent, dummodo eos facti ex animi sententia poeniteret. hanc vero facilitatem Montanistae, ut est haereticorum ingenium, severitate se commendantes, vehementer detestabantur. multo etiam magis Tertullianus fremebat, egregius ille olim poenitentiae laudator, nunc jam rigidus innocentiae exactor, aeternusque criminum vindex. itaque eum gregales non magno negotio impulerunt, ut librum contra Catholicos emitteret furoris temeritatisque plenissimum. is est, quem *de Pudicitia*

inscripsit: nam in eo potissimum moechos adulterosque absolvendos unquam recipiendosque negabat. a pudicitiae autem laudibus exorsus, questusque Christianae pudicitiae rationem jam concuti, de Episcopo Carthaginiensi, quem omnes tamquam Episcoporum Exarchum reverebantur, ita scribere ausus est (1): *Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium, Pontifex scilicet maximus, quod est Episcopus Episcoporum edicit, Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* tum sollemnibus edictorum adludens formulis, *O edictum*, inquit, *cui adscribi non poterit Bonum Factum! et ubi proponetur liberalitas ista? ibidem, opinor, in ipsis libidinum janais, sub ipsis libidinum titulis. illic ejusmodi poenitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur: illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur.* exinde sacrarum litterarum testimonia in rem suam trahere conatur, et Apostolos Ioannem et Paullnm sibi consentieutes ostendere. Hermam vero, qui Pastoris librum scripsit, et poenitentibus aditum in Ecclesiam et caelum aperuit, *Pastorem Moechorum* appellat (2): librnmque ejus *ab omni concilio Ecclesiarum inter apocrypha et falsa* judicari ait (3): quamquam idem antea, qnum de oratione scriberet, nulla nota dignum existimaverat (4). ausus demum eripere Episcopis delictorum remittendorum potestatem, eandem sic datam Ecclesiae vult, ut ea uti non debeat (5). cetera hujusmodi, quae furentem hominem, et a veri tramite atqne a communi sensu aberrantem declarent.

(1) *de Pudic. c.* 1.
(2) *ibid. c.* 20.
(3) *ibid. c.* 10.
(4) *de orat. c.* 12.
(5) *de Pudicit. c.* 21.

ANNUS CHRISTIANUS CCXVI.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Annum incoharunt Consules Q. Aquilius Sabinus iterum, Sex. Cornelius Anullinus: Sed Sabinum quidam C. Atium appellant. pacem porro Ecclesiis in Africa profuisse, ut Christianorum numerns augeretnr, et cultus etiam ac splendor sacris aedibus accederet, nemo, opinor, in controversiam vocaverit. verum quidqnid de his scriptum antiquitus fuerit, vetustatem non pertulit: rara etiam in Tertulliano vestigia; nisi quod ipsum ejus silentium indicio est, non magnos tum in aedium sacrarum ornamenta sumptus esse factos: neque enim ille a conviciis diu sibi temperare potuisset, quum vociferari liceret, arcam Ecclesiae, unde egeni alendi essent, exhauriri, ut clerus amoeniore cultu se comeret, collatasque in subsidia miserorum stipes profundi, ut in Dei quoque domum luxus ac fastus induceretur. at contra memorat ille picturatos calices, qnibus ad sacrificium utebantur, et vitreos fuisse significat, ac Boni Pastoris tantum imagine insignes (1): chorum sacerdotnm non nisi

(1) *de Pudicit. c.* 10.

candidatum processisse ostendit (2): feminae *diviti sordere Ecclesias* scribit (3), postquam esset matronae nomine inflata.

II. Ceterum Ecclesia Africana in illa census tenuitate et modicis opibus doctrinae veteris custos diligentissima, sacros quoque ritus et antiquas consuetudines sancte servabat: quas ex Tertulliano cognoscere licet. inde enim uberius aliquid, praeter ea, quae attigimus, ad nos usque manavit. primum quippe, de iis quum ageret, quae consuetudinis patrocinio vindicabantur, *Vt a Baptismate*, inquit (4), *ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo et pompae et angelis ejus. dehinc ter mergitamur amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. inde suscepti, lactis et mellis concordiam praegustamus: exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiae sacramentum et in tempore victus et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quam praesidentium sumimus: oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus: die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* jam et ritum supplicandi exponit, *Nos vero*, inquiens (5), manus *non attollimus tantum, sed etiam expandimus e Dominica passione modulatum, et orantes confitemur Christo.* quid etiam oculis in caelum sublatis pro Principe a Deo precari solerent, sic enarrat (6): *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, copite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecumque hominis et Caesaris vota sunt.*

III. Egregie vero de piorum officiis nos edocet, ubi uxorem suam hortatus, ne sibi superstes secundas appetat nuptias, multo magis ethnici viri matrimonium Christianae feminae vitandum admonuit (7): *Sed viderit qualiter viro officia pendat: Domino certe non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli servum, procuratorem domini sui ad impedienda fidelium studia et officia: ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas; si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; si procedendum erit, numquam*

(2) *ad uxor. lib. I. c. 7.*
(3) *ad uxor. lib. II. c. 8.*
(4) *de corona c. 3. v. Ioan.* Diac. apud Mabill. *M. I. lib. 2. p. 75.*
(5) *de orat. c. 12.*
(6) *in Apolog. c. 30.*
(7) *ad uxor. lib. II. c. 4.*

magis familiae occupatio obveniat. quis autem sinat conjugem suam visitandorum fratrum gratia vicatim aliena et quidem pauperiora quaeque tuguria circuire? quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi libenter feret? quis denique sollemnibus Paschae abnoctantem securus sustinebit? quis ad convivium illud Dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur? jamvero alicui fratrum ad osculum convenire, aquam Sanctorum pedibus offerre, de cibo, de poculo invadere, desiderare, in mente habere? si pereger frater adveniat, quod in aliena domo hospitium? si cui largiendum erit, horreum, proma praeclusa sunt. nuptias demum Christianorum exornans, *Unde*, inquit (8), *sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio.... simul orant, simul volutantur, et simul jejunia transigunt .... in Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persequutionibus, in refrigeriis: neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est. libere aeger visitatur, indigens sustentatur, eleemosynae sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento: non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio. sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant, quis melius Deo suo cantet.*

IIII. Tot inter Africanae Ecclesiae consuetudines, quae fere omnes probabiles, singulare quoddam exhibent specimen pietatis et sanctimoniae, ea numeranda non est, quae jam hoc tempore obtinebat, ut virgines capite retecto prodirent in publicum, et ad sacros quoque conventus sine velamine itarent: quasi vero Paullus Apostolus, qui velari mulieres jusserat (9), virgines excepisset. pravam hanc consuetudinem tollere Tertullianus conatus est eo libello, quem deinde emisit *de virginibus velandis:* in quo et nuptarum levitatem perstrinxit parum verecundiae studentium. *Sed et vos*, inquit (10), *admonemus alterius pudicitiae mulieres, quae in nuptias incidistis, ne sic a disciplina velaminis exolescatis, ne quidem in momento horae, ut quia rejicere illam non potestis, alio modo destruatis, neque tectae neque nudae incedentes. mitris enim et lanis quaedam non velant caput, sed conligant, a fronte quidem protectae, qua proprie autem caput est, renudae. aliae modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures usque demissis cerebro tenus operiuntur. misereor, si tam infirmo auditu sunt, ut per tegmen audire non possint...... quantam autem castigationem merebuntur etiam illae, quae inter psalmos, vel in quacumque Dei mentione retectae perseverant? meritone etiam quae in oratione ipsa facillime fimbriam aut villum aut quodlibet filum cerebro superponunt, et tectas se opinantur?* haec Tertullianus, in ipsa haeresi saepe sapiens, et vitiorum exagitator

(8) *ibid. c. 8.*
(9) *Corinth. c. XI. n. 5.*
(10) *de virg. veland. c. 16.*

acerrimus, at infelix operis summa: quippe qui pravas opiniones, quas animo imbiberat, ita nunquam abjecerit, ut ad Catholicam Ecclesiam reverteretur.

v. Rescriptum Principis huic anno subtexere liceat adversus adulteros, de quo Augustinus (11), quum de conjugiis adulterinis scriberet, *Legant*, inquit, *quid Imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit, ubi maritus uxsorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non praebuit castitatis exemplum, ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit.* jubebat scilicet judices Augustus inquirere, num vir ita pudice viveret, ut uxsori bonos mores colendi auctor esset: tum addebat: *Periniquum enim mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxsore exigat, quam ipse non exhibet: quae res potest et virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel caussam facti tollere* (12). post quae Augustinus, *Si haec*, inquit, *observanda sunt propter decus terrenae civitatis, quanto castiores quaerit caelestis patria et societas Angelorum?*

(11) *lib.* 11. *cap.* 8.

(12) v. *D. lib.* XLVIII. *Tit.* v. *l.* XIII. §. 5.

ANNUS CHRISTIANUS CCXVII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. C. Brutius Praesens, T. Messius Extricatus iterum, Consules hoc anno fuere, quem Antonini Caracallae caedes insignem fecit. eum enim apud Carrhas in Mesopotamia, insidiis positis, interemit Macrinus praefectus praetorio, is, qui post eum Imperium invasit (1). de hac caede, quae VI. idus Apriles facta est, divinus quidam in Africa nescioquid praedixisse ferebatur (2), successoribus quoque Antonini indicatis Macrino et Diadumeno: quamobrem Romam ille evocatus, apud Flavium Maternianum procuratorem Caesaris eadem confirmasse dicitur. sed quidquid de eo vaticinio existimandum sit, ingratos omnino nuncios attulisse putandus est, qui Antonini mortem Afris nunciavit. eo enim sublato, quem Africa jam alterum Reipublicae Principem dederat, Imperium penes alienos esse coeperat: nisi quod Macrinus Afrorum studiosus haberi debebat, qui Diadumeno filio magistrum inde dederat Caelianum Rhetorem (3): quique aliquando apud eos, relegatus (4), caussas egerat ac jus dixerat, donatusque anulis aureis, Advocatus fisci tandem ab Antonino Caracalla factus fuerat.

II. At vero Christianos iisdem nunciis commotos crediderim, metuque suspensos parum laeta sibi ab eo homine expectanda existimasse, quem

(1) Spart. *in Carac. c.* 7.

(2) Dio *lib.* 78. *p.* 882.

(3) Lampr.. *in Diad. c.* 8

(4) Capitol. *in Macr. c.* 4.

jamdiu crudelitas et superbia infamaverant (5). divino tamen consilio factum est, ut ne Italiam quidem reviseret, ante in Oriente e vivis sublatus, quam iter in urbem maturaret (6). Ecclesiae nempe ad summam virtutem florescenti diuturnam a Deo pacem sanguine suo Martyres impetraverant.

(5) *idem ibid. c.* 12. (6) *idem ibid. c.* 15.

ANNUS. CHRISTIANUS CCXVIII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum iniere kalendis Ianuariis Imp. M. Opelius M. F. Antoninus Diadumenus iterum et Adventus. sed Diadumenus kalendas Iulias hujus anni non attigit, eadem competitoris factione interemptus, quae patrem ejus Macrinum sustulit: in ejusque locum Consul factus est Imp. M. Aurelius Antoninus, qui Heliogabalus aut Elagabalus vocitabatur. nam hunc exercitus, qui ad Emesam in Syria castra habebant, Imperatorem xvII. kal. Iunias dixerant, adolescentis specie capti, quem Soli, cujus sacerdos erat, sacrificantem mirati fuerant (1). porro Afros novo Principe laetatos jure duxeris. nam et pater ejus Sex. Varius Marcellus Praeses provinciae Numidiae fuerat (2), et Iulia Soemias Bassiana mater Iuliam Domnam Severi Aug uxorem materteram habuerat: quippe quae Iuliae Maesae et Aviti Consulis filia erat.

II. Interea Romae Zephyrinus, anno pontificatus sui xvII. incohato, diem obiit supremum, sive vII. kal. Sept. sive xIII. kal Ian. nam vetera Martyrologia natalem ejus alterutro die consignarunt.

(1) Herod. *lib. v. c.* 3. (2) Oderic. *Inscr.* 39. *p.* 199. v. *sup. an.* 198. *n.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS CCXVIIII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hujus anni fuerunt M. Aurelius Antoninus iterum, Licinius Sacerdos iterum. ipsis autem kalendis Ianuariis in Zephyrini locum designatus putatur Callistus, consecratusque III. nonas ejusdem mensis, qui dies hoc anno Dominicus fuit. atque is est, a quo memorandum illud Appiae viae coemeterium nomen habet, sive ipse conditor, sive restitutor tantum aut amplificator dicendus sit. tum enim Christianis primum sacras aedes palam exstruere licuit, et certas sedes conventibus celebrandis habere fas fuit.

II. At in Africa Montanistae Maximillam suam lugebant, quae hoc aut superiore anno vitam finierat, collo, ut ferebatur, in laqueum inserto: quali exitu Montanus quoque Iudam imitatus decesserat (1). con-

(1) Euseb. *H. E. lib. v. c.* 16.

stabat vero, praeclaram illam vatem vaticinatam esse, a morte ejus bella et tumultus imminere (2): at exinde pax annos quatuordecim stetit, nec bellum rempublicam, aut clades ulla Christianos vexavit. quamobrem vaticinia illa Maximillae diu Catholicis ludibrio fuere, et Tertulliano denique ipsi tota, quam tantopere mirabatur, Montani doctrina displicuit.

IIII. Eodem anno, quum Heliogabalus Romam pervenisset, ac Dei sui simulacrum, id est lapidem praegrandem coni forma, magnificentissimo in templo collocasset, actum ab eo est de uxore huic danda: cumque ei Palladis simulacrum, quod Vestales Romae servabant, destinasset; mutato consilio, prae Pallade Uraniam illi conjungendam duxit: itaque Deam Caelestem Carthagine advehendam curavit; ac ne indotata veniret, quidquid auri argentique in ejus templo esset, dotis nomine Romam afferri jussit (3). ita Solis et Lunae celebratum in urbe matrimonium est: nam haec quidem Luna esse, ille Sol dicebatur. sed Afris, quos ea superstitio detinebat, nuptiae illae detestabiles funestaeque visae sunt, ridentibus interea Christianis, atque brevi etiam fore sperantibus, ut vana illa Carthaginiensium religio ex omnium animis deleretur. ceterum ea res non ex eorum sententia successit, simulacrumque suum Carthaginienses post Heliogabali caedem recepisse videntur. nam Augustini aevo cultus illius etiamtum vigebat, tota urbe ob sollemnia vani numinis insaniente. memorat ipse *Sacratos Caelestis* et ludos honori ejus dicatos, quos adolescens spectaverat (4), inhonestissimos atque turpissimos: qui demum eo pariter superstite sublati sunt, simulacro etiam exturbato, ac templo Christianis sacris addicto: de quibus singillatim agemus, quum ad Aurelii Episcopi Carthaginiensis pontificatum devenerimus.

(2) Euseb. *ibid.*
(3) Herod. *lib. v. c.* 6.
(4) *de civ. Dei lib. II. c.* 4. *et* 26.

ANNUS CHRISTIANUS CCXX.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus Imp. M. Aurelium Antoninum IIII. M. Aurelium Eutychianum Comazonta II. ad anni hujus extrema pertinet Iulii Africani legatio ad Augustum: quam hic commemorandam ducimus, quod quidam (1) Iulium non cognomine solum, sed etiam ortu Africanum fuisse tradunt. versabatur hic jamdiu in Palaestina, et incola Emmaus erat, imo et Episcopus, si Ebedjesu fides, qui in suo illo veterum librorum censu, capite sexto, *Beatus*, inquit, *Africanus Episcopus Emmaus habet commentaria in novum Testamentum et Chronicon.* atque idem *legationem*, ait Hieronymus (2) *pro instauratione urbis Emmaus suscepit, quae postea Nicopolis appellata est:* hancque in Chronico ex aedificatam scribit anno CCXXII. qui Heliogabali ultimus fuit, idemque Imperii Se-

(1) Suidas Ἀφρικ.
(2) *de vir. illustr. c.* 63. v. et Cavem *in Iul. Afr.*

veri Alexandri primus. quinque Iulii *de temporibus* exstabant volumina Hieronymi aevo, praeter ejus epistolas ad Origenem et Aristidem (3). indicium praeterea est aliquod, res gestas Martyrum, qui Romae et in Italia inclaruissent, in commentarios ab eo esse relatas: quod ille hoc tempore praestitisse putandus est, quo Romae legationis caussa morabatur. tradi haec ab Eusebio testantur Acta Symphorosae Martyris Tiburtis (4): verique omnino simile est, consignatum id in Eusebii illo esse volumine, quod de Martyribus ex aliorum scriptis confecerat (5), sed ad aetatem usque nostram integrum non transmisit. quamquam exstare multa creduntur in aliorum libris, quae inde excerpta fuerint, a Metaphraste in primis, qui plurimam operam Actis Martyrum conscribendis navavit (6). erat autem titulus Codicis Eusebiani, ut ipse non semel (7) nos docet, Των αρχαιων Μαρτυριων Συναγωγη.

(3) Hieronym. *ibid.*
(4) apud Sur. 18. *Iul.* §. 1.
(5) v. Assem. *Act. MM. Or. et Oc. T. II. p.* 33.
(6) Fabr. *B. Gr. T. VI. p.* 101.
(7) *H. E. lib. III. c.* 15. *lib. V. in proem. etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCXXI.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. **Signant** hunc annum Consules Gratus Sabinianus, Claudius Seleucus: atque his Consulibus Severus Alexander ab Heliogabalo Caesar dictus est, magno omnium ordinum favore, sed praecipua Christianorum laetitia, qui matrem ejus Iuliam Mamaeam vel Christianam vel certe Christianorum studiosissimam noverant, ipsumque Alexandrum et moribus probum et benevolum sibi esse sciebant.

II. Proconsulem Africae per haec tempora fuisse D. Caelium Balbinum, qui postea cum Pupieno Maximo Imperium administravit, Historia Augustorum et temporum ratio declarat (1): neque enim Proconsulatus ejus ad annos insequentes referri potest, quos alii occuparunt.

(1) Capitol. *in Max. et Balb. c.* 7.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. **Consules** processere kalendis Ianuariis ipse Imp. M. Aurelius Antoninus Aug. IIII. et Severus Alexander Caesar. sed Antoninus ante idus Martias in castris Praetorianorum occisus est; Alexander contra loco ejus Augustus est appellatus: quo Principe respublica recreata revixit, Senatus veterem auctoritatem recepit, milites officii memores parere didicerunt, provinciae bonis et abstinentibus praesidibus usae sunt.

II. Ab hoc anno initium habet Cyclus ille Paschalis Hippolyti Martyris, cujus exemplum Romae in Bibliotheca Vaticana adhuc legimus, incisum in Cathedrae marmoreae lateribus, in qua simulacrum ipsius Hippolyti sedentis conspicitur, anno MDLI. prope aedem Laurentii Martyris via Tiburtina repertum (1). ejus cycli exemplo Ecclesias antiquitus usas esse, credibile est, ut certum proximi Paschatis diem indicerent: quamquam postea simile opus a Cypriano etiam conscriptum traditur; cujus proinde tabulas apud Episcopum Carthaginiensem postea fuisse, pro certo habeas: nam Patres Concilii Carthaginiensis sub Aurelio Episcopo sanxerunt (2), *Vt omnes Africanae provinciae Episcopi observationem paschalem ab Ecclesia Carthaginiensi curent accipere.* successit deinde tabulis ejusmodi *Canon Paschalis* Victorii Aquitani, quem Concilium Aurelianense IIII. anno DXXXXI. Episcopis Galliarum tamquam regulam proposuit (3): *Placuit*, inquit, *ut sanctum Pascha secundum laterculum Victorii ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur.*

(1) Grut. *p.* 140. Bucher. *Cyc. Pasch. p.* 295. (3) *apud eundem Conc. T. II. p.* 1436.
(2) *an.* 397. *can. I.* Hard. *T. I. p.* 961.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXIII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES hujus anni fuere L. Marius Maximus iterum, L. Roscius Aelianus. sed Roscius aliis *Papirius* est, credo, quod utramque gentem vel adoptionis vel hereditatis jure cieret. lecti hoc anno ab Alexandro Aug. principes civitatis et jurisconsultorum clarissimi, quos sibi in consilium reipublicae administrandae caussa adhiberet. eminebat autem inter eos Domitius Ulpianus, jamdiu Christianis infeusus. nam is, ut auctor est Lactantius (1), quum de officio Proconsulis scriberet, Rescripta Principum nefaria collegerat, ut doceret, quibus poenis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur. hoc potissimum auctore factum Romae videtur, ut sub clementissimo Principe et Christianorum studioso Christiani tamen vexarentur interdum, et Martyrum messis esset. quorum in numero vidit hic annus Callistum ipsum Pontificem maximum, quem post carceris aerumnas fustibus saepe caesum, ac demum praecipitem in puteum actum vetera Martyrologia testantur. haec pridie idus Octobres contigisse, quo die anniversaria Callisti memoria recolitur, scriptores omnes consentiunt. non multo post in ejus locum suffectum esse Urbanum, Fasti Ecclesiae ostendunt.

(1) *Instit. lib. V. c.* 11.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXIII.

Cyro Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM inierunt Claudius Iulianus, Clodius Crispinus. his Consulibus Proconsul Africae designatus putatur (1) Cassius Coccejanus Dio, Historicus aetatis suae praestantissimus, idemque multis jam curationibus et magistratibus clarus. Memmiam vero, quam Africa exsulem manebat, in matrimonium duxisse Alexander Aug. videtur, optimus utique Princeps, nisi et Aulae vitia ad Principem pertinuerent. erat illic mater Mamaea, Christianis olim imbuta sacris, quae Origenem audisse ferebatur (2). sed in illo honorum fastigio veteris scholae facile oblita creditur.

(1) Dio *lib. 49. p. 413.* (2) Euseb. *H. E. lib. 6. c. 15. et 21.*

ANNUS CHRISTIANUS CCXXV.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere L. Turpilius Dexter, M. Maecius Rufus. sed hic aliis Fuscus II. aut Fuscianus audit. hunc annum Cyri Episcopi ultimum statuimus, ignari quamdiu ille vixerit. de viri tamen sanctitate praeclare sentiendum est, quum annuam memoriam ejus Ecclesia Carthaginiensis celebraverit, sermonemque de ejusdem Depositione Augustinus habuerit, quemadmodum a Possidio traditum admonuimus. Cyro autem subjicimus Donatum, quod hunc Cyprianus decessorem suum appellet (1); nec alius notus sit, qui hoc tempore Ecclesiae Carthaginiensi praefuerit. tum vero annorum non adeo longa series ab hoc anno ad Cypriani pontificatum, ut uno Donato contenti esse non possimus.

II. Vt autem haec subobscura, sic et parum nota, quae ipsi Episcopi superioribus aetatibus praescripsissent. nam Conciliorum acta desiderantur. otiosos tamen eos non fuisse, et ab ipsa institutione litteris mandasse, quas quisque formulas in sacris obeundis usurparet, quos ritus sequeretur, ex iis manifestum est, quae posteriores Episcopi statuerunt. canon est centesimus tertius in Codice Ecclesiae Africanae his verbis (2): *Placuit etiam hoc, ut preces, quae probatae fuerint in Concilio, sive praefationes sive commendationes seu manus impositiones ab omnibus celebrentur, nec aliae omnino contra fidem praeferantur, sed quaecumque a prudentioribus fuerint collectae dicantur.* quo autem antiquiores Ecclesiarum codices sunt, eo minus inter se discrepare reperias: quod nempe a fonte minus distent, unde in Ecclesias pervenere. ceterum in Africa

(1) *in epist. 55. ad Cornel.*
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 923. v. Bonam Card. *Rer. Liturg. T. I. p.* 106. *et* Salae *adnotat. p. seq.*

etiam factum paullatim est (3), quod alibi contigit, ut salva atque integra religionis summa, levia quaedam et minuta usurparentur, quae Romana Ecclesia non receperat. unde tot illa eruditorum volumina exstitere, quae varios Ecclesiarum mores ac ritus complectuntur. in eodem illo Codice canon tricesimus septimus hujusmodi est (4): *Primitiae vero, seu mel et lac et quod uno die sollemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem* (5). et alia hujusmodi, quae nunc quid sibi velint, haud facile quis adsequatur.

(3) v. Lesleum *Miss. Mozar. in Pr. p.* 41.
(4) Hard. *ibid. p.* 883.
(5) v. August. *serm.* 272. *et* 353.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXVI.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules huic anno obtigere Imp. M. Aurelius Severus Alexander, C. Quinctilius Marcellus. crevisse hoc tempore numerum aedium sacrarum per omnes Africae urbes, quae passim magna ex parte Christianae erant, veri omnino simile est. nam constabat, ipsum Alexandrum Aug. (1) de templo Christo Deo dedicando cogitare: eundemque, quum Christiani Romae locum quemdam, qui publicus fuerat, occupassent, et popinarii apud eum sibi illum deberi contenderent, rescripsisse (2), *Melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.*

(1) Lampr. *in Alex. c.* 43.
(2) *idem ibid. c.* 49.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXVII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus D. Caelium Balbinum II. M. Clodium Pupienum Maximum, qui aliquot post annis Augusti dicti sunt. at quibusdam in Fastis cientur Albinus et Maximus, et Albinus quidem M. Nummius appellatur. per eos dies, quum Ecclesia Africana floreret omni genere virtutis, nec Episcopi periculi caussa carere publico cogerentur, conventus aliquos Episcoporum esse celebratos, admittendum est. nam controversias saepe exsistere necesse fuit, quae ex communi sententia dirimendae viderentur: praesertim quum illic quoque haereses essent, adversus quas nova remedia adhiberi oporteret, ne plebs potissimum in errorem adduceretur. Concilium Carthagine actum contra Tertullianum docere ausum, *Nihil ad delicta fidelium capitalia potestatem solvendi et alligandi Petro emancipatam esse* (1), ipse mihi indicare videtur, quum ait (2), *Ecclesia quidem delicta donabit, sed Ecclesia spiritus*

(1) Tertull. *de Pudic. c.* 21.
(2) *idem ibid.*

per spiritalem hominem, non Ecclesia numerus Episcoporum. aliud Concilium a Cypriano memoratum, in quo per haec tempora praescriptum est, ne Clerici tutores aut curatores fierent, superius indicavimus.

II. Proconsul Africae a Consulatu factus videtur C. Quinctilius Marcellus, quem vetus inscriptio memorat (3). huic uxor erat Christiana, atque, ut arbitror, origine Afra: quam et secum adductam in Africa amisit, atque in agro Tunetano sepultam epitaphio honoravit. nomen illi erat *Pesceunia Quodvultdeus honestae memoriae femina, bonis natalibus nata, matronaliter nupta* (4), *uxor casta:* diciturque eadem *Mater pia filios genuisse tres et filias duas et annis triginta vixisse.* porro et filiarum altera *Victorina* nomine *vixit annis septem, Sunnius vixit annis tribus, Marcus vixit annis duobus, Marcellus vixit anno uno, Fortunata vixit annis tredecim, mensibus octo.* addit demum pater, qui filios alibi composuisse videtur, *Marcellus Proconsul conjugi, sed et filiis et filiabus nostris me vivo memoriam feci omnibus esse peremnem.* ceterum de sua ipse religione nihil testatur: uxorem appellatio illa *Quodvultdeus* Christianam simul et Afram declarat.

(3) Maff. *M. V. p.* 464. *n.* 6.

(4) v. Juvenat. *Avej. p.* 71.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXVII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Vettius Modestus, Ser. Calpurnius Probus. at Modestum appellant quidam *T. Manilium*, qui fortasse utroque nomine utebatur. hoc anno documentum Afri cepere, quam saepe fragiles caducaeque res humanae sint. relegatam enim in Africam spoliatamque omni honore viderunt Memmiam Augustam Sulpicii Consularis viri filiam, Catuli neptem (1): sive id Mamaeae socrus impotentia factum sit, nurus gratiam apud Augustum metuentis (2); sive ipse Sulpicius Martianus Augustae pater, insidias Principi revera molitus, se filiamque perdiderit (3). porro Memmiae loco Alexander Aug. Sallustiam Barbiam Orbianam duxisse videtur, quam nummi ejus nonnulli exhibent (4).

(1) Lampr. *in Alex. c.* 20. *et* 49.

(2) Herod. *lib. VI. c.* 1.

(3) Lamprid. *ibid. c.* 49.

(4) Vaill. *Num. Impp. T. I. p.* 146.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXVIII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Annum incoharunt Consules Imp. M. Aurelius Severus Alexander tertium, Cassius Coccejanus Dio iterum. quo tempore Proconsulatu Africae perfunctus videtur L. Caesonius Lucillus Macer Rufinianus, qui

jam in Africa C. Caesonii patris Legatus fuerat. nam vetus inscriptio (1), quae eum Africae Proconsulem fuisse docet, eundem enunciat *XX Virum ex Senatus consulto R. P. curandae*, quem magistratum extraordinarium post Gordianorum mortem Romae a Senatu creatum constat (2): et post Gordianos Proconsulatus penes Sabinianum fuit, qui postea rebellavit (3).

(1) Grut. *p.* 381. *n.* 3.
(2) Capitol. *in Gord. c.* 22.
(3) Capitol. *ibid. c.* 23.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXX.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuerunt Calpurnius Agricola, C. Catius Clementianus: sic enim hic in veteri inscriptione (1) appellatur, quum in Fastis modo *Clemens*, modo *Clementinus* dictus sit. ea autem inscriptio Turnzae statuam dicatam designat *Q. Considio Nampiamovis filio, ob eximiam administrationem et singularem erga cives amorem*, eamque *ab universis Curiis*. sed mendum in patris nomine inesse puto, et *Namphanionis* legendum, quod Punicum nomen erat, ut superius (2) adnotatum est. enimvero his Consulibus M. Antonio Gordiano, qui proxime, Augusto suffectus, consulatum obtinuerat, provincia Africa decreta est (3), eique Legatus datus est Gordianus filius (4): erga quos Afri tanto studio fuerunt, ut nemo antea pari gratia apud eos floruisse videretur.

II. Eodem anno VIII. kal. Iunias Romae decessit Vrbanus Pontifex maximus, quem Martyrum lauream adeptum in veterum Fastis nonnullis traditur. in ejus autem locum suffectus est Pontianus.

(1) Maff. *M. V. p.* 462. *n.* 5.
(2) *ad an.* 198. *n.* 2.
(3) Capitol. *in Gord. c.* 5.
(4) Capitol. *ibid. c.* 18.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXI.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum kalendis Ianuariis suscepere M. Aurelius Claudius Pompejanus et Felicianus, quem alii Pelignianum nominant. silebat jamdudum in Africa Tertullianus, et sibi a scribendo temperabat. quum enim et ingenium ei esset acerrimum, et scientiae doctrinaeque plurimum, valde jam, opinor, Montanus tam futilis auctor displicere coeperat, levitatemque suam vehementer damnabat, qui amentibus mulierculis aures tam facile praebuisset. interea spes fortasse erat Catholicis, hominem, qui apud eos altus esset, et sacris initiatus, honoris caussa inter Presbyteros Ecclesiae Carthaginiensis fuisset adlectus, deposito denique errore jam senem, et futuri judicii memorem, ad bonam frugem rediturum. verum brevi rerum exitus comprobavit, quam parum ab iis

sperandum sit, qui diu monitorem spreverint, judiciumque suum Ecclesiae auctoritati praeposuerint. nam divisit se quidem Tertullianus aliquando a Montanistis, sed tamen *sua*, ut Augustinus scribit (1), *conventicula propagavit*: factusque sectae eorum auctor est, qui Tertullianistae dicti sunt, et Carthagine ad aetatem usque Augustini permansere, qui haec de illis memoriae prodidit: *Tertullianistae*, inquit, *a Tertulliano, cujus multa leguntur opuscula eloquentissime scripta, usque ad nostrum tempus paullatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginiensi: me autem ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror*, (scribebat haec ad Quodvultdeum circa annum CCCCXXVIII.) *omni ex parte consumpti sunt. paucissimi enim, qui remanserant, in Catholicam transierunt, suamque Basilicam, quae nunc etiam notissima est, Catholicae tradiderunt.* quod ipsius Augustini opera perfectum esse, auctor Praedestinati testatur (2).

II. Ceterum Tertullianus cum ipsa Montani secta doctrinam ejus omnem minime exuerat. nam secundas nuptias tamquam stupra damnare pergebat, animas ex traduce venire affirmabat (5), Catholicos velut Psychicos, sive animalium brutorum ritu vitam agitantes aversabatur. docebat vero praeterea, Augustino teste (4), *animas hominum pessimas post mortem in daemones verti.* caelum omnibus a morte, praeterquam Martyribus, interclusum dictitabat (5); multa de divina natura, de Angelis, de anima humana, de ipso Trinitatis augustae mysterio absurda tradere et sentire visus est, quae aegre interpretari sic possis, ut eum ab haeresis suspicione liberes. sed de his jam alii studiose inquisiverunt (6).

(1) *ad Quodvult. haer.* 86.
(2) *lib. I. c.* 86.
(3) Auct. Praedest. *ibid.*
(4) *ibid. in fin. cap.*
(5) Tert. *de anim. c.* 55. *etc.*
(6) Pamelius, Tillemontius; alii.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere Iulius Lupus et Maximus: bisque Consulibus bellum Persicum exarsit. interea Montanistae, qui defensorem in Africa amiserant, fortem adversarium in Asia offenderant, Asterium Urbanum, cujus egregios libros recensuit ac delibavit Eusebius (1). scribebat tamen eodem tempore Tertullianus quoque, sed aliud plane argumentum sibi ad scribendum repererat. id erat de Idololatria, quo in libro affinia quoque crimina insectatus est, refutavitque etiam Christianum quemdam (2) antea Astrologiae deditum, qui sibi etiamtum perseverantiam professionis illius defendebat. sed ingenio idem suo veterique severitati nimium indulgens, artes plerasque et opificia et mercaturam Christianis crimini vertere ausus est, eoque nomine interdicta pronunciare, quod iis ethnicus idololatriae

(1) *H. E. lib. v. c.* 16.
(2) *de Idol. c.* 9.

caussa abuti posset. lucernas etiam pro foribus, laurum in postibus (3) ob natales Caesarum, et victorias Imperatorum Idololatriam appellare non dubitavit, quod nempe ostiorum Deos et liminum praesides Romani Graecique agnoscerent, quos Christianus luminibus et laureis venerari videretur. *Idolo*, inquit, *feceris, quidquid ostio feceris.* et addit idem fabellam hujusmodi, qua rem confirmet: *Scio*, inquit, *fratrem per visionem eadem nocte castigatum graviter, quod januam ejus subito adnunciatis gaudiis publicis servi coronassent. et tamen non ipse coronaverat aut praeceperat; nam ante processerat, et regressus deprehenderat factum: adeo apud Deum in hujusmodi etiam disciplina familiae nostrae aestimamur.*

(3) *ibid. c.* 15.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXIII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hoc anno in Fastis cientur Maximus et Ovinius Paternus, quo anno Imp. Alexander Aug. Artaxersem Persarum Regem in Oriente debellavit. in Tingitaniae finibus turbatum esse, Historia Augusta docet. erat autem ejus provinciae Procurator Furius Celsus, qui res feliciter composuisse dicitur (1), tabellasque laureatas Romam misisse, quae Augusto ex Oriente reduci anno insequenti redditae sunt.

II. Enimvero apud nostros in Africa, si quid forte laetum aliquando faustumque nunciatum esset, id, opinor, jamtum obtinuisse existimandum est, quod apud Christianos omnes sollemne fuisse novimus, ut publice sacrum ab Episcopis de more fieret, quod et Eucharisticon propterea dicebatur. apud Afros certe vel quotidiani sacrificii perantiqua consuetudo fuit ususque receptus (2): nec alia forma aut ratio erat; nisi quod epistolae, quam nos unam legimus, caput illi aliquod ex veteri Testamento praemittebant (3), dumque Oblatio peragebatur, psalmos canendos curabant (4). qui autem sacro aderant, orationem Dominicam prosequentes ad illa verba *Dimitte nobis* pectus tundere soliti (5). ubi ad sancta accederent, in presbyterii cancellis subsistebant (6). Neophyti primo ad ipsum altare admittebantur (7).

(1) Lampr. *in Alex. c.* 58.
(2) v. Marten. *de Eccl. rit. lib. I. c.* 3. *art.* 5.
(3) Aug. *serm.* 45. *et* 82.
(4) *idem lib. II. Retract. c.* 11.
(5) *idem serm.* 351. *et* 388.
(6) *idem serm.* 392.
(7) *idem serm.* 224.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXIII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gessere Maximus iterum et P. Vrinatius Urbanus, qui aliis C. Caelius est. his Consulibus Alexander Aug. triumpho Persico ducto, in Galliam adversus Germanos rebellantes profectus est, civibus Romanis maxima frequentia eum deducentibus, quos ille revisurus non erat.

II. Interea Afri quintum jam annum sub Gordiano Proconsule pacem agitabant, praeclaris viri moribus et justitia in primis modestiaque laeti, quem propterea non semel acclamantes *Novum Scipionem* appellarant (1), et Catonem alterum aut Mutium aut Rutilium aut Laelium dicere solebant.

(1) Capitol. *in Gord. c.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXV.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules L. Catilius Severus, L. Ragonius Urinatius Quintianus annum incoharunt, quem caede Principis infaustum reipublicae, successoris designatio funestiorem fecit. nam Alexandro Aug. apud Moguntiacum vico Sicila (1) a militibus interfecto, Maximinus necis ejus auctor ab exercitu Augustus est salutatus: quem barbaris parentibus ortum rusticitas jam et crudelitas infamaverat, ut Cyclopem eum et Phalarim multi appellarent (2). nec filius ejus, quamquam ad Graecas munditias eruditus, melior habebatur, fastu maxime et superbia notatus (3).

II. Totam jam urbem pavor invaserat, Senatusque potissimum sibi metuebat, quippe infensum nobilitati Maximinum esse sciebant, nec adventum ejus sine funeribus et sanguine futurum augurabantur. at multo acerbior Christianorum visa conditio est. nam ille gravi odio flagrans adversus Alexandri familiam, in qua plerosque Christianos fuisse, auctor est Eusebius (4), in hos primum exarsit, et ut clade afficeret majore, sacerdotes eorum atque Pontifices morti devovit. itaque edictis ejus Romae propositis, in Sardiniam insulam deportatus est Pontianus, vicinae Africae nuncius impendentis calamitatis. illic *afflictus*, ut in libro Pontificali legimus, *maceratus fustibus, Martyr defunctus est III. idus Novembres* (5).

III. Quia tamen Maximinus aberat, nomenque ejus et imperium Romani aversabantur, Pontiano ab urbe exacto, procella in urbe detumuisse videtur. comitia enim sua eodem mense, quo ille decesserat, Christiani habuere, et Anterum Pontificem maximum renunciarunt.

(1) Lampr. *in Alex. c.* 59.
(2) Capitol. *in Maxim. c.* 8.
(3) *idem in Maxim. jun. c.* 2.
(4) *H. E. lib. VI. c.* 28.
(5) Vignol. *T. I. p.* 42.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXVI.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum suscepere Imp. C. Iulius Maximinus, C. Iulius Africanus. recrudescere hoc anno ethnicorum furor coepit adversus Christianos, quos illi in invidiam vocabant, culpae iis vertentes, quod pleraeque provinciae cum aliis calamitatibus, tum crebris terrae motibus conflictarentur: de quibus mentio a Firmiliano Caesareae Cappadociae Episcopo facta est in epistola ad Cyprianum (1). itaque ut alibi metu passim Christiani perculsi sunt, sic in Africam quoque terror pervasit, quo tota repente consternata Ecclesia est. in ea rerum perturbatione multi quid consilii capiendum esset, inquirebant: fuitque ex horum numero Fabius quidam, qui de ea re Tertullianum consuleret. hic vero multa coram loquutus adversus eos, qui se mortis periculo sive fuga sive pecunia subducerent, inde etiam occasionem arripuit ejus libri scribendi, quem *de fuga in persequutione* inscripsit: quo in libro nec Evangelii documenta, nec Apostolorum exempla reveritus est, sententiamque illam suam severitatis plenissimam tueri instituit, ut ea etiam scribere ausus sit, *Qui putant fugiendum, aut malum exprobrant Deo, si persequutionem uti malum fugiant; bonum enim nemo devitat: aut fortiores se Deo existimant, qui putant, se evadere posse, si Deus tale aliquid voluerit evenire* (2). quasi vero qui fugerent, imbecillitatis suae conscii, non id animo propositum habere possent, ut violatae fidei crimen effugerent, et opem interea ad certandum a Deo supplices implorarent.

II. Ceterum plus timoris in Africa, quam periculi fuit, nec perlata illuc Maximini edicta putantur, quemadmodum ne in alias quidem provincias passim pervenisse credibile est: quum et Sulpicius Severus (3) et Firmilianus ipse proximus horum temporum (4), non ubique, sed certis in locis sub Maximino contra Christianos saevitum esse tradiderint. sed Romae tamen Anterus quadragesimo pontificatus sui die Martyr occubuit: cujus in locum Fabianus suffectus est.

(1) *inter op. Cypr. epist.* 75.
(2) *de fug. in Pers. c.* 4.
(3) *lib. II. c.* 45.
(4) *in epist. ad Cypr.*

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXVII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Processere kalendis Ianuariis Consules P. Titius Perpetuus, L. Ovinius Rusticus Cornelianus: quibus deinde alii suffecti sunt, hosque inter Cn. Messius Gallicanus, genere Carthaginiensis (1). conjuratum hoc anno

(1) Herod. *lib. VII. c.* 11.

in Africa est, quum illic etiamtum Gordianus Proconsulatu fungeretur. nam quum Imp. Maximinus odio incredibili apud omnes provincias laboraret, auxit invidiam in Africa Procurator ejus, qui Carthagine fisci rem avare crudeliterque administrabat (2). primum nempe hominis impotentia exacerbati nobiles quidam adolescentes, coacta agrestium manu, Procuratorem illum, Principis favore abutentem, obtruncarunt. deinde nihil sibi tutum rati, nisi alio facinore communi saluti consulerent, ipsum Proconsulem in communionem periculi assumentes populo auctores fuerunt, ut Gordianum et filium ejus Augustos appellaret. nec populus, qui Maximinum detestabatur, quidquam cunctatus, Tysdrum, ubi Gordianus erat, frequentissimus advolavit, eumque invitum quamvis ac repugnantem purpura induit, ipsum et filium Augustos et Africanos salutans. inde Carthaginem ambo cum pompa regali et fascibus laureatis deducti: et legatio Romam ad Senatum missa, qui mox senatusconsulto et Gordianos Imperatores et Maximinum hostem appellavit (3).

II. Haec dum Carthagine fervebant, et quae ex Imperatorum dignitate essent, magnifico omnia cultu et Romano plane more agebantur (4); ea mihi contigisse videntur, quae Tertullianus de milite Christiano narrat, qui, quum donativi caussa reliqui commilitones ad Imperatorum tribunal laureati accederent, lauream ipse, Christianis omnibus improbantibus, sibi noluit imponere. *Proxime*, inquit (5), *factum est: Liberalitas praestantissimorum Imperatorum expungebatur in castris: milites laureati adibant. quidam illic magis Dei miles, ceteris constantior fratribus, qui se duobus dominis servire posse praesumpserant, solus libero capite, coronamento in manu otioso, vulgato jam et ista disciplina Christiano, relucebat. singuli designare et ludere eminus, infrendere cominus. murmur Tribuno defertur; et persona jam ex ordine decesserat. statim Tribunus, cur, inquit, tam diversus habitu? negavit ille sibi cum ceteris licere. caussas expostulatus, Christianus sum, respondit. o militem gloriosum in Deo! suffrogia exinde, et res ampliata, et reus ad Praefectos. ibidem gravissimas penulas posuit, relevari auspicatus: speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit, terrae sancte insistere incipiens: gladium nec Dominicae defensioni necessarium reddidit: laurea et de manu corruit: et nunc russatus sanguinis sui spe, calceatus de Evangelii paratura, succinctus acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus, et de martyrii candida melius coronandus, donativum Christi in carcere expectat.* haec Tertullianus, qui deinde judicia Christianorum carpit in eo milite prudentiam desiderantium, nec crimen in laureae usu agnoscentium. *Exinde*, inquit, *sententiae super illo, nescio an Christianorum, non enim aliae ethnicorum, ut de abrupto et praecipiti et mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit: solus scilicet fortis inter tot fratres commilitones solus*

(2) *idem ibid. c.* 4.
(3) Capitol. *in Gord. c.* 11.
(4) Herod. *lib. vII. c.* 6.
(5) *de Corona c.* 1.

Christianus. plane superest, ut etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias ejusdem Spiritus Sancti respuerunt. mussitant denique, tam bonam et longam pacem periclitari, (qua nempe a Severi morte ad hunc usque annum usi fuerant). *nec dubito*, ait, *quosdam Scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugae accingi de civitate in civitatem. nullam enim Evangelii memoriam curant. novi et pastores eorum, in pace leones, in proelio cervos.* quibus ille verbis Episcopos sine dubio perstringit, qui librum ejus *de fuga in Persecutione* notarant. similia reliqua sunt, quae in libro *de Corona* congessit, ut militis factum defenderet, et coronae usum Christianis interdictum esse, qua exemplis qua auctoritatibus confirmaret.

IIL. Gordianorum interea imperium tam bonis omnibus incohatum, jam ad interitum ruebat, tertio vix mense postquam delatum fuerat. nam circa idus Majas Imperatores dicti, ante Iulium extremum jam obierant. quippe Capellianus, qui Mauretaniae praeerat, vetus Gordianorum inimicus, idemque Maximini, a quo praefecturam illam acceperat, studiosissimus, magno exercitu coacto Carthaginem quam celerrime aggressus, insuetam pugnandi multitudinem facile disjecit, junioremque Gordianum, qui agmen ducebat, interemit, patrem vero senem octogenarium terrore ipso ad mortem impulit, quam ille sibi laqueo conscivit (6). post casum Imperatorum, quae tum passa Carthago sit, quae vicinae etiam urbes pertulerint, nemo satis oratione adsequi possit. ubique enim incendia, rapinae, caedes fuerunt: nec dubium, multos quoque e Christianis in eo tumultu periisse: quorum jam ingens in legionibus quibusque numerus militare solebat, et quos tum pro patria proque Principibus, quos Senatus reverebatur, arma sumpsisse existimandum est.

IIIL. At vero in urbe, quamquam magnus ob Gordianorum mortem luctus et moeror omnium ordinum erat, major etiam a Maximino metus fuit, qui jam e Thracia exercitum in Italiam infundebat, et urbi ac Senatui extrema omnia minitabatur. quum e Consularium numero XX.Viri designati essent, qui rempublicam tuerentur (7), Senatus ex his M. Claudium Pupienum Maximum et D. Caelium Balbinum Imperatores creavit: paulloque post sedandi populi caussa, qui Maximi potissime imperium detrectabat, Gordianum quoque puerum, Gordiani junioris filium, Caesarem dixit.

(6) Herod. *lib. VII. c.* 9. (7) Capitol. *in Gord. c.* 22.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXVIII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES ciet hic annus M. Vlpium Crinitum, Proculum Pontianum: quamquam alii pro Vlpio Annium Pium sufficiunt. Maximo jam ad bellum profecto, gravis in urbe seditio coorta est, furente in Prae-

torianos populo, quos Maximini hostis appellati fautores putaret. magnae utrinque caedes, et bona urbis pars incendiis deformata: Gallicanus Carthaginiensis vir Consularis in eo tumultu, cujus ipse auctor fuerat, cum aliis e primoribus a Praetorianis interemptus est (1). at Maximinus Aquilejam ingenti exercitu obsidebat, quam urbem duo e XX.Viris Consulares Crispinus et Menophilus peritissimi rei militaris strenue defendebant. milites vero Maximini, quum res non succederet, nec annonae copia esset, pertaesi laborum, perosique ducem, qui centuriones quosque fortissimos tamquam in ea obsidione ignavos ac desides necaverat, primum filium ejus, deinde ipsum trucidant (2).

II. His demum, quae ad Aquilejam contigerant, nunciatis, recreata Italia, erectae provinciae: itaque Africa etiam revixit, in qua tum Capellianum, qui tantum saevierat, submissis novorum Principum auxiliis sublatum esse crediderim: neque enim postea de eo veteres scriptores mentionem injecere. sed Romae tamen minus tuta pax, quod Praetoriani, qui sub Maximino militaverant, Imperatores a Senatu lectos aversarentur. ii sane diu ancipites quam viam inirent, denique ludis Capitolinis, quum intenta spectaculis civitas esset, Maximum et Balbinum in ipso Palatio nec opinantes oppresserunt: eorumque loco unum Gordianum imperare passi sunt.

(1) Capitol. *in Maxim. c.* 20. (2) Herod. *lib. VIII. c.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXVIIII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATU functi hoc anno Imp. M. Antonius Gordianus, Man. Acilius Aviola; nec ullus in Italia tumultus, aut bellum in provinciis fuit. in ipsa urbe, animis civium ad concordiam redactis, tranquilla omnia, et voluptatibus ac deliciis populus Romanus vacavit, ut ea, quae fuerant aspere gesta, mitigaret (1).

II. In Africa vero Christianae quoque res pacatae, minime jam Catholicos interpellante Tertulliano, qui grandis natu et senio confectus, finem scribendi fecerat. ultimum enim operum ejus creditur liber *de Corona*, quem superiore anno emisisse videtur. cetera, quae a schismate vulgaverat, erant I. liber ad Scapulam, II. adversus Hermogenem, III. adversus Valentinianos, IIII. libri quinque contra Marcionem. V. de anima, VI. de carne Christi, VII. de resurrectione, VIII. de pallio, VIIII. de monogamia, X. de jejuniis, XI. de pudicitia. XII. adversus Praxeam, XIII. de virginibus velandis, XIIII. de idololatria, XV. de fuga in Persecutione: quae omnia adhuc manent. XVI. quod amisimus, fuere libri septem de ecstasi et contra Apollonium a Hieronymo memorati (2). poëmata ejus quae feruntur, nomen ementiri putantur: quamquam

(1) Capitol. *in Gord. c.* 23. (2) *de vir. illustr. c.* 40. *v. etiam epist. ejus* 62. *n.* 23.

illi aptum poësi ingeninm et mnlta eruditin fuit: qnippe et Graecas litteras apprime norat, nt quaedam etiam ex iis, quae Latine edidit (3), ante ab eo Graece pertractata constet.

(3) *de Bapt. et de virg. veland.* v. Vinc. Lerin. *Comm. c.* 24.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXX.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Vettins Sabinns iterum et Vennstns. Africam vero Proconsul administrabat Sabinianus, cetera ignotus, nisi hoc anno adversus Principem conjnrasset. erat tum praeses Mauretaniae vir fortis atqne immobilis fidei, quem factio Sabiniani timebat nnum, et Caesaream, ut opinor, compulsum obsidebat. at certior de iis factus Gordianus, indicta quamprimum expeditione (1) auxiliares copias submisit, quibus ille nnn modo obsidionem solvit, sed conjuratos ipsos in fidem recepit, Carthaginemque ad dedendum Sabiniannm deduxit. sic brevi exstinctum bellum est, et Africa omnis tranqnillatis rebus pacem habuit.

II. Ecclesia tamen intestino ac domestico malo laboravit. nam ad haec tempora omnino pertinet Privati haeretici defectin, qui Numidiam totam exacerbavit. ignota quidem perversae doctrinae capita sunt, quae ille vulgaret tuereturqne; ignnta etiam crimina, qnibus obstrictus ferebatur: sed Cypriani testimonio constat (2), nonaginta Episcopos in Lambesitanam coloniam convenisse, nt de eo cognnscerent, ibidemque eum omnium Episcopornm sententiis esse damnatum. Concilium hujusmodi Cyprianus cnactum ait *ante multos fere annos*, scribebat autem annn CCLII. ut aut hnnc aut proximos huic anuos omnino desiguasse videatur. qno porro gradu esset Privatus, Episcopusne, an Presbyter, non addit, et damnatum tantummodo, nnn loco motnm affirmat. sed tamen eundem in alia epistola Privatum Lambesitannm appellatum videmns, ut ejus colnniae Episcopus fuisse dicendus sit (3).

(1) Capitol. *in Gord. c.* 23.
(2) *epist.* 55. *ad Cornel.*
(3) *in ep. Presbyter. et Diac. Eccl. Rom. ad Cypr. n.* 30.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXI.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodiere Imp. M. Antonins Gordianus itarum, M. Aurelins Claudins Civica Pompejanns: bisque Consulibns Persae rupto foedere bellnm Romanis intulerunt.

II. Interea Privatus in Africa, quem Numidici Episcopi damnaverant, Carthaginem se contulit, ut judicium eorum, si posset, labefactaret, ac Donati Episcopi auctoritate in integrum restitueretur. Fabianum quoque

Pontificem maximum tentare ausus est, si forte litteras ab eo auferre posset, quae illi reditum ad sedem suam patefacerent. sed omnes conatus ejus irritos fuisse, Cyprianus declarat, qui in epistola ad Cornelium Fabiani successorem, *Antecessorum etiam nostrorum*, inquit (1), *quod et vestram conscientiam non latet, Fabiani et Donati litteris severissime notatum, tibi significavi.*

(1) *epist.* 55.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt C. Vettius Aufidius Atticus, C. Asinius Praetextatus. at Gordianus Aug. Misitheo, cujus filiam Tranquillinam in matrimonium duxerat, Praefecto Praetorii creato, expeditionem suscepit in Persas: Italia in primis atque Africa tum temporis otio et pace florentibus.

II. Itaque ad haec tempora referri potest Geminii cujusdam Afri iter ad urbem Aquilejam, de quo mentio est in veteri inscriptione, quam paucos ante annos Aquilejae ad Felicis repertam accepimus (1). erat Geminius Restuti filius *ex civitate Tusuritana Africae Proconsularis*, quae postea, aucto provinciarum Africanarum numero, ad Byzacenam spectare caepit. forte pater ejus Restutus, nondum Christianus, jamdiu Aquilejam profectus fuerat, ibique, quum reditum in patriam cogitaret, morbo implicitus, abjecta veteri superstitione salutare lavacrum poposcerat, et in Ecclesiam Aquilejensem susceptus sancte decesserat: ubi et conditum corpus ejus esse, indicat titulus sepulcri jam ante vulgatus, quam filii epitaphium prodiret (2). at vero Geminius, cui nihil de patre fama nunciasset, quique multa de Aquilejae obsidione et Maximini bello inaudisset, veritus ne gravius aliquid pater in illo Aquilejensium discrimine perpessus esset, eo sibi navigandum duxit. quo quum pervenisset, et de patris exitu edoctus esset, patris exemplum imitatus, Christianus fieri voluit, ibique, ut in titulo ejus legitur, *De matre majore creatus, felix in Deo Depositus sub die VIII. idus Octobris*, patrem, quem in terris frustra quaesierat, in caelis revisurus, ad superos avolavit.

(1) *Exposui in Anthol. Rom. an.* 1776. *p.* 137. (2) Bert. *Ant. Aquil. p.* 218.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXIII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum kalendis Ianuariis susceperunt C. Iulius Arrianus, Aemilius Papus: quo tempore Gordianus Aug. Persas in Oriente debellabat. potior vero atque gloriosior in Ecclesiae Africanae Fastis victoria,

qnam Caecilins Presbyter de magno Cypriano reportasse hoc anno videtur. Pontius enim Diaconus, qui postea Cypriannm, anno scilicet CCXXXXVIII. *adhuc neophytum* (1) *et, ut putabatur, novellum* jndicio Dei et plebis favore ad officium sacerdotii et episcopatus gradum electnm scribit, mnlta idem a Cypriano ante sacerdotium peracta significat, quae longioris temporis postulent spatium, et maturius eum magistro suo manus dedisse ostendant (2). hic ille erat Caecilins, quem olim Octavius et Minucius ex idololatriae lustris in Ecclesiae sinum addnxerant, *vir justus et laudabilis memoriae*, ut a Pontio appellatur (3), *et aetate tunc et honore Presbyter*, cnjus contnbernio Cyprianns utebatur. atque hic qnidem institutionis vix patiens, din repngnaverat, ratns fieri non posse, ut veteres mores exneret, et singularem illam, quae proponebatur, vitae rationem iniret. nam aestus ipse suos sic deinde in epistola ad Donatnm exposnit: *Ego*, inquit, *quum in tenebris atque in nocte caeca jacerem, quumque in salo jactantis saeculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitae meae nescius, veritatis ac lucis alienus; difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset; utque in novam vitam lavacro aquae salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret, et corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. qui possibilis est, ajebam, tanta conversio?* vicit tamen Deo anctore Caecilins, eumque Ecclesiae virum dedit, qnalem miseris calamitosisqne temporibns, quae jam impendebant, optare magis, qnam sperare posset, non modo ingenio et doctrina praestantem, sed consilio in primis et sapientia et constantia admirabilem. Cyprianus vero non jam se victum, sed in libertatem vindicatum putavit, deqne patroni sni nomine exinde Caecilius Cyprianus dici voluit: quem et *toto honore*, inquit Pontius, *atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non jam ut amicum animae coaequalem, sed tamquam novae vitae parentem.*

II. Carthaginis incolam tum fnisse Cyprianum, ex ejus epistola novimus, qnam aliquando exsul ad Clerum Carthaginiensem scripsit: nam sibi in votis reditum esse significans, *Ubi enim*, inquit (4), *mihi aut melius possit esse aut laetius, quam illic, ubi me Deus credere voluit et crescere?* sed haec ipsa verba eum alibi natum submonent: nec tamen patriam ejus longius dissitam crediderim, quum idem hortos prope Carthaginem habnerit (5): quos simul cum praediis hoc anno vendidit, ut pecunia redacta egentium inopiam sustentaret (6).

(1) *in vita Cypr. n.* 5. v. Boll. *T. III. Sept. p.* 197.
(2) *idem ibid. n.* 2. *et* 3.
(3) *idem ibid. n.* 4.
(4) *epist.* 36.
(5) Pont. *in vit. n.* 15.
(6) *idem ibid. n.* 2.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXIIII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Signatur hic annus Peregrino et Fulvio Aemiliano Consulibus: qui reipublicae funestus fuit Gordiani Aug. caede. hujus auctor ferebatur ipse Philippus, qui imperium proximus suscepit, quamquam idem Christianus jamtum fuisse creditus est, et ob tantum scelus hoc anno, quum Antiochiae sacro Christianorum conventui adesse vellet, a Babyla Episcopo rejectus esse (1): quam Babylae constantiam Ioannes Chrysostomus eximiis laudibus exornavit (2).

II. Cyprianus interea Carthagine totus erat in studiis divinarum litterarum, ut quantum bonis artibus externisque disciplinis excelleret, tantum Christiana etiam doctrina praestaret. inter reliqua Patrum scripta Tertullianum ab eo adsidue lectum testatur Hieronymus (3), qui se hoc a sene Concordiensi didicisse ait, qui a notario Cypriani adolescens Romae audierat, referre solito, *numquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem praeterisse, ac sibi crebro dicere, Da magistrum, Tertullianum videlicet:* ex quo tamen ille sic boni quod inerat, delibare didicit, ut mala prudens rejiceret, ac saepe postea dissimulato nomine refutaret.

(1) Euseb. *H. E. lib. VI. c.* 34.
(2) *Oper. T. II. p.* 545.
(3) *de vir. illustr. c.* 53.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXV.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. M. Iulius Philippus, Tib. Fabius Titianus. hoc anno mortuus putatur Tertullianus. ille certe usque ad decrepitam aetatem teste Hieronymo (1) vixisse dictus est, atque ad mediam quidem Catholicus, exinde Montanista, sub extremam vero etiam Haeresiarches. utinam qui memoriae tanti scriptoris favent, eumque aliquando ad bonam frugem rediisse opinantur, id ipsum indicio aliquo aut certa aliqua veterum auctoritate confirmarent! contra in scriptis ejus nulla poenitentis animi vestigia sunt, mansit secta ejusdem usque ad Augustini tempora, lapsus adhuc et defectionis memoria perstat: ut eum plane exitum habuisse videatur, ad quem jamdin pertinacia ipsa et Catholicae Ecclesiae contemptu adducebatur. nonne enim aetate quoque nostra paribus initiis homines ejusmodi ingenio doctrinaque florere vidimus, qui saepe aliis recte vivendi auctores fuerant: quorum tamen extrema studio partium aurisque popularibus abrepta ac deformata deflevimus: irrito bonorum conatu, qui eos ad prioris vitae consilia revocare volebant? haec

(1) *de vir. illustr. c.* 53.

nimirum superbiae poena divinitus constituta est, ut sibi ipsa perniciem inferat voluntariam.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXVI.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUM incoharunt Consules Bruttius Praesens, Nummius Albinus: quos autem Praesides id temporis Africa habuerit, omnino ignoramus. at Cyprianus sacris in litteris jam biennium versatus, parem se et religioni tuendae et moribus conformandis ostendit. nam hoc anno initium scribendi fecit ab ornata illa maximeque limata epistola ad Donatum amicum, in qua et veteris vitae errores depingit suos, et suscepti Baptismi virtutem extollit, et vitia hominum quanta sint, et quam magnis e periculis ereptus fuerit, gratia divini beneficii commemoratione declarat. quae tamen Cyprianus recens e schola, et fucatum quemdam nitorem nondum oblitus, eo dicendi genere pertractavit, quo deinde gravitatis studiosus numquam usus est. id Augustinus *spumeum verborum ambitum* appellat, primum hoc Cypriani opus sic perstringens (1): *Est*, inquit, *tale aliquid in epistola beatissimi Cypriani, quod ideo puto vel accidisse, vel consulto factum esse, ut sciretur a posteris, quam linguam doctrinae Christianae sanitas ab ista redundantia revocaverit, et ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit, qualis in ejus consequentibus litteris secure amatur, religiose appetitur, sed difficillime impletur.*

(1) *de Doctr. Chr. lib.* III. *c.* 14.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXVII.

Donato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere Imp. M. Iulius Philippus iterum, M. Iulius Philippus Caesar, Augusti filius, qui et ipse sub anni exitum Augustus a Senàtu est appellatus. ad hunc annum spectare videtur Cypriani liber, qui nunc inscribitur *De vanitate Idolorum*, at olim pro argumento praeferebat, quae nunc libri initium putantur, nempe *Quod idola Dii non sint, et quod Deus unus sit, et quod per Christum salus credentibus data sit.* porro lectitatos a Cypriano Tertullianum et Minucium, hic maxime liber ostendit, quum multa in utroque imitatus sit, quaedam etiam ex utroque decerpserit. ceterum eruditio ejus passim eminet, et Graecorum quoque scriptorum ac disciplinarum omnium cognitio non vulgaris, quam ille Christiano homini inutilem non esse liquido confirmavit.

II. Eodem anno Donatus Episcopus jam senior, atque animo, ut arbitror, futura praesagiens, Cyprianum, cujus ingenium, doctrinam, virtutem,

religionem admirabatur, dignum plane duxit, quem inter Ecclesiae suae Presbyteros cooptaret. neque serius eum sacris initiatum statui potest, quum de eodem scribat Pontius (1), *Multa sunt, quae adhuc plebejus, multa quae jam Presbyter fecit, multa quae ad veterum exempla justorum imitatione consimili prosequutus, promerendo Dominum totius religionis obsequio praestitit:* nec vero ultra anni insequentis spatium differre pontificatus ejus initium liceat, quod ab eo in epistolis non obscure designatur. scriptos a Cypriano, quum Presbyter esset, tres libros Testimoniorum adversus Iudaeos, item librum de habitu virginum, quem bis Hieronymus *egregium volumen* appellat (2), opinio multorum est, quam et formulae quaedam in his a Cypriano usurpatae persuadeant.

(1) *in vit. n. 3.* (2) *in epist. ad Eustoch. et ad Demetr.*

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXVIII.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Rursum Consulatus penes Augustos fuit, Philippum patrem III. Philippum filium II. nec dubium est ea maxime de caussa Consules hoc anno refectos esse Augustos, quod is foret a condita urbe millesimus: cujus rei ergo ludi apparatissimi facti sunt XI. kal. Majas, quo die annus millesimus primus incohabatur, itemque novem aliis sequentibus: congiaria etiam ab Augustis populo data, nec eorum quidquam omissum, quae alias ludis Saecularibus facta esse constabat.

II. At vero Ecclesia Carthaginiensis eodem anno Donatum Episcopum amisit: cujus quidem laudes nobis invidit vetustas, quae facta ejus prope omnia oblivione obscuravit. nam de eo ad nos, praeter Privati haeretici damnationem, quam superius commemoravimus, nihil pervenit. sed tamen non sine laboribus ejus meritisque evenisse censendum est, ut Presbyteri et Diaconi Ecclesiae Romanae non multo post ejus mortem ad Cyprianum scribentes, Carthaginiensem Ecclesiam recens a Donato administratam praeclaro illo ellogio commendarent: *Novimus*, inquiunt (1), *Carthaginiensis Ecclesiae fidem, novimus institutionem, novimus humilitatem.*

III. A Donati morte, quum de successore deliberandum esset, totius Christianae plebis oculi in Cyprianum conjecti, et unus maxime idoneus visus est, cui Ecclesia illa amplissima committeretur. quod ille ut sensit, declinandi pontificatus caussa, publico carere coepit. *Quum in dilectionem ejus et honorem*, inquit Pontius (2), *totus populus adspirante Domino prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, et indignum se titulo tanti honoris existimans.* sed ea modestia studia populi auxit. *Obsederat*, pergit idem, *fores domus copiosa fraternitas, et per omnes aditus sollicita caritas circuibat.* fuga igitur interclusa parendum populi voluntati fuit, qui et venturum anxius expectaverat, et venientem de-

(1) *epist. 30. inter Cyprian.* (2) *in vita Cypr. n. 5.*

nique gaudio exultans accepit. ceterum in summa illa animorum consensione Presbyteros quinque Cypriano adversatos scimus, qui multa etiam in eum postea moliti sunt[3], non ejus unquam mansuetudine, non exemplis, non beneficiis placati. *Invitus dico*, ait Pontius (4), *sed dicam necesse est. quidam illi restiterunt, etiam ut vinceret. quibus tamen quanta lenitate, quam patienter, quam benevolenter indulsit, quam clementer ignovit? amicissimos eos postmodum et inter necessarios computans, mirantibus multis: cui enim posset non esse miraculo tam memoriosae mentis oblivio!*

(3) Cyprian. *epist.* 40. (4) *ibid. n.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS CCXXXXVIIII.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Fulvius Aemilianus iterum, Vettius Aquilinus. fuit hic annus Ecclesiae plane luctuosus, Philippis Augg. militum factione sublatis, quorum favore tuta res Christiana fuerat, Imperiique summa ad Decium delata, quem odio in Christianos flagrantem publica auctoritas omnibus rebus armabat.

II. Pacatus tamen in Africa totus defluxit annus, licuitque Cypriano adsiduam in populi institutione operam ponere, et de officiis etiam ad Episcopos, qui eum consulebant, responsa dare. scripserat ad eum Eucratius Episcopus Thenitanus de histrione, qui Thenis Christianum se professus, histrioniam facere pergeret, rogaveratque, num id ferendum esset. hunc vero hominem Cyprianus (1), quum magister et doctor foret non erudiendorum sed perdendorum puerorum, communicare Ecclesiae non debere respondit: quippe nec majestati divinae nec evangelicae disciplinae congruere videbatur, ut pudor et honor Ecclesiae tam turpi et infami contagione foedaretur. *Nec excuset se quisquam*, inquit, *si a theatro ipse cessaverit, quum tamen hoc ceteros doceat. non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, et qui pro se uno plures succedaneos suggerit contra institutionem Dei, erudiens et docens quemadmodum masculus frangatur in feminam, et sexus arte mutetur, et diabolo divinum plasma maculanti per corrupti atque enervati corporis delicta placeatur.* verum quia futurum intelligebat, ut ille admonitus egestatem praetexeret, ad quam abjecta arte redigi necesse esset, primum quidem Eucratium hortatus est, ut de Ecclesiae suae bonis inopiam illius sustentaret: at ne quid histrionis emendationi obesse posset, adjecit ipse quae nullam excusationem relinquerent: *Quod si*, inquit, *illic Ecclesia non sufficit, ut laborantibus praestet alimenta, poterit se ad nos transferre, et hic quod sibi ad victum atque ad vestitum necessarium fuerit accipere, nec alios extra Ecclesiam mortalia docere, sed ipse salutaria in Ecclesia discere.*

(1) *epist.* 61.

II. Eodem anno litteras quoque a Pomponio Episcopo Dionysianensi accepisse creditur, quibus ille sententiam ejus de virginibus masculorum contubernalibus requirebat. jam enim in Africa serpebat prava illa consuetudo, quae deinde per Orientem quoque vagata, ordinum sanctissimorum splendorem maculavit, ac saepe Gregorii Nazianzeni et Hieronymi et Ioannis Chrysostomi gravissimis reprehensionibus exagitata atque in summam invidiam adducta est. Συνεισάκτους Graeci appellabant ejusmodi virgines, quas Presbyteros Diaconosque domi habere vel tori socias non pudebat; seque tamen castimoniam sancte servare illi dictitabant. enimvero Cyprianus Pomponio rescripsit (2), *Intercedendum cito talibus, ut separentur, dum adhuc separari innocentes possunt:* tum ad Clerum quod attinet, *Quum*, inquit, *omnes omnino disciplinam tenere oporteat, multo magis praepositos et diaconos curare hoc fas est, qui exemplum et documentum ceteris de conversatione et moribus suis praebeant. et idcirco consulte et cum vigore fecisti, frater carissime, abstinendo diaconum, qui cum virgine saepe mansit.* addit etiam de poena, qua ii coercendi essent, qui praecepto non paruissent: ac demum castimoniam sacris Ecclesiae ministris praescriptam memorat, quam Pomponius omni studio tueri debeat. *Ergo*, inquit, *ne indisciplinati consumantur et pereant, da operam, frater carissime, ut quantum potes, consiliis salutaribus fraternitatem regas, et singulis ad salutem suam consulas. arcta et angusta est via, per quam ingredimur ad vitam, sed summus et magnus est fructus, quum pervenimus ad gloriam. qui se semel castraverunt propter regnum caelorum, Deo per omnia placeant, nec sacerdotes Dei aut Ecclesiam Domini scandalo suae pravitatis offendant. et si ad praesens a nobis quidam ex fratribus nostris contristari videntur, nos tamen in salubri persuasione maneamus.*

III. Ceterum Cyprianus censor morum diligentissimus, quos in Clerum lecturus esset, ante experiri solebat, et coram Presbyteris suis judicium de singulis instituere; nec tamen adlegere protinus, sed alterum in annum differre. sic hoc anno *proximi Clero* ab eo facti Saturus et Optatus, quos anno insequenti tandem cooptavit, quum jam Carthagine secessisset. nam examen hujusmodi in epistola XXIII. quam e latebris suis ad Clerum misit, his verbis commemorat: *Fecisse me autem sciatis Lectorem Saturum et Hypodiaconum Optatum Confessorem, quos jampridem communi consilio Clero proximos feceramus, quando aut Saturo die Paschae semel atque iterum lectionem dedimus, aut quando cum Presbyteris doctoribus Lectores diligenter probaremus, Optatum inter Lectores Doctorem Audientium constituimus, examinantes, an congruerent illis omnia, quae esse debent in iis, qui ad Clerum parabantur.* hac, opinor, adhibita diligentia, et mora ejusmodi interposita, rarius in Clerum legent Episcopi, quorum eos postea pudere debeat.

(2) *epist.* 62.

ANNUS CHRISTIANUS CCL.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATU functi hoc anno Imp. M. Messius Decius iterum, Annius Maximus Gratus. ipso autem mense Ianuario Decii in urbe adversus Christianos furor erupit, primusque Fabianus Pontifex maximus XIII. kal. Februarias praeclarum martyrium fecit, atque, ut Cyprianus scribit, *pro integritate administrationis ejus consummatio quoque honesta processit* (1). subinde civis Carthaginiensis, et Martyrum progenies, captus Romae est Celerinus Confessor clarissimus, quem Cyprianus multis saepe laudibus ornavit. erat hic adolescens; magno tamen animo *per decem et novem dies*, ut idem tradit (2), *custodia carceris septus, in nervo ac ferro fuit:* quumque aetatis, opinor, miseratione emissus, in Africam rediisset, testes confessionis suae cicatrices attulerat. *Lucent,* ajebat Cyprianus, *in corpore glorioso clara vulnerum signa, eminent et apparent in nervis hominis ac membris longa tabe consumptis expressa vestigia.*

II. Sed dum Celerinus in vinculis Romae erat, jam Carthaginem Decii edicta perlata fuerant, quibus crudele ac nefarium Christianis bellum indicebatur. et significatio imminentis cladis multo ante Cypriano facta fuerat, cui se divinus Paterfamilias videndum obtulerat, *sedente sibi ad dexteram juvene: qui juvenis anxius et cum quadam indignatione subtristis maxillam manu tenens, maesto vultu sedebat: alius vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. et quum miraretur, quid hoc esset ille qui vidit, dictum est ei, juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari et dolere, quod praecepta sua non observarentur: illum vero in sinistra exsultare, quod sibi daretur occasio, ut a patrefamilias potestatem sumeret saeviendi.* haec Cyprianus (3), qui visum ipse contemplatus putatur: post quae addit: *Et vidimus impletum quod fuerat ostensum: ut dum Domini praecepta contemnimus, dum datae legis mandata salutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet, minus armatos et ad repugnandum minus cautos jactu retis operiret.* ex quo autem edicta adversus Christianos promulgata fuere, quidquid ethnicorum in Africa erat, tamquam classico excitati, contra Ecclesiam Dei infremere, et optimo cuique adversari coeperunt. Carthagine in primis quum in amphitheatro aut in Circo populus sederet, Cyprianum ante omnes, quod et dignitas ejus et sanctitas insignior esset, ad leonem magnis clamoribus postulare ausus est. quaerebatur ad caedem victima illa Deo devota, cui tamen Deus alia tempora destinaverat. *Servatus est*, inquit Pontius (4), *vir ingenii praeter cetera etiam spiritaliter temperati, qui inter resultantes collidentium schismatum fluctus, Ecclesiae iter medium*

(1) *epist.* 3. *ad Presb. Rom.*
(2) Cypr. *epist.* 34.
(3) *epist.* 7. *ad Clerum*
(4) *in vita n.* 8.

librato limite gubernaret. ratus nimirum Cyprianus, in tanto improborum odio ereptum sibi, ut adesse utiliter, opemque praesens afferre suis posset, consilium Evangelicum sibi tum sequendum existimavit; praesertim quum et illud timeret, ut ipse ait (5), *Ne per inverecundam praesentiam nostram seditio, quae caeperat, plus provocaretur.* secessit igitur, et procul ab urbe latitans furentis populi impetum declinavit. verum ex ipsis latebris Ecclesiae suae quodammodo praesens imminere, ac Pontificali munere diligentissime fungi videbatur: adeo nihil illi ignotum, nihil interclusum erat. quae autem ejus curae tum fuerint, ut omnes officii sui partes expleverit, ex eodem Cypriano novimus, quod postea apud Presbyteros et Diaconos, qui Fabiani morte Ecclesiam Romanam regebant, purgare se debuerit adversus eos, qui secessionem illam litteris Romam missis improbaverant. *Absens tamen,* inquit (6), *corpore, nec spiritu nec actu nec monitis meis defui, quo minus secundum Domini praecepta fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate consulerem. et quid egerim loquuntur vobis epistolae pro temporibus emissae numero tredecim, quas ad vos transmisi: in quibus nec Clero consilium, nec Confessoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec universae fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam adlocutio et persuasio nostra defuit, quantum secundum legem fidei et timorem Dei Domino suggerente nostra mediocritas potuit eniti.*

III. Atque haec quidem omnia sedulo Cyprianus praestabat, qfiibus multi animos sumpserunt, vitaque contempta pro caelesti praemio fortiter decertarunt. sed multos etiam vel primus ille Deciani furoris terror prostravit. id Cyprianus ipse non diffitetur in eo libro, quem pace firmata *de lapsis* scripsit. *Ad prima,* inquit (7), *statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam prodidit; nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit.* tum imbecillitatem quamplurium, trepidationem, perfidiam describit his verbis: *Non expectaverunt saltem, ut ascenderent apprehensi, ut interrogati negarent: ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti. ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. quot illic a magistratibus vespera urgente dilati sunt, quot ne eorum differretur interitus, etiam rogaverunt? .... ac multis proprius interitus satis non fuit: hortamentis mutuis in exitium populus impulsus est, mors invicem letali poculo propinata est. ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi vel attracti amiserunt parvuli quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consequuti:* quantum nempe in parentum arbitrio erat, quorum nequitia prodebantur. fuere etiam magno numero, qui ne ab ethnicis vexarentur, libellum a Magistratibus pecunia impetrarent;

(5) *ep'st. 14. ad Presb. Rom.*
(6) *ibidem.*
(7) *de laps. p. 436. ed. Baluz.*

quo in libello perscriptum erat, eos Diis sacrificasse, quamquam revera a tanto scelere abstinuerant. ii postea *Libellatici* appellati sunt: quorum consilium et facinus Ecclesia semper detestata est.

IIII. Haec omnia ad Cyprianum in secessu illo suo dies noctesque Deo supplicantem, et moerore luctuque tabescentem frequentes Presbyterorum litterae perferebant, quos ille custodes praesidesque Ecclesiae reliquerat. sed bonos etiam atque exoptatos identidem accepit nuncios, in tanta illa defectione nec fortes Confessores, nec invictos Martyres defuisse. vix sane in Christianos inquiri Carthagine coeptum fuerat, quum Rogatianus Presbyter et Felicissimus comprehensi, atque ob praeclaram confessionem in vincula ducti sunt. his paullo post alii accessere, quos inter et feminae quaedam et pueri aliquot inventi sunt, quibus tum Cyprianus per epistolam gratulatus (8) auctor quoque fuit, ut Rogatianum et Felicissimum in omnibus sequerentur. interea Carthaginem redierat Proconsul Fortunatianus, et Christianos ad tribunal citari jusserat. ducebantur magno numero, qui ut coram stetere, excelso animo Christianos se esse professi sunt. exinde alii in carcerem reducti, ubi sententiam judicis opperirentur, quamplurimi exsilio multati, et solum vertere jussi: e quibus sexaginta quinque Romam pervenerunt, quos Celerinus (9) a Candida et Numeria sororibus hospitio Romae acceptos scribit, quae et ad portum Ostiensem obviam progressae fuerant, ut eos in urbem deducerent. in exsulum numero fuit et Aurelius ille adolescens, quem postea Cyprianus ob merita ejus Lectorem fecit (10): item Statius et Severianus a Celerino memorati (11), quorum primus ex Confessore Martyr Romae creditur obiisse (12). numerantur cum his et Felix Presbyter, et quae uxor ejus fuerat, Victoria, et Lucius: qui quidem primo in conflictu turpiter succubuerant: sed mox admissum scelus detestantes, quum rursum interrogati essent, se Iesum Christum Deum agnoscere et adorare responderunt, et eo nomine bonis spoliati et in exsilium acti sunt: quos propterea Caldonius Episcopus, qui et ipse rem Christianam cum Cypriani Presbyteris Carthagine curabat, in communionem recepit, et Cyprianus merito receptos pronunciavit (13). accidit etiam, ut mulier quaedam nomine Bona ab ipso marito pertraheretur ad sacrificandum: quae, dum manus ejus ab iis, qui sacrificabant, tenerentur, exclamavit aperte (14), *Non feci, vos fecistis:* itaque et ipsa extorris facta est.

V. Hactenus bonorum direptione, exsiliis, vinculis, et carceribus in Christianos saevitum erat. Aprili mense tormenta, caedes, martyria coeperunt. ac primus, ut videtur, Mappalicus lauream adeptus est XV. kal. Majas, cujus nomen sacris adhuc in Fastis celebratur: de quo etiam Cyprianus in epistola (15) ad Martyres et Confessores, *Vox*, inquit,

(8) *epist.* 81.
( ) *epist.* 20. *inter Cypr.*
(10) *epist.* 33.
(11) *ibidem epist.* 20.
(12) Pamel. *in Cypr. p.* 46.
(13) *epist.* 18. *et* 19.
(14) Caldon. *in epist.* 18. *inter Cypr.*
(1) *epist.* 8.

plena Spiritu sancto de Martyris ore prorupit, quum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos Proconsuli diceret, Videbis cras agonem: *et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit, Dominus implevit. agon caelestis exhibitus, et Dei servus in agonis promissi certamine coronatus est.* in ipsa enim quaestione fortissimus ille Martyr exspiravit, Luciani Confessoris testimonio, qui de hujus et ceterorum Martyrum exitu Romam ad Celerinum scripsit (16). porro Mappalici socii fuere Paullus, post tormenta statim exstinctus, Bassus in nervo sive *Pedario* tigno exanimatus, itemque Fortunio, postquam in carcerem reductus est: praeterea Fortunata, Victorinus, Victor, Herennius, Credula, Herena, Donatus, Firmus, Venustus, Fructus, Iulia, Martialis, Aristo, qui omnes in carcere fame necati sunt. horum continet laudes Cypriani epistola (17) ad Martyres et Confessores, qui etiamtum superstites parem finem expectabant. *Probata res*, inquit, *est certamine fratrum glorioso, qui ad tormenta vincenda ceteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei praebuerunt, congressi in acie, donec acies succumberet victa. quibus ego vos laudibus praedicem, fortissimi fratres? robur pectoris vestri et perseverantium fidei quo praeconio vocis exornem? tolerastis usque ad consummationem gloriae durissimam quaestionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt: finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronae dederunt.* corpora vero ipsa Martyrum et Confessorum, qui in vinculis decesserant, ejusdem Cypriani admonitu (18) rite a Clero in tumulis composita: de quo etiam officio ad Ecclesiam Carthaginiensem diligenter perscripserunt Presbyteri Ecclesiae Romanae, rem id maximam appellantes (19). simul autem Cyprianus et diem consignari voluit, quo quisque coronam tulisset: quamquam habebat ille Carthagine, qui eum de quotidianis rebus certiorem faceret. *Denique*, inquit, *et dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. quamquam Tertullus fidelissimus et devotissimus frater noster pro cetera sollicitudine et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit et scribat ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosae mortis exitu transeunt, et celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quae cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.*

VI. Alios hoc anno Martyres caelo submissos declarat Cypriani epistola alia ad Clerum Carthaginiensem, qua Numidicum Confessorem in Presbyterorum Carthaginiensium collegium a se cooptatum significavit. *Nam*, inquit (20), *admonitos nos et instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginiensium numero, et nobiscum sedeat in Clero, luce clarissima confessionis illustris, et virtutis*

(16) *epist.* 21. *inter Cypr.*
(17) *epist.* 8.
(18) *epist.* 37.
(19) *epist.* 3. *inter Cypr.*
(20) *epist.* 35. v. Boll. *T. II. Aug. p.* 411

ac fidei honore sublimis: qui hortatu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se misit, quique uxorem adhaerentem lateri suo concrematam simul cum ceteris, conservatam magis dixerim, laetus adspexit. ipse semiustulatus et lapidibus obrutus et pro mortuo derelictus, dum postmodum filia sollicito pietatis obsequio cadaver patris inquirit, semianimis inventus et extractus et refocillatus, a comitibus, quos ipse praemiserat, remansit invictus. his vero Martyribus adoumerandi etiam videntur, quos Graeci adhuc honorant (21), Tereotius et Africauus cum sociis, iu Africa Martyrio defuncti sub Decio Aug. quorum postea Reliquias Theodosios magnus in aedem Euphemiae, quae iu Petra dicebatur, Constantiuopolim ioferendas curavit (22). quod si ceterae quoque provinciae Cypriaunm alterum habuissent, profecto de earum etiam Martyribus aliquid ad nos usque trausmissum esset, in quibus Ecclesias et Episcopos magoo numero jamtnm fuisse, aduotum est.

VII. Iuterea uonnolli ex iis, qui in exsilium ejecti fueraot, edictis magistratuum contemptis, domum redire ausi sunt. qood ut rescivit Cyprianus, plurimum reprehendit, objurgavitque reduces eo maxime nomioe, quia in eam patriam, uode extorres facti esseot, regressi, fieri poterat, ut apprēheusi, non jam ut Christiaoi, sed quasi noceutes perireot (23). sed tamen graviore eum molestia affecerunt Confessores ipsi iu carceribus etiamtum superstites, nimia quadam facilitate Christiauis iu receoti periculo lapsis patrociuantes. nam hi quidem, quum eos violatae Deo fidei vehementer puderet, et io Ecclesiam, unde ob proditionem exciderant, recipi maxime cuperent, freqneotes itabant ad Confessores, eosque rogabant, ut iu communiouem admitterent, et Episcopo qoemque suo commendareot. quidam vero ex illis adeo indolgentes eraut, ut probroso cuique sine mora communicarent, datoque libello, quo id ipsum testabantur, Episcopum quoque urgebant, ut illum, quum se ad pedes ejus abjecisset, Ecclesiae redderet. Confessorum illorum princeps erat Luciauus quidam, spectatae saue virtutis vir invictaeque patientiae, sed qui Ecclesiae praescripta et Evangelii documenta parum uorat. hic non modo libellos petentibus et suo et aliorum nomine dabat (24), sed etiam lapsis absentibus veniam pacemque obtulerat, ac Celerino, qui ei Numeriam et Caodidam sacrificio pollutas commendaverat, rescripserat his verbis: *Secundum praeceptum Paulli,* qui nempe Martyr decesserat, et se in lapsos misericordem ostenderat, *et nostrum tractatum, exposita caussa apud Episcopum, et facta exomologesi, habeant pacem non tantum hae, sed et quas scis ad animum nostrum pertinere* (25). deoique ad Cyprianum ipsum epistolam hujusmodi omnium Coofessorum oomioe mittere ausus est (26). *Vniversi Confessores Cypriano Papae salutem. Scias, nos universis, de quibus apud te ratio*

(21) v. Boll. 10. *Apr. p.* 860.
(22) Theod. Lect. *lib. II. n.* 62. *et infra an.* 384. 1.
(23) *epist.* 6. *et* 14.
(24) Cypr. *epist.* 22.
(25) *epist.* 21. *inter Cypr.*
(26) *epist.* 16. *inter Cypr.*

constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem, et hanc formam per te et aliis Episcopis innotescere voluimus. optamus, te cum sanctis Martyribus pacem habere. Praesente de Clero et Exorcista et Lectore Lucianus scripsit. haec vero quam aegre tulerit Cyprianus, nemo non facile intelligat, quum et ab iis ferre deberet, quos unice amabat ac venerabatur, et contra Ecclesiae auctoritatem tentata intelligeret, quae ab eo potissimum retinenda esset. dolebat etiam ac multum angebatur, quod Presbyteri quidam, ii scilicet, quos in suscipiendo pontificatu competitores habuerat, illam lapsorum impunitatem fovebant, ultro cum ipsis communicantes, et temere omnia nulloque ordine administrabant.

VIII. Quae quum ita essent, rem Cyprianus diutius dissimulandam non duxit, et graves admodum ac prudentiae plenas perscripsit epistolas, ad Clerum, ad Confessores, ad lapsos, ut singulos de officio admoneret. prima ejus ad Clerum verba fuere (27): *Diu patientiam meam tenui, fratres carissimi, quasi verecundum silentium nostrum proficeret ad quietem. sed quum immoderata et abrupta praesumptio temeritate sua et honorem Martyrum et Confessorum pudorem et plebis universae tranquillitatem turbare conetur, tacere ultra non oportet, ne ad periculum et plebis pariter et nostrum taciturnitas nimia procedat. quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini, quando aliqui de Presbyteris nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi praepositum Episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia et contemptu praepositi totum s ibi vindicent?* rei autem novitatem et praeposteram agendi rationem potissimum perstringit: *Nam,* inquit, *quum in minoribus peccatis agant peccatores poenitentiam justo tempore, et secundum disciplinae ordinem ad exomologesin veniant, et per manus impositionem Episcopi et Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persequutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiae ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum, et nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo et Clero imposita Eucharistia illis datur.* jam altera epistola ipsos Martyres et Confessores sic affatur (28): *Sollicitudo loci nostri et timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi fratres, admonere vos litteris nostris, ut a quibus tam devote et fortiter servatur fides Domini, ab iisdem lex quoque et disciplina Domini reservetur.* culpam deinde in Presbyteros et Diaconos rejicit, qui ad eos commeantes modum nullum praescripserint, et Ecclesiae leges atque Evangelii praecepta non exposuerint. *Ea enim,* inquit, *concedere, quae in perniciem vertant, decipere est; nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam. vel ex vobis itaque discant, quod docere debuerant.* tum lapsos etiam accusat, qui impudentius peterent, quod illis neque modestis neque ex animo resipiscentibus negandum esset: ac modum denique, quem ab ipsis servari maxime oporteret, ostendit. *Hoc autem,* inquit, *totum*

(27) *epist.* 9. (28) *epist.* 10.

potest fieri, si ea, quae a vobis petuntur, religiosa contemplatione moderemini, intelligentes et comprimentes eos, qui personas accipientes in beneficiis vestris aut gratificantur, aut illicitae negotiationis nundinas aucupantur. de hoc et ad Clerum et ad plebem litteras feci, quas utrasque vobis legi mandavi. sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur, Communicet ille cum suis: *quod numquam omnino a Martyribus factum est, ut incerta et caeca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. late enim patet, quando dicitur,* Ille cum suis: *et possunt nobis viceni et triceni et amplius offerri, qui propinqui et affines et liberti ac domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum. et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinae congruentes litteras dirigatis.* tertia demum epistola lapsos coercere aggressus est, qui ad eum tamquam corpus et Ecclesia publica scribere ausi fuerant (29). exorsus autem ab Episcopi auctoritate, cui omnes parere deberent, *Miror,* inquit, *quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, ut Ecclesiae nomine litteras facerent, quando Ecclesia in Episcopo et Clero et in omnibus stantibus sit constituta. absit enim, nec Domini misericordia et potestas ejus invicta patiatur, ut Ecclesia esse dicatur lapsorum numerus: quum scriptum sit* (30), Deus non est mortuorum, sed vivorum. *omnes quidem vivificari optamus, et ut in statum pristinum restituantur, precibus nostris et gemitibus postulamus. si autem quidam lapsi Ecclesiam se volunt esse, et si apud illos atque in illis est Ecclesia, quid superest, quam ut ipsi rogentur a nobis, ut nos ad Ecclesiam dignentur admittere?* post haec hortatur, ut sceleris memores, quo obstricti erant, modestiam ac verecundiam praeseferrent, et quosdam e gregalibus suis imitarentur, quos mansuetudo et pudor et religio maxime commendabat. quod si responsum a se ferre vellent, litteras, quas miserant, reficerent, distinguerentque, quae quisque peteret, et nomen item subjicerent singulorum. nec tamen non iis etiam consuluit, qui dum poenitentiae lege tenerentur, in vitae discrimen incidissent. diserte enim ad Clerum suum scripsit (31), uti *non exspectata praesentia nostra, apud Presbyterum quemcumque praesentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud Diaconum quoque exhomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desiderarint.* quae quidem verba argumento esse videntur, qui tum a societate piorum rejecti Ecclesiae ob admissa sua satisfaciebant, privato fere judicio jampridem absolutos, admissione tantum sententiaque sollemni eguisse, quam et Diaconus ex Episcopi

(29) *epist.* 27. *quae Ignatii M. doctrinae mire consentit.*

(30) Matth. *c. xxII. n.* 32.

(31) *epist.* 12.

auctoritate, Presbytero absente, efferre posset, postquam rei criminis ipsi sui veterem maculam detexissent. qois enim ademptum miseris credat, ut venia peccatorum impetrata, diuturnam poenam aequo animo ferrent, ac Deo coram, quod maxime expeteodom erat, dum Ecclesiam placabant, praemium sibi aeternum demissione, fletibus, abstinentia compararent? (32).

VIII His atque aliis hujusmodi epistolis plurimom profecit Cyprianus, et animos Presbyteris, quos fidos et obsequentes habebat, plane addidit: ut externum quoqne Presbyterum et Diacooum qui lapsos recipiebaut, a sacris suis arcere noo dubitarint. id ex Cypriano discimus, qui factum laudavit. *Integre*, inquit (33), *et cum disciplina fecistis, fratres carissimi, quod consilio collegarum meorum, qui praesentes erant, Gaio Diddensi* (fortasse Idensi) *Presbytero et Diacono ejus censuistis non communicandum, qui communicando cum lapsis, et offerendo oblationes eorum, in pravis erroribus suis frequenter deprehensi, et semel atque iterum, secundum quod mihi scripsistis, a collegis meis moniti ne hoc facerent, in praesumptione* et *audacia sua pertinaciter perstiterunt.* eosdem subinde coofirmavit epistola Presbyterorum Ecclesiae Romanae, qui tom, ut ajunt, vice Pastoris gregem costodiebant: modum enim, quem ipsi io urbe servabant erga lapsos, proponentes hortabaotur, ut pari ratione uterentur. provide autem et illod admooebant, si forte ex eo hominum numero quidam in morbum incidissent, iis omnioo subveniendum esse, dommodo, ioqoiunt, *et agant poenitentiam facti sui, et desiderent communionem* (34). atque borom auctoritatem sequutus Cypriaous, Clero ipse etiam scripsit (35), *Ut qui libellum a Martyribus acceperunt, et auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua et periculo coeperint, exomologesi facta,* et *manu eis a vobis in poenitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.* sed quod ad ceteros spectabat, ratum illud fixomque fuit, ante Ecclesiae pacem et reditum Episcoporum neminem de lapsis admitti oportere. itaque et ad Presbyteros Romanos illa Cypriaous respoodit (36): *Plane ceterorum caussas, quamvis libello a Martyribus accepto, differri mandavi, et in nostram praesentiam reservari; ut quum pace a Domino nobis data plures praepositi convenire in unum coeperimus, communicato etiam vobiscum consilio disponere singula et reformare possimus.* tum Clero etiam suo ita convenire ostendit (37): *Quam*, ioquit, *irreligiosum est, et ipsis quoque festinantibus perniciosum, ut quum extorres facti et patria pulsi ac bonis suis omnibus spoliati nondum ad Ecclesiam redierint, quidam de lapsis Confessores ipsos praevenire, et ante eos ad Ecclesiam introire festinent!*

(32) vide Francolin. *in Cler. Rom. lib. I. Disp. XI.*
(33) *epist.* 28.
(34) *epist.* 2. *inter Cypr.*
(35) *epist.* 13.
(36) *epist.* 14.
(37) *epist.* 13.

x. Haec dum agebantur, spes aliqua pacis jam affulgebat: sed Cypriano interclusus etiamtum reditus erat odiis ethnicorum, qui eum maxime ad caedem designaverant. quare nondum prodire e latebris suis ausus est; at illi tamen liberius paullo res Ecclesiae curare licuit. itaque quum aliam a Clero Romano epistolam accepisset (38), quam illi Saturus Lector attulerat, in eaque expositum esset, quae Romae circa lapsos constituta fuissent, eam ad Presbyteros suos Carthaginem misit, iis etiam litteris additis, quas a Confessoribus Romanis Moyse et Maximo missas servabat, ut eas describerent vulgarentque. unde factum est, ut in ea re omnium Ecclesiarum maxima brevi consensio exsisteret. Ecclesiae item suae honori fore arbitratus, si praestantissimum quemque e Confessoribus in Clerum adlegeret, quum forte eum Presbyteri aliquot convenissent, ipsis praesentibus Lectores duos ordinavit (39). horum prior fuit Aurelius, cujus laudes sic ipse persequitur: *Aurelius frater noster, illustris adolescens, a Domino jam probatus et Deo carus, in annis adhuc novellus, sed in virtutis ac fidei laude provectus, minor in aetatis suae indole, sed major in honore, gemino hic agone certavit, bis confessus, et bis confessionis suae victoria gloriosus, et quando vici in cursu factus extorris, et quum denuo certamine fortiore pugnavit, triumphator et victor in praelio passionis.* alter fuit Celerinus, qui et aviam et patruum et avunculum Martyres numerabat (40). fuerat hic, ut diximus, in vinculis Romae: libertatem adeptus redierat in Africam, et Cyprianum ipsum latitantem adierat. sic autem Lector creatus est, ut divinae voluntatis significatio repugnantem adduceret. nam sic de eo ad Clerum et plebem scribit Cyprianus: *Exsultate itaque et gaudete nobiscum litteris nostris, quibus ego et collegae mei, qui praesentes aderant, referimus ad vos Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter et moribus gloriosum Clero nostro, non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctum. qui quum consentire dubitaret Ecclesiae, ipsius admonitu et hortatu in visione per noctem compulsus est, ne negaret nobis suadentibus.* ceterum majores utrique honores Cyprianus destinabat. *Hos*, inquit, *Lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat, et gloriosos vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni fraternitate circumstante conspecti incitamentum gloriae videntibus praebeant. ceterum Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut et sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, et divisiones mensurnas aequatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum provectis et corroboratis annis suis: quamvis in nullo minor possit videri aetatis indole, qui consummavit aetatem gloriae dignitate.* erat praeterea inter Confessores quosque clarissimus, quem superius commemoravimus, Numidicus Presbyter, post ustionem et lapidationem superstes. hunc Cyprianus in collegium Presbyterorum suorum cooptavit, praefectura quoque regionis

(38) *epist. o. inter Cypr.*
(39) *epist.* 33.
(40) *epist.* 34.

suae ei destinata, simul atque Carthaginem adiisset. *Et promovebitur* (41), inquit, *quum Deus permiserit, ad ampliorem locum regionis suae, quando in praesentiam protegente Domino venerimus.* post haec alia epistola egentium inopiae sibi subveniendum duxit, Presbyterosque et Diaconos suos hortatus est, ut viduarum et infirmorum et omnium pauperum curam diligenter haberent: nec minori studio peregrinos commendavit. Nam *et peregrinis*, inquit (42), *si qui indigentes fuerint, de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi, sumptus suggeratis: quae quantitas ne forte jam universa erogata sit, misi eidem per Naricum Acolythum aliam portionem, ut largius et promptius circa laborantes fiat operatio.*

xI. Vertente jam anno postremae Cypriani ad Clerum litterae fuerunt, quibus eum ad adsiduas Deo preces fundendas inflammabat. *admoneo*, ajebat (43), *religiosam sollicitudinem vestram, ut ad placandum atque exorandum Dominum non voce sola, sed et jejuniis et lacrimis et omni genere deprecationis ingemiscamus.* simul malorum instare finem praedicebat, sic a Deo edoctus, quem pro populo suo dies noctesque exoraverat. *Denique*, addebat, *ad minimum famulum suum, et in delictis licet plurimis constitutum, et dignotione ejus indignum, tamen ille pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est: Dic illi*, inquit, *securus sit, quia pax ventura est; sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui, qui probentur.* quibus, opinor, verbis intestina quorundam conjuratio designabatur, quae jam impendebat. *Si nos*, inquit, *Dominus humiles et quietos, si nobis invicem copulatos, si circa iram suam timidos, si praesenti tribulatione correctos emendatosque conspexerit, tutos ab inimici infestationibus exhibebit. praecessit disciplina, sequetur et venia.*

(41) *epist.* 35.
(42) *epist.* 36.
(43) *epist.* 7.

ANNUS CHRISTIANUS CCLI.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processere Imp. C. Messius Decius III. Q. Herennius Etruscus Messius Decius Caesar (*), pater nempe atque filius, qui sub anni exitum bello Guthico perierunt. hi quamdiu Romae fuere, nihil tutum Christianis fuit, ut ne ad Fabiani quidem successorem eligendum convenire potuerint. multi quoque in carceribus Confessores martyrium opperiebantur, quos inter eminebant Moyses et Maximus, ad quos perlatus hoc anno putatur liber de laude martyrii, opus, ut creditur, Cypriani: quamquam ab ejus stilo abludit vel plurimum.

II. At Ecclesia Africana ab ethnicis paullo securior esse coeperat: non eo tamen successu, quem Cyprianus optaverat. depulso enim vexationis

(*) *Decius uterque appellatur in Afr. Insc.* apud Oct. Falcon. *in Auctario ad Insc. Athletic. n.* 8.

metu, vetus jam in populo licentia revixerat, et vitiis rursum aditus patebat. nec Confessores ipsi macula omnes et culpa carebant. *Doleo*, scribebat ad Clerum Cyprianus (1), *quando audio, quosdam improbe et insolenter discurrere, et ad ineptias vel ad discordias vacare, Christi membra et jam Christum confessa per concubitus illicitos inquinari, nec a Diaconis aut Presbyteris regi posse.* et ad Rogatianum ceterosque Confessores scribens, *Quosdam*, inquit (2), *audio inficere numerum vestrum et laudem praecipui nominis prava sua conversatione destruere: quos etiam vos ipsi, utpote amatores et conservatores laudis vestrae, objurgare et comprimere et emendare debetis.* haec edoctus Cyprianus, Presbyteros in primis rogabat atque obsecrabat, ut circa ea, quae administratio religiosa deposceret, vice sua strenue fungerentur: nam ipsi quidem vel maxime cupienti nondum reditus patebat. *Quamquam*, inquit (3), *caussa compelleret, ut ipse ad vos properare et venire deberem, primo cupiditate et desiderio vestri, quae res in votis meis summa est, tum deinde ut ea, quae circa Ecclesiae gubernacula utilitas communis exposcit, tractare simul, et plurimorum consilio examinata delimare possemus; tamen potius visum est adhuc interim latebram et quietem tenere respectu utilitatum aliarum, quae ad pacem omnium nostrum pertinent et salutem: quarum vobis a Tertullo fratre nostro carissimo ratio reddetur; qui pro cetera sua cura, quam impense divinis operibus impertit, etiam hujus consilii auctor fuit, ut cautus et moderatus exsisterem, nec me in conspectum publicum, et maxime ejus loci, ubi toties flagitatus et quaesitus fuissem, temere committerem.* magnus nempe ethnicorum numerus Carthagine erat ex omni ordine, quorum etiam furore proscriptus fuerat (4), et bonis omnibus spoliatus (5): ut in tanto improborum odio recte Tertullus existimaret, minime ejus viri vitam esse periclitandam, in qua Ecclesiae tum salus maxime nitebatur.

III. Sed dum his populi moribus Cyprianus dolebat, gravius jam malum instabat a Felicissimo cive Carthaginiensi opulento, eodemque Christiano, at vitiis notato, et animo in Cyprianum infenso. forte anno ineunte Carthaginem Cyprianus cum pecunia miserat Episcopos duos Caldonium et Herculanum, cumque his Presbyteros suos spectatissimos Rogatianum et Numidicum, qui *necessitates fratrum* sumptibus ipsius *expungerent, et si qui etiam vellent suas artes exercere, additamento, quantum satis esset, desideria eorum juvarent: simul etiam et aetates eorum et conditiones et merita discernerent*, quo de illis certior ipse fieret, *et dignos* quosque ac virtutibus maxime commendatos in Ecclesiae usum atque solatium legere posset (6). jamvero quum illi mandata, quae receperant, diligenter persequerentur, ecce tibi improborum stipatus manu Felicissimus Episcopos atque Presbyteros coercere nititur, ausus intercedere, *ne*

(1) *epist.* 5.
(2) *epist.* 6.
(3) *epist.* 5.
(4) Pont. *in vita n.* 7.
(5) Cypr. *epist.* 69.
(6) Cypr. *epist.* 38.

quis posset expungi, neve census ullus institueretur: iis etiam, qui ad stipem accipiendam accesserant, *secum in monte non communicaturos, qui Cypriano obtemperare voluissent*, comminatur. haec in agro Carthaginiensi contigisse videntur, et *Montem* ille appellasse creditur praedium et domum suam in colle sitam, quae tum fortasse Christianis patebat, eo tutius convenientibus, quod in urbe sine periculo conventus tunc haberi non possent. inde etiam Donatistas, qui se a Catholica Ecclesia pariter disjunxerunt, *Montenses* esse appellatos, credibile est (7). ea porro ut Cyprianus rescivit, non ille audacia hominis deterritus, qui se ducem factionis et seditionis principem temerario furore inferebat, auctoritatem suam impune contemni, et pacem Ecclesiae inulto scelere turbari passus est: verum ad Episcopos et Presbyteros eosdem, quos illic vicaria potestate fungi jusserat, gravissimas litteras misit, quibus litteris et Felicissimo sacris interdicebat, et qui ejus adseclae essent, eidem poenae obnoxios fore minitabatur, nisi illum deseruissent. *Interim*, inquit (8), *quum Felicissimus comminatus sit, non communicaturos in Monte secum, qui nobis obtemperassent, id est, qui nobis communicarent, accipiat sententiam, quam prior dixit, ut abstentum se a nobis sciat, quando ad fraudes ejus et rapinas, quas dilucida veritate cognovimus, adulterii etiam crimen accedit, quod fratres nostri graves viri deprehendisse se nuntiaverunt, et probaturos se adseverarunt. quae omnia tunc cognoscemus, quando in unum cum collegis pluribus permittente Domino convenerimus. sed et Augendus, qui nec Episcopum nec Ecclesiam cogitans, pariter se cum illo conspiratione et factione sociavit, si ultra cum eo perseveraverit, sententiam ferat, quam ille in se factiosus et temerarius provocavit. sed et quisquis se conspirationi et factioni ejus adjunxerit, sciat se in Ecclesia nobiscum non esse communicaturum, qui sponte maluit ab Ecclesia separari.* haec vero ne paucis nota et Montis illius ambitu circumscripta essent, litteras easdem Carthaginem ad Clerum transmitti jussit, additis nominibus eorum, qui cum Felicissimo se junxissent.

IIII. Nec vero mora interposita ulla est. Episcopi convenere cum Presbyteris, Victore quoque collega advocato, qui proximae, ut arbitror, Ecclesiae praeesset, edictumque hujusmodi proposuerunt, cujus exemplum et ad Cyprianum et ad alios Episcopos mitteretur (9): *Caldonius cum Herculano et Victore collegis, item Rogatiano cum Numidico Presbyteris. Abstinuimus a communicatione Felicissimum et Augendum, item Repostumde extorribus et Irenem Rutilorum et Paullam sarcinatricem, quod ex adnotatione mea scire debuisti. item abstinuimus Sophronium et ipsum de extorribus, Soliassum budinarium.* hactenus edictum, quale ad nos pervenit: cui plura tum nomina subscripta fuisse, facile admiserim. eo autem promulgato, statim apparuit, quid Felicissimus moliretur. quinque enim Presbyteri Carthaginienses, qui antea pontificatum Cypriano eripere conati fuerant,

(7) v. Baron. *ad an.* 254. *n.* 38.
(8) *epist.* 38.
(9) *epist.* 39. *inter Cypr.*

ii se Felicissimo ejus secessionis antesignanos praebuerunt. fuisse autem putantur Fortunatus, is qui deinde a factione Episcopus Carthaginiensis dictus est, Novatus, qui mox Romae Novatiano auctor schismatis fuit, Donatus et Gordius, quos Cyprianus cum Fortunato et Novato ad se aliquando simul scripsisse memorat (10): ac demum Cajus ille Idensis, lapsorum fautor, quem collegium Presbyterorum Carthaginiensium anno superiore a sacris removerat. horum suffragiis, ut gratiam referre viderentur, Felicissimus creatus est Diaconus: quo autem sectatores haberent multos, iidem lapsos invitare, et veniae spem omnibus facere coeperunt. nec deerant qui fidem proditoribus haberent, et ad eorum castra Montemque transfugerent. nisi quod Cyprianus, ad quem accuratae de rebus omnibus litterae a Presbyteris ejus perscribebantur, praeclara epistola plebem in officio continere conatus est (11). *Pacem*, ajebat, *nunc offerunt, qui ipsi non habent pacem: in Ecclesiam lapsos reducere et revocare promittunt, qui de Ecclesia recesserunt.* addebat et illa, quae alios erigere possent, alios deterrere: *Persecutionis istius novissima haec est et extrema tentatio, quae et ipsa cito, Domino protegente, transibit, ut repraesenter vobis post Paschae diem cum collegis meis: quibus praesentibus secundum arbitrium quoque vestrum, et omnium nostrum commune consilium, sicut semel placuit, ea, quae agenda sunt, disponere pariter et limare poterimus. si quis autem poenitentiam agere et Deo satisfacere detrectans, ad Felicissimi et satellitum ejus partes concesserit, et se haereticae factioni conjunxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire, et cum Episcopis et plebe Christi communicare non posse.*

v. His Episcopi sui litteris animos multorum permotos resipuisse, ac mutato consilio schisma detestatos esse, non est ambigendum. nimium enim et virtutem ejus omnes suspiciebant, et auctoritatem reverebantur. exinde Cyprianus, qui menses amplius quatuordecim latuerat, rebus magna ex parte tranquillis, Ecclesiam revisit suam, et Clerum populumque universum vultu praesens et adloquio beavit. eodem autem tempore alii undique Episcopi, de gravissimis Ecclesiae negotiis cum eo in Concilio disceptaturi, Carthaginem convenere. nam illud primum ex omnium sententia constituendum erat, quo ordine quave ratione lapsos in Ecclesiam recipi oporteret: qua de re quidem per litteras non semel actum fuerat, sed lex etiamtum desiderabatur, quae morem firmaret, et lapsorum querimonias de medio tolleret. cognoscendum quoque erat de Felicissimi schismate ac de tota illa seditiosorum factione, quae jamtum multorum in Africa malorum fons et origo futura esse videbatur. Cyprianus interea remedia morbis parabat, quae tum maxime opportuna esse possent, nec domi solum, sed etiam foris: quippe miro quodam omnium juvandorum desiderio flagrabat. ea duo fuere opuscula, quae per hos dies composuisse videtur, liber nempe *de lapsis* et liber *de Vnitate Ecclesiae:*

(10) *epist.* 5. (11) *epist.* 40.

quorum altero violatae Deo fidei reos pudore fractos ad agendam poenitentiam pertrahebat, altero dissidentes animos novarumque rerum cupidos infelicis exitus comminatione deterritos ad pacem concordiamque revocabat.

VI. Super haec optati ab urbe nuncii venerunt, decimo septimo post mense, quam Fabianus decesserat, de successore agi licuisse, maximoque omnium consensu pontificatum maximum Cornelio esse delatum. is pridie nonas Iunias designatus putatur, quum jam Decius Aug. qui hactenus Episcopum Romae creari vetuerat, ad bellum profectus esset, ejusque loco Iulius Valens imperium arripuisset, quod brevi cum vita amisit. ergo Episcopi, qui diu jam varias lapsorum caussas in controversiam vocaverant, et singula placitorum capita conscripserant, Cornelium quoque de his consulendum duxerunt. convenerant autem, inquit Cyprianus (12), *Vt nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, et eo quod sibi Ecclesia clauderetur, sequuti saeculum gentiliter viverent; nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu poenitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia, et examinarentur caussae et voluntates et necessitates singulorum: Libellatici interim admitterentur, sacrificatis in exitu subveniretur.* atque haec ut ad Cornelium perlata sunt, *et ipse*, addit Cyprianus, *cum plurimis Coepiscopis habito Concilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit:* cujus deinde decreto totus etiam orbis Christianus adquievit (13). ut autem regulam haberent Episcopi, qua et de criminum gravitate et de idonea poena judicarent, libellum quoque confecerunt, *ubi*, inquit Cyprianus, *singula placitorum capita conscripta essent*, ejusque exemplum ad omnes Episcopos missum est: in quo initium agnoscere licet poenalium canonum, quos in certum volumen relatos (14) posteritas celebravit. caussa postea acta est Iovini et Maximi Episcoporum, quos jam de sententia collegarum novem damnatos constabat, cum alia ob crimina, tum quod inanibus Diis thus adolevissent (15). aderat autem cum his et Privatus Lambesitanus jampridem a Donato Episcopo notatus. porro omnes iterum rejecti, et in exterorum numero habiti: quod scilicet nullo poenitentis animi indicio, nulla emendatae vitae significatione aditum in Ecclesiam sibi aperuissent. par Felicissimi et Presbyterorum, qui ei adhaeserant, ratio fuit. nam eum Cyprianus *hostem Christi* appellat (16) *non novum, sed jam pridem ob crimina sua plurima et gravissima abstentum, et non tantum mea, sed et plurimorum Coepiscoporum sententia condemnatum.* idemque et de Felicissimo et de presbyterio ejusdem quae gesta essent, ad Clerum Romanum se perscripsisse testatur (17): ac Novatum in primis *omnium sacerdotum voce damnatum* (18) tradit. auditos eos in Concilio, exploratum est (19):

(12) *epist. 52. ad Antonian.*
(13) Euseb. *H. E. lib. VI. c. 43.*
(14) v. Morin. *de Poen. in App. p. 3.*
(15) Cypr. *epist. 55.*
(16) *ibid.*
(17) *epist. 42.*
(18) *epist. 49.*
(19) *epist. 42.*

sed quum sententiam Patres prolaturi essent, Felicissimus latitavit, ac Romam demum cum sociis transmisit (20).

VII. Iamvero ab horum adventu omnia Romae turbata, et gravis admodum calamitas Ecclesiae incubuit. Novatus prae ceteris fuit tum, Cypriano teste (21), *fax et ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo et tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus.* fuerat paullo ante Cornelii competitor Novatianus Presbyter Ecclesiae Romanae, doctrina magis, quam virtute clarus, ac suffragiis praeteritus acceptam repulsam aegre ferebat. ad hujus familiaritatem quum se Novatus applicuisset, et Cornelio iratum ac nova molientem videret, facile hominem impulit, ut criminibus multis in Cornelium per calumniam malitiamque confictis, ipse in pontificatum invaderet, et sectatores etiam suffragatoresque non paucos inveniret, quorum in numero Confessores quoque aliquot exstitere. de hoc tumultu deque nefario Novatianorum dissidio cuncta ad Cyprianum litteris multorum perlata sunt: nec defuere epistolae ab ipsis schismaticis, qui Cornelium mendaciis quam plurimis onerabant: quum hic contra modestissimas de se litteras misisset (22). Episcopi ob eam rem frequentissimi ex Africa Carthaginem convenerunt, et Cypriano auctore Caldonium et Fortunatum collegas Romam legandos censuere, qui de facto praesentes inquirerent, et quae comperissent, quam celerrime renunciarent. ex horum denique relatione, simul et testimonio Episcoporum duorum Stephani et Pompeii, qui Romae adfuerant, quum omnium consensu pontificatus Cornelio delatus est, tota Africa unum Cornelium legitimum Episcopum agnovit, et Novatianum pari conspiratione rejecit. rejecti item Novatiani legati eorumque libelli, interdictumque, ne uspiam populo legerentur. ceterum non hoc satis Cypriano fuit: sed operam etiam in eo posuit, ut Confessores, quos Novatianus Romae deceperat, ad Ecclesiam Corneliumque reduceret. itaque ad Cornelium scribens (23), *Et religiosum*, inquit, *nobis et necessarium existimavi, frater carissime, ad Confessores, qui illic sunt, et Novatiani ac Novati obstinatione et pravitate seducti de Ecclesia recesserunt, litteras breves facere, quibus eos pro affectione mutua convenirem, ut ad matrem suam id est Ecclesiam Catholicam revertantur.* nec vero Cyprianus operam perdidit; misso enim simul libello, quem de Vnitate Ecclesiae scripserat, et hoc et litteris suis effecit, ut errorem agnoscerent suum, et schisma detestati veniam a Cornelio pacemque implorarent. reditum eorum fuse describit ipse Cornelius in epistola ad Cyprianum (24), ciens nominatim Maximum Presbyterum, Vrbanum, Sidonium, Macarium, quibus se plerique fratres adjunxerant: verba etiam referens, quibus illi ad professionem usi erant his nunciis quam laetatus tum sit Cyprianus, litterae ejus ad Confessores.

(20) Pacian. *epist.* 3.
(21) *epist.* 49.
(22) *epist.* 42.
(23) *epist.* 43.
(24) *epist.* 46. *inter Cypr.*

declarant (25). *Lectis, inquit, litteris vestris, fratres carissimi, quas ad me de vestra regressione, et de ecclesiastica pace ac fraterna redintegratione fecistis, in tantum me laetatum esse confiteor, in quantum fueram et ante laetatus, quando confessionis vestrae gloriam comperi, et militiae vestrae caelestem ac spiritalem laudem gratulabundus excepi. nam et haec fidei et laudis vestrae alia confessio est, unam esse Ecclesiam confiteri, nec alieni erroris vel potius pravitatis participem fieri, repetere eadem castra, unde prodistis, unde ad gerendum proelium, et adversarium subigendum fortissimis viribus prosilistis.*

VIII. Africam interea peragrabant legati, quos Novatianus tamquam Vrbis Episcopus submiserat, Maximus Presbyter, Augendus Diaconus, Machaeus et Longinus, de quibus scribens ad Cornelium gravissime queritur Cyprianus (26): *Ac ne, inquit, eorum furens audacia unquam desisteret, hic quoque in schismatis partes Christi membra distrahere, et Catholicae Ecclesiae corpus scindere ac laniare nituntur, ut ostiatim per multorum domos, vel oppidatim per quasdam civitates discurrentes obstinationis suae et erroris sui sibi quaerunt comites.* vix tamen illi quidquam proficiebant, et hoc illis responsum Episcopi passim dabant, *Vt perniciosa dissensione et concertatione deposita, impietatem esse scirent matrem deserere, et agnoscerent atque intelligerent, Episcopo semel facto, et collegarum ac plebis testimonio et judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse.* quare spe rerum novarum amissa, quum se etiam in omnium bonorum odium incurrisse intelligerent, Africa tandem excesserunt. verum ejusmodi hominum peste haud diu Ecclesiae Africanae carere licuit. brevi enim legationem a Novatiano alii acceperunt, quos inter Novatus fuit omnium scelerum maculis notatissimus, qui et in Africa et Romae schismatis auctor fuerat. de his statim ad Cyprianum Cornelius scripsit (27), et Nicephorum Acolythum praeterea misit, qui eum de legatorum moribus totaque factione certiorem faceret. itaque Cyprianus ea edoctus, Episcopos omnes de singulorum sceleribus admonuit, deinde ex eorum consilio laterculum ad Cornelium exaravit, in quo Episcoporum Africae Catholicorum nomina scripta essent (28): ut quos in ea serie non inveniret, externos eos et schismaticos haberet: quales deinde legati illi alicubi constiterunt.

VIIII. Anno jam vertente, quum Deciorum crudelitas in Christianos nondum detumuisset, nunciatum repente est, et ipsos extinctos, et eorum loco C. Vibium Gallum cum Volusiano filio imperare: de quorum honore non mediocriter gavisos esse Afros, nemo dubitet. indidem enim fuisse, atque in insula Meninge, quae postea Girba dicta est, nati esse feruntur (29). et exstat Tunete inscriptio, quae opus publicum illic ab eis restitutum testatur (30).

(25) *epist.* 51.
(26) *epist.* 41.
(27) *epist.* 48. *inter Cypr.*
(28) *epist.* 54.
(29) Vict. *in epit.*
(30) Maff. *M. V. p.* 459. *n.* a.

ANNUS CHRISTIANUS CCLII.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum suscepere C. Vibius Trebonianus Gallus Aug. iterum, C. Volusianus Caesar, quum in Moesia essent, unde, foedere cum Gothis icto, Romam anno incohato venerunt. inde Novatianus ut alias passim Ecclesias, sic Africanas et legationibus et litteris pervertere nitebatur. itaque ad Antonianum quoquo Episcopum Numidicum scripserat, ut ad sectam suam pertraheret; eumque, multa in Cornelium probra mentitus, paene commorat. sed quum is ante ad Cyprianum de illis criminationibus retulisset, consiliumque ejus expectasset, egregiis Cypriani litteris (1) confirmatus, Novatianum repulit, et eam esse Catholicam Ecclesiam agnovit, cui Cornelius praeesset. nam Cyprianus et quam legitima esset Cornelii auctoritas, diserte ostenderat, et quanto idem consilio lapsos in Ecclesiam reciperet, accurate declaraverat: tum Novatianum vi atque fraude pontificatus honorem sibi vindicare; et lapsos omnes ac scelere quolibet obstrictos contra divinarum litterarum documenta rejicere ad perpetuum inutilemque luctum, mirifice demonstraverat. cujus etiam querelae illae fuerunt, mitissimi animi et commune bonum spectantis indices: *O frustrandae*, inquit, *fraternitatis irrisio, o miserorum lamentantium et amentium caduca deceptio, o haereticae institutionis inefficax et vana traditio! hortari ad satisfactionis poenitentiam, et subtrahere de satisfactione medicinam, dicere fratribus nostris, Plange et lacrimas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo et purgando delicto tuo largiter et frequenter operare, sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris, quaecumque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem quam quaeris accipies.*

II. Iamvero qui Antonianum in Numidia perdere non potuerunt, gravius iidem facinus Carthagine aggressi sunt. reducto enim in Africam Maximo, cujus prima legatio vana fuerat, eum factionis suae Episcopum Carthaginiensem constituerunt. quam adversarii audaciam Cyprianus sic contemnendam duxit, ut de eo facto ne ad Cornelium quidem statim quidquam perscribendum existimaret. nam aliquanto post, ad eundem litteris alia de re missis, sic de Maximo mentionem intulit (2): *Pars Novatiani Maximum Presbyterum nuper ad nos a Novatiano legatum missum, atque a nostra communicatione rejectum, nunc istic sibi fecisse pseudoepiscopum dicitur. nec tamen hoc tibi scripseram, quando haec contemnantur a nobis.* ceterum praeter Maximum ex eorundem legatorum numero Episcopus in Africa a Novatianis factus est Nicostratus quoque, de quo Cyprianus ait (3), *Quomodo assumit sibi regendae aut gubernandae Ecclesiae curam, qui spoliavit et fraudavit Ecclesiam*

(1) *epist.* 52.
(2) *epist.* 55.
(3) *epist.* 49.

Christi? quippe hic, quum Diaconus esset Ecclesiae Romanae, *Ecclesiasticis pecuniis sacrilega fraude subtractis, et viduarum ac pupillorum depositis denegatis* infamis, urbe profugerat, et haec ad pontificatum Novatianorum praeclara in Africam merita attulerat. haec autem omnia Novato auctore fiebant, quem Cyprianus procellae ac turbini comparabat (4), quod et quies esse inciperet, unde recessisset, et quo accederet, tempestas illic turbulenta concitaretur. omnia sane quum Romae esset, modo turbaverat, et in Africa jam iterum in Ecclesiam irruebat.

III. Inter haec Cyprianus de recta populi sui institutione laborans, opusculum illud pulcherrimum *de Oratione Dominica* emisit, quod tantopere Augustinus, Hilariusque commendarunt. nam et Pelagianos in eo antevertens refutasse videbatur, quum verba illa, *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*, sic explicavit (5): *Non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult. nam Deo quis obsistit, quo minus quod velit faciat? sed quia nobis a Diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus et petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope ejus et protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est.* porro ipsa precandi formula, quam explanat, ab ea, quam nunc usurpamus, aliquantulum differt: extrema enim sunt hujusmodi: *Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris, et ne nos patiaris induci in tentationem, sed libera nos a malo. amen.* ipsum autem *Malum* de omni malorum genere accipit, non ut Graeci ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. *In novissimo*, inquit, *ponimus*, sed libera nos a malo, *comprehendentes adversa cuncta, quae contra nos in hoc mundo molitur inimicus.* illud etiam admonens, in supplicando quam intenti precibus esse debeamus, simul antiquos sacrificii ritus nos docet (6): *Cogitatio,* inquit, *omnis carnalis et saecularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet quod precatur. ideo et sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo* Sursum corda; *ut dum respondet plebs* Habemus ad Dominum, *admoneatur nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere.* sacrificiis demum quoties adessent, modeste se gerere, ac prope tacite precari jubebat (7). *Et quando*, inquit, *in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiae et disciplinae memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Deo tumultuosa loquacitate jactare; quia Deus non vocis, sed cordis auditor est.*

IIII. Pascha jam erat, quod hoc anno actum est III. idus Apriles, quum litteras Cyprianus accepit a sex Episcopis, qui Capsam forte convenerant, ut novum Episcopum consecrarent: Capsam utique Byzacenam,

(4) *ibidem.*
(5) *pag.* 491. *edit. Baluz.*
(6) *p.* 501. *ibid.*
(7) *pag.* 485. *ibid.*

quae tum in Proconsulari censebatur, quod nondum ea provincia a Carthaginiensi avulsa Praesidem suum accepisset. de Capsa enim Numidica sermonem non esse, manifestum est: quum infra Cyprianus *Proconsulem* commemoret, cui profecto Numidia non parebat. caussa autem scribendi haec Episcopis fuerat, quod Superius Episcopus ad eos retulisset, fasne esset ad communicationem admittere Christianos tres, Ninum, Clementianum et Florum, qui multa et gravia pro Christo perpessi, vi quidem tormentorum subacti fuerant, *et de gradu gloriae, ad quam plena fidei virtute tendebant, diutinis cruciatibus exciderant,* sed tamen *post hunc gravem lapsum non voluntate, sed necessitate susceptum a poenitentia agenda per hoc triennium* non destiterant (8). enimvero Episcopi illi Cyprianum consulendum censuerunt, et ab eo praeterea postulandum, ut de tota controversia judicium collegarum in Concilio requireret. at Cyprianus, quum synodus in mensem proximum indicta esset, ne illi diutius haererent, quid ipse de ea re sentiret, maturius aperuit: *Et quidem*, inquit, *quod ad mei animi sententiam pertinet, puto, his indulgentiam Domini non defuturam, quos constat stetisse in acie, nomen Domini confessos esse, violentiam magistratuum et populi furentis incursum immobilis fidei obstinatione vicisse, passos esse carcerem, diu inter minas Proconsulis et fremitum populi circumstantis tormentis laniantibus ac longa iteratione cruciantibus repugnasse: ut quod in novissimo infirmitate carnis subactum videtur, meritorum praecedentium defensione relevetur; et sit satis talibus gloriam perdidisse, non tamen debere nos eis et veniae locum claudere, atque eos a paterna pietate et a nostra communicatione privare, quibus existimamus ad deprecandam clementiam Domini posse sufficere, quod triennio jugiter ac dolenter, ut scribitis, cum summa poenitentiae lamentatione planxerunt.* sic Cyprianus severitatem illam Novatianeam temperabat, quae Numidicis Episcopis id temporis prope adridere videbatur. at nihilo minus se de illa quaestione ad Patres relaturum pollicitus est, simul atque Carthaginem se contulissent. *Quoniam tamen*, inquit, *scripsistis, ut cum pluribus collegis de hoc ipso plenissime tractem, et res tanta exigit majus et impensius de multorum collatione consilium, et nunc omnes fere inter Paschae prima sollemnia apud se cum fratribus demorantur, quando sollemnitati celebrandae apud suos satisfecerint, et ad me venire coeperint, tractabo cum singulis plenius, ut de eo, quod consuluistis figatur apud nos, et rescribatur vobis firma sententia multorum sacerdotum consilio ponderata.*

v. Huic Concilio idus Majae initium attulere (9): cui adfuerunt Episcopi sexaginta sex. convocandi autem non una caussa fuerat: nam praeter Superii controversiam, quam ex Cypriani sententia synodus diremisse putanda est, litterae a Fido fratre venerant adversus Therapium collegam plenae querelarum, quod is Victori quondam Presbytero, *antequam*

(8) Cypr. *epist.* 53. (9) Cypr. *epist.* 55.

poenitentiam plenam egisset, et Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, immaturo tempore et praepropera festinatione pacem dedisset (10). litteris autem in Concilio perlectis, displicuit Patribus, *Recessum esse a decreti auctoritate, ut ante legitimum et plenum tempus satisfactionis, et sine petitu et conscientia plebis, nulla infirmitate urgente ac necessitate cogente, pax ei concederetur.* et poterat Therapius facile de ea re Cyprianum consulere: erat enim Bullensis Episcopus in provincia Proconsolari. ceterum acerbi nihil contra eum sancitum est. *Librato*, inquit Cyprianus, *apud nos diu consilio, satis fuit objurgare Therapium collegam nostrum, quod temere hoc fecerit, et instruxisse, ne quid tale de cetero faciat. pacem tamen quomodocumque a sacerdote Dei semel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem sibi concessam usurpare* permisimus.

VI. Exinde Fidi ejusdem de baptismo infantium sententia proposita est, existimantis, *Intra secundum vel tertium diem, quo nati sint, constitutos baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquae, ut intra octavum diem eum, qui natus est, baptizandum et sanctificandum non putaret.* sed in illo Episcoporum conventu nemo fuit, qui veterem circumcisionis consuetudinem in Baptismi diebus designandis valere aliquid aut praescribere posse existimaret: rescriptumque Fido est Concilii nomine, *Haec fuit in Concilio nostra sententia, a Baptismo atque a gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos debere prohiberi. quod quum circa universos observandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim nativitatis suae ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.* ex eodem hoc responso morem tum fuisse discimus, ut qui Baptismo adessent, infantem oscularentur. nam quum Fidus objecisset, *vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esse, quod unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari;* reposuere Patres, *ne hoc quidem ad caelestem gratiam dandam impedimento esse oportere. scriptum est enim*, Omnia munda mundis (11). *nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. nam etsi adhuc infans a partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari, quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato et recens quodammodo exosculamur, quando id quod Deus fecit, amplectimur.* memorat saepe eandem epistolam Augustinus, qui et ejus auctoritate usus est, ut veterem Ecclesiae doctrinam de peccato originali tueretur (12). dum haec autem in Concilio agerentur, Privatus Lambesitanus, quem saepius ante damnatum diximus, tanta au-

(10) *idem epist.* 59.
(11) *ad Tit. c.* 1. *n.* 15.
(12) *serm.* 294. *c.* 20.

dacia fuit, ut iterum ad Concilium adspirare non dubitarit, nec solus, sed gregalium suorum stipatus manu. restitere tamen Episcopi, nec quemquam admittendum censuerunt. absoluto demum Concilio, scripsisse Cyprianus videtur Epicteto Episcopo et populo Assuritano (13), ut Fortunatianum, qui jam sacrificationis impiae caussa dejectus pontificatu, honorem usurpare audebat, constanter repudiarent. *Quae*, inquit, *res contristavit me, primo propter ipsum, qui miser vel Diaboli tenebris in totum excaecatus, vel quorundam sacrilega persuasione deceptus, quum debeat satisfacere, et ad Dominum exorandum diebus ac noctibus lacrimis et orationibus et precibus incumbere, audet sibi adhuc sacerdotium, quod prodidit, vindicare, quasi post aras Diaboli accedere ad altare Dei fas sit; aut non majorem in se iram et indignationem Domini in die judicii provocet, qui quum fidei et virtutis dux fratribus esse non potuerit, perfidiae et audaciae et temeritatis magister existat.* tum quae praestare ipsi deberent exponens, addit: *Quod si Fortunatianus aut immemor criminis sui per Diaboli caecitatem, aut minister et servus Diaboli factus ad decipiendam fraternitatem, in hoc suo furore permanserit, vos quantum potestis elaborate, et in hac caligine Diaboli saevientis fratrum mentes ab errore revocate, ne alienae dementiae facile consentiant, ne se desperatorum delictis participes faciant, sed teneant integri salutis suae et integritatis conservatae a se et custoditae perpetuum tenorem.* quia vero lapsorum etiam magnus ubique numerus erat, sua his quoque monita tradere voluit. *Lapsi vero*, inquit, *magnitudinem delicti sui cognoscentes a deprecando Domino non recedant, nec Ecclesiam Catholicam, quae una et sola est, a Domino constituta, derelinquant; sed satisfactionibus immorantes, et Domini misericordiam deprecantes ad Ecclesiam pulsent, ut recipi illic possint, ubi fuerunt, et ad Christum redeant, a quo recesserunt.*

VII. Episcopi interea ad Ecclesias suas redierant: sed Privatus haereticus et tota Felicissimi factio Carthagini incubabat, ibi repulsam, quam a Concilio tulerant, ulturi, Episcopum e secta sua Cypriano opponunt: is fuit Fortunatus, e numero quinque Presbyterorum, quos Cyprianus jamdiu adversarios habebat; qui rem Cornelio sic narrat (14): *Venerat*, inquit, *cum Privato et Felix quidam, quem ipse extra Ecclesiam in haeresi pseudoepiscopum olim constituerat. sed et Iovinus et Maximus comites cum Privato probato haeretico adfuerunt, ob nefanda sacrificia et crimina in se probata, sententia novem Episcoporum collegarum nostrorum condemnati, et iterato quoque a pluribus nobis anno priore in Concilio abstenti. cum his autem quatuor junctus est et Repostus Tuburnicensis, qui non tantum in persecutione ipse cecidit, sed et maximam partem plebis suae sacrilega persuasione dejecit. hi quinque cum paucis vel sacrificatis vel male sibi consciis Fortunatum sibi pseudoepiscopum cooptarunt, ut criminibus in unum convenientibus talis esset*

(13) *epist.* 64. (14) *epist.* 55.

scilicet rector, quales illi qui reguntur. ceterum factio ante jactaverat, adfuturos viginti quinque Episcopos de Numidia, qui sibi Episcopum facerent. *Quo in mendacio suo,* addit Cyprianus, *posteaquam quinque solis convenientibus naufragis et a nobis abstentis, detecti sunt atque confusi, Romam cum mendaciorum merce navigaverunt: quasi veritas post eos navigare non posset, quae mendaces linguas rei certae probatione convinceret.* solatio autem Cypriano fuit, tantam apud eos etiam malorum penuriam fuisse, ut ad illos nec de sacrificatis nec de haereticis viginti quinque colligi possent. quod mirum est. horum factio plane a Novatianis dissidebat, quibus Maximus praeerat. aditum illi ad Ecclesiam poenitentibus intercludebant, hi contra se omnes admittere et poenam cuique condonare jactabant. *Datur opera,* scribebat Cyprianus ad eundem Cornelium, *ne satisfactionibus et lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrimis abluantur. pax vera falsae pacis mendacio tollitur, salutaris sinus matris noverca intercedente praecluditur, ne de pectore atque ore lapsorum fletus et gemitus audiatur. compelluntur adhuc insuper lapsi, ut linguis atque ore, quo in Capitolio ante deliquerant, sacerdotibus convicium faciant, confessores et virgines et justos quosque fidei laude praecipuos atque in Ecclesia gloriosos contumeliis et maledicis vocibus prosequantur.* sed hoc semper haereticorum proprium fuit, ut modum nescirent, quem Catholica Ecclesia servans magistram se veritatis altricemque virtutis ostendit.

VIII. Vt Romam Felicissimus cum aliquot factionis antesignanis pervenit, quamquam semel jam a Cornelio rejectus fuerat, instabat tamen pro Fortunato suo, falsa multa contra Cyprianum in vulgus spargebat, metum Cornelio incutere conabatur, út Ecclesia Romana sectae suae patrocinium susciperet. fuitque vis illius tanta et tam vehemens furor, ut Cornelii animum prope labefaceret: quem propterea Cyprianus epistola confirmare aggressus est. *Sed enim,* inquit, *lecta alia tua epistola, frater, quam primis litteris subjunxisti, satis miratus sum, quum animadvertissem, te minis atque terroribus eorum, qui venerant, aliquantum esse commotum, quum te, secundum quod scripsisti, aggressi essent, cum summa desperatione comminantes, quod si litteras, quas attulerant, non accepisses, publice eas recitarent, et multa turpia ac probrosa et ore suo digna proferrent.* post quae pulcre admodum de Episcoporum officiis multa disserit, et se factionis illius apertum contemptorem profitetur. *Quae,* inquit (15), *sui elatio est, quae comminantium tumens et inflata et vana jactatio, illic absenti minari, quum hic me habeant in potestate praesentem? convicia eorum, quibus se et vitam suam quotidie lacerant, non timemus; fustes et lapides et gladios, quos verbis parricidalibus jactitant, non perhorrescimus.* exinde Cornelius, si forte Felicissimum et reliquos Fortunati legatos subtimebat, lectis Cypriani litteris, et Clero quoque audiente recitatis, omnes eorum

(15) *ibid. epist.* 55.

conatus retudisse putandus est. Fortunato certe nihil in Africa successit ex sententia. nam de toto illo impiorum grege scribit Cyprianus, *Quia conscientiam suam norunt, nec nos audent adire, aut ad Ecclesiae limen accedere, sed foris per provinciam circumveniendis fratribus et spoliandis pererrant, et omnibus jam satis noti, atque undique pro suis facinoribus exclusi, illuc etiam ad vos navigant. neque enim potest illis frons esse ad nos accedendi, aut apud nos consistendi, quum sint acerbissima et gravissima crimina, quae eis a fratribus ingeruntur.* at multi contra, qui Maximo aut Fortunato adhaeserant, schisma detestati ad Ecclesiam redibant; quos Cyprianus, ne miseri foris perirent, vel indignante interdum populo, facilior admittebat. *O si posses,* scribebat Cornelio, *frater carissime, istic interesse nobiscum, quum pravi isti et perversi de schismate revertuntur! videres, quis mihi labor sit persuadere patientiam fratribus nostris, ut animi dolore sopito recipiendis malis curandisque consentiant. namque ut gaudent et laetantur, quum tolerabiles et minus culpabiles redeunt, ita contra fremunt et reluctantur, quoties inemendabiles et protervi, et vel adulteriis vel sacrificiis contaminati, et post haec adhuc insuper et superbi, sic ad Ecclesiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant. vix plebi persuadeo, imo extorqueo, ut tales patiantur admitti.*

VIIII. Haec Cyprianus, haec ceteri per Africam Episcopi pacis pietatisque obibant munia, quum jam nomen Christianum rursus in discrimen vocari coeperat. nam Gallus Imperator, quum Hostiliano Decii filio sublato, et Volusiano Caesare dicto Augusto, bella composuisset, Romae etiam ac per Italiam pacata omnia essent, Decianam crudelitatem imitatus, lata contra Christianos lege, vexari eos ubique et capite damnari jusserat. cujus consilii ineundi ea fuisse caussa putatur, quod pestilentia tum orbis Romani provincias plerasque vastante, quum sacrificia Diis placandis indicta essent, Christiani superstitionem illam aversati, templis abstinerent. in eos nempe tota calamitatis culpa conjiciebatur, et una omnium vox erat, Deos iratos Christianorum sanguine placari oportere. itaque in Africa ipsa, quum Cyprianus ea ad Cornelium scribebat, quae modo recensuimus, et Galli lex perlata, et magistratuum edicta proposita jam fuerant. quin etiam populus, quum in Circo sederet, Cyprianum ipsum ad leonem denuo postulaverat: qui jam divinitus quoque cognoverat (16), *diem certaminis appropinquasse, hostem violentum cito exsurgere, pugnam non talem, qualis fuisset, sed graviorem multo et acriorem venire.* ergo quum de omnium salute plurimum laboraret, Episcopis in tanto illo periculo, quos potuit, convocatis, fuere autem quadraginta duo, quod tum in Ecclesia permagni momenti erat, de pace lapsis danda ad Patres retulit: auctorque illis fuit, ut ingruente proelio instruerent inermes, et in communi discrimine opem, quam poscerent, universis afferent. *Obtemperandum est,* ajebat (17), *ostensionibus atque admonitionibus*

(16) *epist.* 54. (17) *ibidem.*

justis, ut a pastoribus oves in periculo non deserantur, sed grex omnis in unum congregetur, et exercitus Domini ad certamen militiae caelestis armetur. merito enim trahebatur dolentium poenitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quandiu quies et tranquillitas aderat, quae differre diu plangentium lacrimas, et subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. at vero nunc non infirmis sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communicatio a nobis danda est; ut quos excitamus et hortamur ad proelium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus: et quum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicae saturitatis armemus. his porro atque aliis hujusmodi argumentis facile Cyprianus Episcopos omnes in suam sententiam adduxit. quumque idem omnes censuissent, placuit quoque ea de re ad Cornelium Pontificem maximum scribi, quem in eadem sententia esse arbitrabantur.

x. At Cornelius jam in certamen descenderat, quum ei litterae Patrum Africanorum perferebantur. urgente enim Galli Imperatoris praesentia, certatim Romae magistratus cladem Christianorum maturaverant, primusque in Cornelium impetus fuerat, quem omnium ducem esse non ignorabant. ac praeclara ejus in repentino illo terrore confessio ethnicos admonuisse videtur, ut tam invictum ducem a ceterorum oculis amoverent, et Centumcellas, ut vetus fama est, deportandum curarent. eam certe multis laudibus extollit Cyprianus in ea epistola, quam exsuli statim perscripsit (18): *Cognovimus*, inquit, *frater carissime, fidei ac virtutis vestrae testimonia gloriosa, et Confessionis vestrae honorem sic exsultanter accepimus, ut in meritis ac laudibus vestris nos quoque participes et socios computemus.* tum eum *Ducem Confessionis fratrum exstitisse* gratulatur, et praecedendo gloriae comites nactum esse et populum confessorem. rogabat autem et de Novatiano quid factum esset: *Vtrumne*, inquit, *jam deponit errorem? an vero, qui dementium mos est, ipsis bonis et prosperis nostris plus adactus est ad furorem, et quo magis ac magis dilectionis ac fidei crescit hic gloria, illic dissensionis et zeli recrudescit insania? nec vulnus suum miser curat, sed adhuc gravius et se et suos vulnerat, in perniciem fratrum lingua sua perstrepens, et facundiae venenatae jacula contorquens, magis durus saecularis philosophiae pravitate, quam sophiae Dominicae lenitate pacificus, desertor Ecclesiae, misericordiae hostis, interfector poenitentiae, doctor superbiae, veritatis corruptor, perditor caritatis? agnoscit ne jam qui sit sacerdos Dei, quae sit Ecclesia et domus Christi, qui sint Dei servi, quos Diabolus infestet, qui sint Christiani, quos Antichristus impugnet? neque enim quaerit illos, quos jam subegit, aut gestit evertere, quos jam suos effecit.* nec sane Christianorum in numero habitus ab ethnicis Novatianus, intactusque, quidquid sectatores ejus deinde

(18) *epist.* 56.

commenti sint, multos perdere instituit, perpetnus Ecclesiae hostis. at Cornelii non multo post consnmmatum martyrium est xvttI. kal. Octobres, quem diem sexto post anno Cypriani qnoque palma illustravit. ut vero convenire licuit, Ecclesia Romana rnrsus aversata Novatianum, e sinu suo Lucium spectatae virtntis Presbyterum in Cornelii locum suffecit.

xI. Sub idem tempus Episcopi, Concilio dimisso, ad Ecclesias snas reversi sedulam operam lapsis recipiendis confirmandisqne navabant: ut macnlam illam, quam nuper snb Decio susceperant, in certamen denuo vocati, constanti confessione ac sanguine ipso elnere fortes aggrederentur. inter eos stndio et benevolentia erga omnes eminebat Cyprianus, qni non modo Carthaginienses suos benigne admittendo solabatur, et martyrii desiderio inflammabat, sed finitimas quoque civitates amore complectens, juvare singulos, et cohortationibus ad constantiam excitare non desistebat: paratns qnocumque excnrrere, si ei tnm Carthagine abesse licuisset. nam et Thibarim proficisci statnerat, qno eum oppidani invitaverant, nisi eum Ecclesiae bonum domi manere coegisset. sed tamen quae praesens Thibaritanis dicturus erat, praeclaris litteris, quae *de exhortatione martyrii* inscribuntnr, mirifice exposuit (19). pares ab eo epistolas de eodem argnmento esse missas ad alias civitates, ad easque maxime, qnae forte Episcopum non haberent, litterae ipsae ad Thibaritanos indicare videntur, qnae propria temporum illorum et Christiano cuique apta documenta continent. quae inter illud commemorari maxime praestat, qnod de fuga diserte tradit. *Nec quisquam*, inquit, *fratres dilectissimi, quum populum nostrum fugari conspexerit metu persequutionis et spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat. simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est. ubicumque in illis diebus unusquisque fratrum fuerit a grege interim, necessitate temporis, corpore non spiritu separatus, non moveatur ad fugae illius horrorem, nec recedens et latens deserti loci solitudine terreatur. solus non est, cui Christus in fuga comes est. solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est. et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames aut sitis aut frigus afflixerit, vel per maria praecipiti navigatione properantem tempestas ac procella submerserit, spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, et persecutionis caussa pro nominis sui honore morienti praemium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit. nec minor est martyrii gloria non publice et inter multos periisse, quum pereundi caussa sit propter Christum perire. sufficit ad testimonium martyrii sui testis ille, qui probat Martyres et coronat.* haec porro nota omnibus esse, maxime intererat, et qui haec didicissent, sperabat Cyprianus, si forte qnaestioni se impares crederent, et tormentorum metu trepidarent, fuga sibi eos consulturos, ne capti fidem violarent, nefariisqne sacrificiis pollnerentur.

(19) *epist.* 56. v. Hieron. *de Cypr. eloquentia epist.* 68. *n.* 10.

xII. Postremae exeuntis anni litterae a Cypriano accepit Lucius Pontifex maximus, qui quum paullo ante, suscepto vix sacerdotio, in exsilium actus esset, redux jam ad Ecclesiam suam magna omnium laetitia remeaverat. haec nimirum ut Cyprianus rescivit, officii sui putavit esse, ut illi reditum gratularetur. *Et nuper quidem*, inquit (20), *tibi, frater carissime, gratulati sumus, quum te honore geminato in Ecclesiae suae administratione Confessorem pariter et Sacerdotem constituit divina dignatio. sed et nunc non minus tibi et comitibus tuis atque universae fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria et laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini et larga protectio, ut pascendo gregi pastor, et gubernandae navi gubernator, et plebi regendae rector redderetur: et appareret, relegationem vestram sic divinitus esse dispositam, non ut Episcopus relegatus et pulsus Ecclesiae deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret.* sub finem Ecclesiae suae studium erga eum commemorat, et certam martyrii spem facit: *Repraesentantes vobis per epistolam gaudium nostrum, fida obsequia caritatis expromimus, hic quoque in sacrificiis atque in orationibus nostris non cessantes Deo Patri et Christo Filio ejus Domino nostro gratias agere et orare pariter ac petere, ut qui perfectus est atque perficiens, custodiat et perficiat in vobis confessionis vestrae gloriosam coronam: qui et ad hoc vos fortasse revocavit, ne gloria esset occulta, si foris essent confessionis vestrae consummata martyria. nam victima, quae fraternitati praebet exemplum et virtutis, et praesentibus debet fratribus immolari.*

(20) *epist.* 58.

ANNUS CHRISTIANUS CCLIII.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt C. Vibius Volusianus Aug. iterum, M. Valerius Maximus. vexatos rursum Romae Christianos, Lucii martyrium declarat, quo Cypriani vaticinium impletum est. lauream enim ille adeptus fertur nonis Martiis: post quem Ecclesia Romana pontificatum Stephano detulit. nec minus in Africa eodem tempore contra Ecclesiam saevitum esse, indicat Cypriani liber ad Demetrianum, sive is Proconsul, sive Proconsulis assessor fuerit, hostem certe Christiani nominis acerrimum et crudelissimum, eundemque sophistam ineptum atque maledicum conviciatorem. in eo enim libro Cyprianus varia poenarum genera, quas tum Christiani subirent, sic enumerat (1): *Innoxios, justos, Deo caros domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus punis. nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici ac veloci brevitate poenarum. admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa*

(1) *ad Demetr. p.* 516. v. Bolland. *T.* III. *Sept. p.* 289.

supplicia, nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis: excogitat novas poenas ingeniosa crudelitas. nec vero alium in annum liber ille Cypriani referri potest, quum et Pontius (2) scriptum ostendat post librum de *Oratione Dominica*, et Cyprianus ipse pestilentiae tempus designet (3), quae hoc anno Africam iuvasit. nam veterem illam calumniam Demetrianus in primis renovabat, quidquid adversi usquam exsisteret, quamcumque respublica calamitatem accepisset, Christianos jure accusari, eorumque caussa, qui numina contemnerent, iratos Deos poenas violatae majestatis ab omnibus mortalibus repetere. quam utique calumniam Cyprianus eo libro refutare aggressus hoc anno est, qui maxime reipublicae infaustus fore videbatur: commemoratisque barbarorum incursionibus et sterilitate et fame, quibus malis jamdiu orbis Romanus afflictabatur, non Christianorum culpa, sed sceleribus ethnicorum, quae in dies crescebant; illa quoque adjecit (4): *Pestem et luem criminaris, quum peste ipsa et lue vel detecta sint vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina. iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera, et appetentes spolia mortuorum; ut appareat, in aegritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ne possint dum curantur evadere.*

II. Enimvero si quid ethnici adversus Christianos de crudelitate sua in tanta illa omnium trepidatione remiserunt; at alius utique campus iis patuit, in quo virtus eorum excurrere cognoscique posset. *Erupit postmodum*, inquit Pontius (5), *lues dira et detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie, quasi cum illo peste morituro etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. jacebant interim in tota civitate non jam corpora, sed cadavera plurimorum, et misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuae flagitabant.* hic tum Carthaginis frequentissimae urbis adspectus erat: nec in tanta hominum clade tamque miserabili squalore atque luctu, inter ethnicos inveniebatur, qui curam suorum susciperet, opemque implorantibus subveniret. at non haec Christiani spectare immisericordes potuere, aut tot miseros in illa inopia et solitudine vel alienissimos sine subsidio esse passi sunt: quos etiam Cypriani oratio ad summa illa pietatis et misericordiae munia inflammaverat. nam convocatam antea plebem egregiis Evangelii documentis instituerat: *Non esse mirabile* (6), *si nostros tantum debito caritatis obsequio foveremus: eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid publicano vel ethnico fecerit; qui malum bono vincens, et divinae clementiae instar exercens, inimicos quoque dilexerit: qui pro perse-*

(2) *in vita Cypr. n. 7.*
(3) *ad Demetr. p. 508. et 514.*
(4) *ibid. p. 514.*
(5) *in ead. vita n. 9.*
(6) Pont. *in vita Cypr. n. 9.*

quentium se salute, sicuti Dominus monet et hortatur, orarit. tum illa etiam addiderat: *Oriri Deus facit jugiter solem suum, et pluvias subinde nutriendis seminibus impertit; exhibens cuncta ista non suis tantum, sed etiam alienis: et qui se Dei etiam filium esse profitetur, cur non exemplum patris imitatur? respondere nos decet natalibus nostris, et quos renatos per Deum constat, degeneres esse non congruit, sed probari potius in sobole traducem boni patris aemulatione bonitatis.* quid plura? vel desides animi Cypriani verbis excitati, mirabili omnium juvandorum studio exarsere. *Distributa sunt ergo*, inquit Pontius (7), *continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. multi, qui angustia paupertatis beneficia sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem.*

III. Verum inter has curas animadvertens Cyprianus, haud deesse, qui magnitudine calamitatis abjecti conciderent, et quae summo Dei omnium Domini consilio et voluntate fiebant, patienter tolerare, et aequo animo ferre nescirent; ne hos quidem oblitus, optimum aegritudini eorum remedium paravit, libro ad eorum institutionem perscripto, cui *de mortalitate* titulum fecit. ostendere enim nisus est, permulta esso bona, quae ex ipsa morte in Christianos redundarent. *Quid aliud*, ajebat (8), *in mundo quam pugna adversus Diabolum quotidie geritur, quam adversus jacula ejus et tela conflictationibus adsiduis dimicatur? cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressus est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris saecularibus adsidua et molesta luctatio est. obsessa mens hominis et undique Diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. si avaritia prostrata est, exsurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio. si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. cogeris maledicere, quod divina lex prohibet, compelleris jurare, quod non licet. tot persequutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur: et delectat hic inter Diaboli gladios diu stare, quum magis concupiscendum sit et optandum ad Christum subveniente velocius morte properare?* atque hoc ille primum in bonis numerabat, tot malis carere, aevumque beatum atque aeternum vita hac misera et caduca mutare. sed illa etiam, quibus tum corpora afflictabantur, Christianis mala non esse docebat. *Hoc*, inquit (9), *quod nunc corporis vires solutus in fluxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exaestuat, quod adsiduo vomitu intestina quatiuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorundam vel pedes vel aliquae membrorum partes contagio morbidae putredinis amputantur, quod per jacturas et damna corporum prorumpente languore vel debilitatur incessus, vel auditus obstruitur, vel*

(7) *in vita n.* 10.
(8) *de mortal.*
(9) *ibid.*

caecatur adspectus, ad documentum proficit fidei. contra tot impetus vastitatis et mortis inconcussi animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est, quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum, nec cum eis, quibus spes in Deum nulla est, jacere prostratam. jam et tot mortes beneficii loco habendas esse contendebat. *Improvidi*, inquit(10), *et ingrati sumus, fratres dilectissimi, ad divina beneficia, nec quid nobis conferatur, agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutae cum gloria sua virgines, venientis Antichristi minas et corruptelas et lupanaria non timentes: pueri periculum lubricae aetatis evadunt, ad continentiae atque innocentiae praemium feliciter perveniunt: tormenta jam non timet delicata matrona, metum persequutionis, et manus cruciatusque carnificis moriendi celeritate lucrata. pavore mortalitatis et temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compelluntur, ut redeant, gentiles coguntur, ut credant, vetus fidelium populus ad quietem vocatur, ad aciem recens et copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis, quum proelium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit.* hortabatur postremo, ut mortem alacres contemnerent, et quo venturi essent, laeti cogitarent. *Patriam*, inquit(11), *nostram Paradisum computamus: parentes Patriarchas habere jam coepimus. quid non properamus, et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. ad horum conspectum et complexum venire quanta et illis et nobis in commune laetitia est! qualis illic caelestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum aeternitate vivendi quam summa et perpetua felicitas!*

IIII. Sic jam philosophari didicerat Cyprianus, et hac sapientia, quam eloquentiae junctam habebat, subsidio tum atque solatio multis mortalibus fuit. late enim vagata pestilentia est, et provincias passim in annos plures modo remissior, modo gravior vexavit. ceterum hoc anno Christiani, quos hinc lues terrebat, inde feralia Principum edicta exanimabant, relevati ex parte sunt, depulso periculo, quod religioni eorum ac fidei conflabatur. Majo enim mense nuncii venere, Gallum et Volusianum a militibus sublatos esse, eorumque loco C. Iulium Aemilianum imperare, quem origine Maurum esse fama erat(12). tertio autem aut quarto post mense, quum et hic ab exercitu occisus fuisset, nunciatum est, Imperium penes P. Licinium Valerianum esse, qui diu virtutis laude floruerat, ac tum Christianorum studiosissimus ferebatur. mox et pestilentiae modus aliquis positus videtur: nam conventus ab eo celebratos apparet.

V. Sed tristis omnino caussa erat, quae Cyprianum ad Clerum populumque convocandum impellebat. litteras nempe ab Episcopis Numidicis

(10) *ibid. p.* 165.
(11) *ibid.*
(12) Vict. *in epitom.*

acceperat, barbaros magno nnmero in provinciam illam irrupisse, agros vastasse, captivos multos, in his et virgines iu servitutem abduxisse. rogabant autem Episcopi illi nnmero octo et Cyprianum et totam Ecclesiam Carthaginiensem, ut pecnniae aliqnid captivorum redimendorum caussa suppeditarent. exstant vero adhuc Cypriani ad eos litterae, antiqnam illam caritatem mutuiqne amoris magnitudinem spirantes, quae olim Christianos omnes tantopere commendabat; atqne ex his quid Cyprianus, qnid Ecclesia praestiterit, compertum habemus. primum ut lecta epistola Episcoporum fuit, fletnm omnium et lamentationem fuisse, apparet. *Cum maximo,* inquit (12), *animi nostri gemitu et non sine lacrimis legimus litteras vestras, fratres carissimi, quas ad nos pro dilectionis vestrae sollicitudine de fratrum nostrorum et sororum captivitate fecistis.* commiserationem autem benignitas illico ac liberalitas conseqnuta est. nam, ut addit Cyprianus, *omnia secundum litteras fraternitas cogitans et dolenter examinans, prompte omnes et libenter ac largiter subsidia nummaria fratribus contulerunt, semper quidem secundum fidei suae firmitatem ad opus Dei proni, nunc tamen magis ad opera salutaria contemplatione tanti doloris accensi.* summa autem collatae stipis fuere duo millia et quingenti scntati nnmmi. sic enim Cypriann designat: *Misimus*, inquit, *sestertium centum millia nummorum, quae istic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia praesumus, cleri et plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt, quae vos illic pro vestra diligentia dispensabitis.* porro et illud Cyprianus Episcopis notum esse voluit, qnid quisque contulisset, et qnare id vellet, praefatus est: *Vt autem*, ait, *fratres nostros ac sorores, qui ad hoc opus tam necessarium prompte ac libenter operati sunt, ut semper operantur, in mente habeatis in orationibus vestris, et eis vicem boni operis in sacrificiis et precibus repraesentetis, subdidi nomina singulorum; sed et collegarum quoque et consacerdotum nostrorum, qui et ipsi quum praesentes essent, et suo et plebis suae nomine quaedam pro viribus contulerunt, nomina addidi; et praeter quantitatem propriam nostram, eorum quoque summulas significavi et misi: quorum omnium secundum quod fides et caritas exigit, in orationibus et precibus vestris meminisse debetis.* quo ex loco intelligimns, Ecclesiarnm Africanarnm morem fuisse, ut si quae uspiam calamitas Ecclesiam aliquam afflixisset, huic ceterae communi studio quam possent opem afferrent. sed in litteris Cypriani duo praeterea admiranda sunt, primum qnod postulationem Episcopornm beneficii loco habuerit, alterum quod eos in anxilio implorando, quoties opus fuerit, ut nnnquam desides essent, commonefecerit. *Maximas*, inquit, *vobis gratias agimus, quod nos vestrae sollicitudinis, et tam bonae ac necessariae operationis participes esse voluistis, ut offerretis nobis agros uberes, in quibus spei nostrae semina mitteremus, expectaturi messem de amplissimis fructibus, qui de hac caelesti et solutari operatione proveniunt.* tum de periculo, quod eos urgere iterum posset, adjecit: *Et optamus*

(12) *epist.* 62.

quidem nihil tale de cetero fieri, et fratres nostros Domini majestate protectos ab ejusmodi periculis incolumes reservari. si tamen ad explorandam nostri animi caritatem, et examinandam nostri pectoris fidem tale aliquid acciderit, nolite cunctari nuntiare haec nobis litteris vestris, pro certo habentes, Ecclesiam nostram et fraternitatem istic universam, ne haec ultra fiant, precibus orare: si facta fuerint, libenter et largiter subsidia praestare.

VI. His defunctus officiis Cyprianus, e re Christiana fore duxit, si animos jam misericordia commotos atque etiamtum calentes, libro de eo argumento in lucem emisso, foveret magis atque inflammaret. itaque sub idem tempus opusculum aureum edidit, quod *de opere et eleemosynis* inscriptum est, summis eos laudibus prosequutus, qui benigne de bonis suis Ecclesiae suppeditarent, unde egentium inopiae subveniretur. ex quo etiam discimus, jamtum sacris in aedibus cavos stetisse cippos sive thesauros, in quos stipem quisque conjiceret: et morem item obtinuisse, ut panis et vinum ad sacrificium offerretur. nam matronas quasdam, quae haec negligerent, sic perstringit (13): *Locuples et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quae Corban omnino non respicis, quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* fuisse etiam jamtum addictos singulis almae urbis regionibus Diaconos, qui egenorum nomina nossent, inopiamque levarent, credibile est. certe in synodo, quam multis post annis sub Bonifacio actam accepimus (14), cietur Gaudiosus *Diaconus regionis quintae:* ut exemplo urbis Romae Cyprianus in primis Diaconos ejusmodi creasse, iisque miserorum e plebe curam detulisse putandus sit, quam sub Presbyteris gererent.

(13) *de op. et eleem. p.* 569. (14) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1082.

ANNUS CHRISTIANUS CCLIIII.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules dicti Augusti P. Licinius Valerianus iterum, P. Licinius Gallienus. his Consulibus quietae res Christianorum fuere: at respublica turbari barbarorum incursionibus coepit et defectione provinciarum periclitari. Africa tamen in officio manebat; nec ulla Ecclesiae molestia, nisi a domesticis hostibus afferebatur. ex his fuit opulentus quidam civis Carthaginiensis, adsecla Felicissimi, qui conviciis Cyprianum quotidie appetebat, fingebatque in eum falsa multa et probrosa, auctorem eum omnium malorum appellans, et quam posset bonorum animos ab eo abalienans. nomen huic erat Florentius Pupianus: quem Cyprianus *fratrem* vocat, quia Christianus erat; neque eum Presbyterum aut Episcopum fuisse, indicia ulla demonstrant. multa enimvero a Pupiano patienter perpessus Cyprianus, ut ab eodem litteras quoque accepit irreligiosas plane atque maledicas, hominem tandem refutare aggressus est, epistola

gravissima ad eum scripta, in qua et dignitatem auctoritatemque suam, quam ille infringebat, acriter tuetur, et adversarium schismatis patrocinatorem extra Ecclesiam esse declarat. *Unde,* inqnit (1), *scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo: et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quae Catholica et una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa, et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata.* ultima verba sunt, *Habes tu litteras meas, et ego tuas: in die judicii ante tribunal Christi utrumque recitabitur.*

II. Alium habebat adversarium Cyprianus toti Ecclesiae Catholicae infestum, Novatianum scilicet, qui longe jam plures, quam in Africa habuisset, extra Africam sectatores numerabat, nec e plebe solum, sed etiam e Clero. ex his facile princeps erat Marcianus Episcopus Arelatensis, multum indignantibus reliqnis Galliarum Episcopis, quos una professio Stephano Pontifici maximo catholica consensione jungebat. qnare ut multi apud Stephanum ipsum de ea re questi fuerant (2), sic Faustinus Episcopus Lugdunensis, qui et dignitatem Ecclesiae Carthaginiensis nosset, et Cypriani doctrinam summa cum virtute conjunctam non ignoraret, ad hunc quoque adversus Marcianum scripsit, et ab eodem impetravit, ut ipse etiam graves omnino litteras et vehementes mitteret ad Stephanum, et loco movendum Marcianum, ac successore dato Ecclesiae prospiciendum ostenderet. pauca sane praefatus Cyprianus de Novatianorum duritie ac severitate implacabili, sic Stephanum aggreditur: *Quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad coëpiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem et superbum, et divinae pietatis ac fraternae salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod necdum videatur a nobis abstentus, qui jampridem jactat et praedicat, quod Novatiano studens, et ejus pervicaciam sequens a communicatione se nostra segregaverit, quum Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus et hostis Ecclesiae judicatus sit.* tum hujus damnatione fusius commemorata, instare pergit: *Dirigantur,* inquit, *in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur.* denique et de Episcopo suffecto commoneri se maxime postulat: *Significa,* inqnit, *plane nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere, et cui scribere debeamus.* porro morem Cypriano gessisse Stephanus, et Marcianum deturbasse putandus est. neque enim vetera Diptycha Ecclesiae Arelatensis (3) Marcianum referunt: sed quis ei suffectus fuerit, minus liquet. at

(1) epist. 69.
(2) Cyprian. epist. 67.
(3) apud Mabill. *Ann. T. ul. p.* 432.

Cypriano ne hoc quidem satis fuit, sed Nuvatiano ipsi repugnandum duxit, ne latius malum disseminaretur, et opusculo, quod *ad Novatianum haereticum* inscripsit, perversam ejus doctrinam et inexorabilem animum, divinarum litterarum testimoniis usus, mire exagitavit.

III. Interea Hispanae quoque Ecclesiae auctoritatem consiliumque Cypriani requirebant: quo tempore Episcopi ex Africa Carthaginem convenerant numero triginta sex (4). ignotum erat nemini apud Hispanos, Basilidem Episcopum ad Legionem et Asturicae, item Martialem Episcopum Emeritae, libellis idololatriae commaculatos, et nefandorum facinorum conscientia vinctos loco excidisse. itaque successores utrique jam dati fuerant, Basilidi Sabinus, Martiali Felix, qui et ad Cyprianum legati venerant. sed Hispanos turbabat dejectorum Episcoporum audacia veterem honorem sibi vindicantium: nam ejus rei caussa Basilides Romam etiam profectus fuerat, et *Stephanum*, ut Cyprianus testatur, *fefellerat, ut exambiret reponi se injuste in Episcopatum, de quo fuerat jure depositus.* nec minus fallacia usus erat Martialis, ut locum et ipse teneret, unde ejectus fuerat. lectis igitur Ecclesiarum litteris et legatis in Concilio auditis, rescripsit Cyprianus ex collegarum sententia, omnia ordine et jure gesta videri, nec Stephani auctoritate per dolum interposita, ambitiosorum abolita, sed cumulata esse delicta. deinde utriusque complexus scelera, sic Clerum et plebem ambarum Ecclesiarum adloquitur: *Quapropter, quum, sicut scripsistis, fratres dilectissimi, et ut Felix et Sabinus collegae nostri asseverant, utque alius Felix de Caesaraugusta fidei cultor ac defensor veritatis litteris suis significat, Basilides et Martialis nefando idololatriae libello contaminati sint, Basilides adhuc insuper, praeter libelli maculam, quum in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverit, et se blasphemasse confessus sit, et Episcopatum pro conscientiae suae vulnere sponte deponens ad agendam poenitentiam conversus sit, Deum deprecans, et satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret: Martialis quoque praeter gentilium turpia et lutulenta convivia in collegio diu frequentata, et filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana sepulcra depositos et alienigenis consepultos, actis etiam publice habitis apud Procuratorem ducenarium obtemperasse se idololatriae, et Christum negasse contestatus sit; quumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides et Martialis implicati tenentur, frustra tales Episcopatum sibi usurpare conantur; quum manifestum sit, ejusmodi homines nec Ecclesiae Christi posse praeesse, nec Deo sacrificia offerre debere: maxime quum jampridem nobiscum et cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus ac justus, et martyrio quoque dignatione Domini honoratus decreverit, ejusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri atque sacerdotali honore prohiberi.* his demum Cypriani et Concilii ejus litteris

(4) Cyprian. *epist.* 68.

evulsus Hispanis scrupulus, qui eos stimulabat, repudiatique Episcopi, quibus reditum ad honoris sui sedem interclusum esse constaret.

IIII. At alia jam urgebat caussa, ob quam Cyprianus provinciae Proconsularis Episcopos convocarat. litteras enim a Numidicis Episcopis acceperat, quibus sententiam ejus rogabant *de iis, qui apud haereticos et schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam Catholicam, quae una et vera est, venientes baptizari debeant.* res enim illic in controversiam vocata tum esse ab iis videtur, qui morem ceterarum Ecclesiarum norant, ac propterea antiquis Agrippini Episcopi Carthaginiensis decretis standum non putabant. enimvero eam opinionem Cyprianus animo imbiberat, penitusque insitam habebat, sacrum Baptisma apud haereticos et schismaticos, quod extra Ecclesiam essent, nullum esse posse. itaque consuetudinis, quae obtendebatur, vim levem atque imbecillam agnoscebat, et veritati cedere eam oportere affirmabat. igitur ut ea quaestio in Concilio agitari coepit, qua erat apud omnes auctoritate, facile singulos in sententiam perduxit suam, rescriptumque est Numidicis Episcopis in haec verba (5): *De qua re quamquam et ipsi illic veritatem et firmitatem Catholicae regulae teneatis, tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimastis, sententiam nostram non novam promimus, sed jampridem ab antecessoribus nostris statutam et a nobis observatam vobiscum pari consensione conjungimus, censentes scilicet, et pro certo tenentes neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, quum sit Baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum.* et quae deinceps. vix Concilium dimissum fuerat, quum eadem controversia ex Mauretania ad Cyprianum delata est. quaerebat nempe Quintus Episcopus Burngiatensis, quid sentiret *de his qui apud haereticos et schismaticos baptizati videntur.* cui Cyprianus (6), *Quid nuper*, inquit, *in Concilio plurimi coepiscopi cum compresbyteris, qui aderant, censuerimus, ut scires, ejusdem epistolae exemplum tibi misi.* neque hoc contentus, multa addidit, quae ad sententiam suam tuendam mirifice valere arbitrabatur. *Nescio etenim*, inquit, *qua praesumptione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent, eos, qui apud haereticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere: eo quod dicant unum Baptisma esse, quod unum scilicet ideo est, quia Ecclesia una est, et esse Baptisma extra Ecclesiam non potest.* atque alia hujusmodi. sub idem fortasse tempus ex eadem Mauretania Rogatianus Episcopus Novensis apud Cyprianum de Diacono suo questus erat, *quod immemor sacerdotalis loci, et officii ac ministerii sui oblitus, contumeliis et injuriis eum exacerbasset.* laudavit Cyprianus viri modestiam, qui queri de eo maluerit, quam auctoritate usus in eum animadvertere: sed indulgentiae tamen modum ponendum duxit. *Oportet*, inquit (7), *Diaconum, de quo scribis, agere audaciae suae poenitentiam, et honorem sacerdotis agno-*

(5) *epist.* 70.
(6) *epist.* 71.
(7) *epist.* 65.

scere, et Episcopo praeposito suo plena humilitate satisfacere. et affert idem criminis vindicandi gravissimam caussam. *Haec sunt enim*, inquit, *initia haereticorum, et ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut praepositum superbo tumore contemnant. sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, et ordinationem atque unitatem Dei rebellatur.*

v. Pacata vero tempora et disputandi otium res alias in controversiam adduxere: praeterquam quod ipsa quaestio de Baptismo subdifficilis multis ac subobscura videbatur. quapropter Concilium iterum ante anni exitum cogi necesse fuit, ad quod Episcopi advenere septuaginta et unus, partim e provincia Proconsulari, partim e Numidia. multa vero in eo tum *prolata atque transacta* testatur ipse Cyprianus (8); sed duo potissimum sunt, quae idem designat atque explicat: primum, de quo et in superiore Concilio actum fuerat, *Eos, qui sint foris extra Ecclesiam tincti et apud haereticos et schismaticos profanae aquae labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam, quae una est, venerint, baptizari oportere.* alterum est, *Si qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud haereticos a pseudoepiscopis et Antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, et contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi, quum revertuntur, ut communicent laici, et satis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis exstiterint; nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis et honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint.* porro caput utrumque communi Concilii consensu sancitum constat. sed de utroque etiam ad Stephanum Pontificem maximum potissime scribendum, et cum ejus, ut ajunt, gravitate ac sapientia conferendum censuerunt. exstant synodi litterae, in quibus eadem sancita dicuntur, et de epistolis etiam fit mentio, quas ad Quintum in Mauretaniam et ad Episcopos Numidiae scriptas superius indicavimus. *Baptismum autem*, inquiunt (9), *non esse, qua haeretici utuntur, nec quemquam apud eos, qui Christo adversantur per gratiam Christi posse proficere, diligenter nuper expressum est in epistola, quae ad Quintum collegam nostrum in Mauretania constitutum super ea re scripta est; item in litteris, quas collegae nostri ad coëpiscopos in Numidia praesidentes ante fecerunt: cujus utriusque epistolae exempla subdimus hic.* ceterum illa maxime commemoranda sunt, quae synodi litterae postrema habent: quippe manifestum inde fit, totam illam controversiam de Baptismo ad Catholicae professionis summam minime pertinuisse, et contraria sentientes aeque Catholicos habitos esse. *Scimus*, inquiunt, *quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiae vinculo quaedam propria, quae apud*

(8) *epist.* 72. (9) *ibid. epist. ad Steph.*

se semel sint usurpata retinere. qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, quando habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque praepositus, rationem actus sui Domino redditurus (10).

VI. His ad Stephanum litteris Cypriani et Patrum omnium nomine missis, dimissum Concilium est. at Episcopi ad Ecclesias suas reversi, Africam totam contentionibus impleverunt: dissentientibus Episcopis, qui in Ecclesia sua Romanam consuetudinem invenerant, quorum e numero aliquos de ea re ad Stephanum scripsisse credibile est. fuere etiam qui Cypriani testimonio doceri cuperent, eaque de caussa accuratas ad eundem litteras darent. in his eminet ignotae urbis Episcopus Iubajanus, quem tamen Numidiae Primatem putare possis (11): quum ad eum deinde et ad coëpiscopos ejus rescripsisse Cyprianus dicatur. hic vero sic ad Cyprianum e provincia sua scripsit, ut exemplum quoque libelli adderet sive Roma accepti, sive in Africa emissi, quo in libello sententia ejus refutabatur. quamobrem officii sui putavit esse Cyprianus, ut fusius Jubajano rescribens, rationes quoque proferret, quibus adversariorum argumenta refelli arbitrabatur. ejus enim responsum in omnium manus venturum intelligebat. sed in quaestione, quae tum subobscura erat, hoc in Cypriani animo insederat, ab haereticis, quia mali essent, nihil boni proficisci posse: nec minus illis negatum esse, ut baptizarent, quam ut peccata absolvendo remitterent: vim vero ipsam Baptismi, quae nihil a ministro penderet, minus considerabat. haec fere summa est epistolae ad Iubajanum, quam tamen ipsam sic concludit, ut se disputare potius, et sententiam suam tueri voluisse, quam praescribere quidquam ac definire significet. *Haec tibi*, inquit, *breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater carissime, nemini praescribentes aut praejudicantes, quo minus unusquisque Episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. nos, quantum in nobis est, propter haereticos cum collegis et coëpiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus.* quia demum cognoverat, multos esse ex Episcopis, qui secum non sentirent, multos, qui adversarium ferre non possent, ob eamque rem animorum aliquod factum esse dissidium, huic se malo remedium opposuisse testatur. *Servatur*, inquit, *a nobis patienter et leniter caritas animi, collegii honor, vinculum fidei et concordia sacerdotii. propter hoc etiam libellum nunc* de bono patientiae, *quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino et inspirante conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione transmisimus.* exstat vero adhuc et hominum teritur manibus egregium sanctissimi viri opusculum, quod ita ille perscripsit, ut neminem omnino ex adversariis suis vel levissima significatione perstringeret, et quantum in ea virtute boni esset, omnibus cumulatissime explicaret.

(10) v. Somier. *in Anast. Bianch. T. II. p.* 220.

(11) v. Schelstr. *Ant. Eccl. T. II. p.* 281. *Hunc Zonaras Iovinianum appellat.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLV.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. RURSUM Consulatus penes Augustos fuit, Consulesque processere Impp. P. Licinius Valerianus III. P. Licinius Gallienus II. at vero Stephanus Pontifex maximus Cypriani et Concilii ejus litteras jam acceperat, idemque cum Presbyteris suis, et qui Romae forte aderant, Episcopis deliberabat, quo pacto rescriberet, totamque synodum Africanam a proposito deterreret. testis enim erat Ecclesia Romana, antiquam sibi et perpetuam consuetudinem fuisse, ut quos ab haereticis redeuntes acciperet, iis poenitentiae caussa manus imponeret, Baptismo neminem abluendum curaret. *Quum ergo*, inquit Vincentius Lirinensis (1), *undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum Sacerdotes pro sua quisque studia reniterentur; tunc beatae memoriae Papa Stephanus Apostolicae Sedis Antistes cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris restitit; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. denique in epistola, quae tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit*, Nihil novandum, nisi quod traditum est. *intelligebat etenim vir sanctus et prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi aportere; idque esse proprium Christianae modestiae et gravitatis non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare.* ceterum litterae ipsae Stephani, qualescumque fuerint, ad nos non pervenerunt: nec aliud ex iis superest, quam particula illa, quae in epistola legitur Cypriani ad Pompejum, quaecumque demum haec quoque esse putanda sit. *Si quis ergo*, ajebat Stephanus (2), *a quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam: quum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.*

II. Responsum Stephani, si tale fuit, multum Cypriano displicuisse, facile dederim. at Cyprianum, litteris *a Petri Cathedra atque ab Ecclesia Principali, unde unitas sacerdotalis exorta est* (3), semel non ex animi sui sententia acceptis, ita excanduisse, ut ea omnia repente oblivisceretur, quae publice professus fuerat, se cum collegis suis nemini vim facere, nemini legem dare, servarique a se caritatem animi, collegii honorem, vinculum fidei et concordiam sacerdotii; hoc vero ut credam, adduci plane non possum. neque enim levia sunt, quae ille adversus Stephanum admisisse arguitur, sed talia potius, quae in tantum virum cadere vix posse videantur. nam si quae fertur epistola ad Pompejum

(1) *in Common. c.* 9.
(2) Cyprian. *in epist.* 74. *de hoc Stephani* *Decreto lege* Missorium *Disp. Crit. p.* 385.
(3) *idem in ep.* 55.

Episcopum Sabratensem missa, Cypriano adscribenda est, ipse non modo Stephani judicio non adqnievit, sed alios etiam contra eum commovit: eundem ob tale rescriptum erroris insimulavit, quasi *haereticorum caussam contra Christianos et contra Ecclesiam Dei asserere conaretur:* scripta ab eo mnlta affirmavit *imperitè atque improvide*, et qnae vel *superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria essent.* Stephani *obstinationem duram* appellavit, quae constantia foret, anctorque Episcopis fuit, nt Stephani doctrinam aversarentur: *Propter quod*, inquit, *relicto errore sequamur veritatem.* haec sane qni perpendat, nunqnam ex ejus ore prodiisse putaverit, quem non modo ante hoc tempus, sed subinde etiam viiae sanctitate, concordiae studio, animi gravitate, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessione claruisse apparet. idcirco Augustinus qnoque epistolam illam sibi suspectam esse, non semel significavit (4), eandemque alii ad caussae suae patrocinium a Donatistis confictam crediderunt (5).

II. Ceterum Cyprianus iu Rescripto Stephani non legem aliquam sibi impositam, sed judicinm privati hominis oblatum existimans, tertio experiendum duxit, quid Ecclesia Africana de haereticorum Baptismo sentiret. indictum igitur tertinm Concilium in kalendas Septembres, ut ex Mauretania etiam et ceteris, quae magis distabant, Ecclesiis frequentes Episcopi adesse possent. jam antem controversia illa mare transgressa, Orientem quoque pervaserat, multisque in Ecclesiis in utramque sententiam non levi dissidio disputabatur: litterae etiam ad Stephanum missae fuerant, quae multorum Episcoporum eam jam esse consuetudinem nnnciarent, ut haereticos ad Ecclesiam redeuntes iterum Baptismo tingerent. quod Stephano adeo grave fuit, ut multis minatus sit, se, nisi resipiscerent, ab eorum communione recessnrum (6). sed Stephano datum non est, ut finem errori imponeret, qui non multo post Xysti snccessoris ejus auctoritate, et Dionysii Alexandrini opera sublatus est. nam si Eusebio credimus (7), hoc anno Stephanus biennium pontificatu functus decessit, III. nonas Augustas, qno die in antiqnis Martyrologiis memoria ejus celebratnr: eique Xystus snccessit.

III. Carthaginem interea undique Episcopi ad synodum convenerant numero octoginta quinque, ex iisque Natalis Oeensis mandata attulerat Episcoporum Pompeji Sabratensis et Diogae Leptimagnensis, qui domi manserant: quorum caussa octoginta septem Episcopi idem sentire ferebantur. qui in alia sententia erant, pedem e finibus suis non extulerunt. exstant vero Acta ejus Concilii, qnae rerum gestarum ordinem nobis exhibent. ac primum convenisse plurimi Episcopi dicuntur kalendis Septembribus ex provincia Africa, Numidia, Mauretania cum Presbyteris et Diaconibus, praesente etiam plebis maxima parte. coram his lectae

(4) *contra Crescon. lib. II. c.* 31. *etc.*

(5) v. Missor. *Disput. Crit. in epist. Cypr. et Firmil. p.* 264.

(6) Euseb. *H. E. lib. VII. c.* 5.

(7) *H. E. lib. VII. c.* 5.

sunt litterae Iubajani ad Cyprianum, et quas Cyprianus ad Iubajanum misisset, et quas rursum ab eodem accepisset: in quibus Rescriptum quoque Stephani, ut opinor, continebatur. post quae Cyprianus, *Audistis*, inquit, *collegae dilectissimi, quid mihi Jubojanus coëpiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostram de illicito et profano haereticorum Baptismo, et quid ego ei rescripserim, censens scilicet, quod semel atque iterum et saepe censuimus, haereticos ad Ecclesiam venientes Baptismo baptizari et sanctificari oportere. item lectae sunt vobis et aliae Jubajani litterae, quibus pro sua sincera et religiosa devotione ad epistolam nostram rescribens non tantum consensit, sed etiam instructum se esse confessus gratias egit. superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus: neminem judicantes, aut a jure communicationis aliquem, si diversum senserit, amoventes. neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare. sed expectemus universi judicium Domini nostri Iesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione, et de actu nostro judicandi.* exinde ad sententias dicendas ventum est: suamque primus omnium protulit Caecilius a Bilta, quem ceteri, ut quisque antiquior esset, consequuti sunt, et quamquam alii alia verba usurparunt, nemo unus a Cypriani sententia dissensit. itaque ultimus Cyprianus, *Meam*, inquit, *sententiam plenissime exprimit epistola, quae ad Iubajanum collegam nostrum scripta est, haereticos secundum Evangelicam et Apostolicam contestationem et adversarios Christi et antichristos appellatos, quando ad Ecclesiam venerint, unico Ecclesiae Baptismo baptizandos esse, ut possint fieri de adversariis amici, et de antichristis Christiani.* haec vero ex veterum magis opinione scripta, quam nostra putes.

V. Quid post haec a Patribus constitutum gestumve sit, plane ignoramus. nam qui legatos Romam ad Pontificem maximum missos putant, ut eum de synodi decretis certiorem facerent, litteras ea de caussa scriptas proferre nullas possunt. qui vero Rogatianum Diaconum in Cappadociam usque, ad Firmilianum Episcopum Caesareae legatum a Cypriano dicunt, ut quem in eadem sententia esse norat, de synodi Africanae consensu edoceret; nec ii graecas Firmiliani litteras habent, aut Latinas Cypriani quas ostendant; et quas exhibent Firmiliani latinas litteras (8), eae neque Dionysio Alexandrino, neque Eusebio, neque Augustino ipsi notae fuerunt. sunt autem ejusmodi, quales non vir sanctus et a multis commendatus, sed haereticus nequam et infamis scribere potuerit: adeo contra Petri Apostoli successorem Stephanum contumeliosae atque improbae sunt (9). eas equidem ab eodem prodiisse duxerim, qui epistolam quoque Cypriani ad

(8) *inter Cypr. epist.* 75.

(9) v. Missor. *ibid. p.* 18. *et Notas ejusdem p.* 112.

Pempejum cenfinxit. nam exstare hujusmodi exempla plurimnm Deuatistis intererat, qui Pontificis maximi auctoritatem elevare, ac judicium defngere nitebantur. scripsisse tameu hoc tempore Cyprianum epistelam ad Magnum, quae exstat, credibile est, quum iu ea quidquid de Baptismo haereticorum disputatnm usquam fuerat, simili ratioue attingat atque explicet. regaverat eum Magnus, quicumque demum is fuerit, sive de populo aliquis, sive sacris initiatus; nam enm Cyprianus *filium* appellat: rogaverat, inquam, uum et qui a Novatiaue veuireut, pari modo baptizandi essent? cui Cyprianus, *Quantum*, inquit (10), *fidei nestrae capacitas est, et scripturarum divinarum sanctitas ac veritas suggerit, dicimus omnes omnino haereticos et schismaticos nihil habere potestatis ac juris. propter quod Novatianus nec debet nec potest excipi, quo minus ipse quoque extra Ecclesiam consistens, et contra pacem ac dilectionem Christi faciens, inter adversaries et antichristos cemputetur.* aliam etiam quaestiouem Magnus posuerat, de iis, qui sub mertem baptizati essent, quam Cyprianus sic dirimit: *Quaesisti etiam*, inquit, *fili carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languere gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi; qua in parte nemini verecundia et modestia nestra praejudicat, que minus unusquisque quod putat sentiat, et quod senserit faciat. nos, quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliqnid illic posse centingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur qued de divinis muneribus hauritur.* extrema etiam epistolae verba consuetam illam Cypriani modestiam et singulare concordiae studium repraesentant: *Rescripsi*, inqnit, *fili carissime, ad litteras tuas quantum parva nestra mediocritas valuit, et ostendi, quid nos, quantum in nobis est, sentiamus, nemini praescribentes, quo minus statuat quod putat unusquisque praepositus, actus sui ratienem Domino redditurus.*

(10) *epist.* 76.

ANNUS CHRISTIANUS CCLVI.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Signant hunc annnm Consules M. Valerius Maximus, Man. Acilins Glabrio: quo anno Aspasius Paternus Proconsul Africae desiguatus est: eedem auuo Xystus, qui in Stephani locum suffectus fuerat, quum ipse etiam litteras de Baptismi ceutreversia a Dionysio Episcepo Alexaudrino accepisset (1), dissidio deuique sublato, Africam et Orientem pacasse videtur: dictus prepterea a Pentie Diacouo (2) *Bonus et pacificus sacerdos*, qui tamen Stephani sententiam sancte defendit, eamqne Ecclesiae

(1) Euseb. *H. E. lib. vil. c.* 5.

(2) *in vita Cypr. n.* 14.

universae, ut par erat, communem fecit. eandem in Africa etiam novo decreto receptam et confirmatam indicare Hieronymus videtur, quum ait (3), *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; et idcirco haereticorum Baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanae urbis Episcopum super hac re Africanam synodum direxit: sed conatus ejus frustra fuit: denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere Decretum.* eodem spectant Vincentii Lirinensis verba (4): *Quid postremo ipsius Africani Concilii sive Decreti quae vires? donante Deo nullae: sed universa tamquam somnia, tamquam fabulae, tamquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.* nisi quod tanta res Augustino ignota fuit, qui de Cypriano sic scripsit (5): *Profecto et uni verum dicenti et demonstranti posset facillime consentire tam sancta anima, tam pacata: et fortasse factum est: sed nescimus*, cui tamen ipsum Cypriani silentium opponere licet, nihil postea de quaestione illa interloquentis, aut epistolas commemorantis, quas summo studio perscriptas ante vulgaverat.

II. Et alio sane diligentiam suam Cyprianus curamque converterat, ut nempe Cleri populique sui animos, si quos forte in illa dissensione labes invidiae aliqua infecisset, ad veterem conjunctionem revocatos excoleret ac conformaret. quamobrem libellum illum pulcherrimum elucubravit, *quem de zelo et livore* inscripsit, mala in primis complexus, quae ex invidia in hominum vitam tamquam ex fonte manarent. *Late patet*, ajebat (6), *zeli multiplex et fecunda pernicies. radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. inde odium surgit, animositas inde procedit. avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. zelo excoecante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. inflat superbia, exacerbat saevitia, perfidia praevaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienae. hinc Dominicae pacis vinculum rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad haereses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre praepositum.* haec Cyprianus, recentes, opinor, animorum acerbitates designans, quas et invitus adspexerat, et sublatas maxime laetabatur.

(3) *Dial. adv. Lucifer. n.* 23.

(4) *in Commonit. n.* 10. v. Bedam *lib. var. quaest. quaest. v. in illud Apost.* unusquisque in suo sensu abundet.

(5) *de Baptismo contra Donat. lib. II. c.* 4. v. *epist.* 73. *n.* 36. v. Boschium Bolland. *T. I. Aug. p.* 118. §. 4.

(6) *de zel. et liv. p.* 597.

III. Inter haec Caecilius Episcopus Biltensinm, qui anno superiore Concilio interfuerat, ad Ecclesiam suam reversus, opinionem quamdam, quae ab Encratitis orta videri possit vini abstemiis, paullatim disseminatam invenerat, aquam nempe in sacrificio, non vinum offerri ac consecrari oportere. tantam ille novitatem aversatus, quum tollere omnino vellet, felicius rem successuram est arbitratus, si Cyprianum consuluisset, auctoritatemque ejus interponere posset. itaque accuratis ad eum litteris de toto negotio missis, longam a Cypriano epistolam accepit, quae opinioni illi finem afferret, et omnes plane ad veterem consuetudinem revocaret. inscribitur ea epistola (7) *de Sacramento Dominici Calicis,* in qua Cyprianus illud maxime ostendit, ab ipso Domino nostro institutum atque praescriptum esse, ut panis et vinum in sacrificio offerretur: quemadmodum multis quoque divinarum litterarum vaticiniis fuerat praenunciatum. et miscendam tamen aquam docet, in qua populum significari censet: *Nam quia, inquit, nos omnes portabat Christus, qui et peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur et conjungitur.* rejicit difficultatem eorum, qui verebantur, *ne per saporem vini redolerent sanguinem Christi:* litteras ad collegas scribi vult, *ut ubique lex Evangelica et traditio Dominica servetur, et ab eo, quod Christus et docuit et fecit, non recedatur.* epistolam denique concludit his verbis: *Religioni igitur nostrae congruit et timori et ipsi loco atque officio sacerdotii nostri, frater carissime, in Dominica calice miscendo et offerendo custodire traditionis Dominicae veritatem; et quod prius apud quosdam videtur erratum, Domino monente corrigere: ut quum in claritate sua et majestate caelesti venire caeperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit.* ex eadem autem epistola illud quoque ediscere est, communem apud Afros in sacrificio usum fuisse Azymorum: panem quippe tantae rei caussa memorat, nulla fermenti mentione facta, ex farina et aqua *adunatum copulatumque* (7): quod et Augustini aevo obtinebat.

IIII. Sub anni exitum Cypriano nunciatum est, Geminium Victorem Episcopum Furnitanorum, qui anno superiore ad synodum venerat, morbo decessisse. grave id quidem Cypriano fuit, quod collegam amisisset; sed illud multo gravius, quod simul cognorat, ita eum esse vita defunctum, ut Geminium Faustinum Presbyterum testamento suo tutorem ante nominaret. norat enim Cyprianus, jampridem in Concilio Episcoporum statutum esse (8), *Ne quis de Clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constitueret.* cui decreto haec adscripta caussa fuerat: *Quando singuli divino sacerdotio honorati, et in Clerico ministerio constituti non nisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque oratio-*

(7) *epist.* 63.

(8) v. Ciampinum *de perp. Azym usu. c.* 3. *p.* 45.

( ) Cypr. *epist.* 66. v. Bolland. *T.* III. *Sept. p.* 211.

nibus vacare debeant. nec vero ignota erat poena, quam iidem Episcopi in eos sanxeraot, qui legem oeglexissent: nam qoi censuerant, oe illud cuiquam fas esset, addiderant, *Ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. neque enim,* ajebant, *apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare.* ergo Cyprianos, qui se canonum sacrorum vindicem adsertoremque esse oportere, probe meminerat, oihil conctatus, epistolam ad Clerum et plebem Furnis consisteotem scripsit, in qua legis veteris mentione facta sic praecipit: *Et ideo Victor quum contra formam nuper in Concilio a sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur, ut sacerdotum decretum religiose et necessarie factum servetur a nobis, simul et ceteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes et ministros Dei altari ejus et Ecclesiae vacantes ad saeculares molestias devocet. observari enim de cetero poterit, ne ultra hoc fiat circa personam Clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum.* porro quum Cyprianos nihil de illa legis severitate remiserit, ne ipse quidem curam suscepisse potaodus est conjugis et liberorum Caecilii Presbyteri, cujus ipse opera Christiaous factus fuerat, et quem taıoquam novae vitae parentem observabat. scribit quidem de eo Pootius his verbis (9): *Denique ille demulsus ejus obsequiis, in tantum dilectionis immensae merito provocatus est, ut de saeculo excedens, arcessitione jam proxima, commendaret illi conjugem ac liberos suos: ut quem fecerat de sectae communione participem, postmodum faceret pietatis heredem.* ceterom ita Cypriaoum Caecilio suo satisfecisse crediderim, ot domus ejus amore et studio veluti parens esset, at rei familiaris curatores ac liberorum tutores extra Clerum probos viros idoneosque requireret praeficeretque.

V. Nondum annus elapsus erat, qnum litterae io Africam perlatae sunt, Ecclesiam Romae magno in discrimine versari, Valerianum Aug. qoi Christianos antea mire fovebat (10), Macriaoi, cujus consiliis utebatur, dolo atque fraude alienatum perniciem minitari, multos jam in vincula conjectos esse: edicta in provincias adversus Christianum nomen propediem missum iri. enimvero nunciato tantae cladis pericnlo exanimati multi, ac terrore mortis abjecti: nec tamen defuere, quorom alacritas emineret, et ceterorum virtutem ad praeclara martyria excitaret. fuit etiam, qui a Cypriaoo scribi aliquid cuperet, quo omnium animi studio invictae coofessionis inflammarentur. porro Cyprianus, qui haec sponte semper praestabat, ut idonea tempori cohortatione populum erudiret, multo magis rogatus fecit, epistolamque ad Fortunatum emisit, quae secunda est *de exhortatione Martyrii*, documentis refertam sanctissimis, quae desidem quemque ac remissum tam felicis exitus desiderio possent accendere. fe-

(9) *in vita Cypr. n.* 4. (10) Euseb. *H. E. lib. vII. c.* 10.

cerat autem ejus libelli capita duodecim, subjectis unicuique divinarum litterarum auctoritatibus, quae singulorum capitum titulos explicarent confirmarentque, ut haberet quisque paratam veluti materiam non modo ad legendum ac meditandum, sed etiam ad colloquendum atque scribendum. *Ac ne in longum,* inquit (11), *sermonem meum extenderem, frater carissime, et audientem vel legentem stili latioris copia fatigarem, compendium feci; ut propositis titulis, quos quis et nosse debeat et tenere, capitula Dominica subnecterem, et id, quod proposueram, divinae lectionis auctoritate solidarem: ut non tam tractatum meum videar tibi misisse, quam materiam tractantibus praebuisse.* in quo et illud se prospexisse ait, *In exhortatione tam necessaria, quae Martyres faciat, amputandas esse verborum nostrorum moras et tarditates, atque ambages sermonis humani subtrahendas, ponenda sola illa, quae Deus loquitur, quibus servos suos ad martyrium Christus hortatur.* scriptam hanc epistolam ad Fortunatum Episcopum Thuccaborensem, satis mihi exploratum est. nam eum Cyprianus *fratrem* appellat, nusquam nomine Fortunatus cietur Thuccaborensis inter Episcopos, qui Carthaginem nuper ad Concilium convenerant. sed ejusdem exempla ad alios quoque missa, ut quam multis usui esse posset, recte judicaveris.

(11) *p.* 608. *edit. Baluz.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLVII.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Rursum Augusti Consules facti, Valerianus IIII. Gallienus III. quos jam barbarorum conspirationes et Persarum motus ad bella evocabant. in urbe tamen manebant, qui Valeriani adversus Christianos odium susciperent, crudelitatem explerent. et numerabantur jam Romae Martyres, qui primi praerepta laurea, viam ceteris ad caelum sanguine suo consignaverant. at in Africa unae hactenus privatorum litterae terrorem augebant, nec publice quidquam nunciatum fuerat: ut satis temporis habuisse Episcopi videantur, quod populo ad constantiam cohortando, animisque divinorum mysteriorum tributione confirmandis impenderent. nam hoc in primis curae erat, et hanc maxime caussam lapsorum recipiendorum attulerat olim Cyprianus, ne hosti ingruenti inermes objicerentur. *Nam quomodo,* ajebat (1), *docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?*

(1) *epist.* 54. *ad Cornel.*

II. Sed ipsa demum Augustorum edicta ad Aspasium Paternum Proconsulem adlata Carthaginem sunt, quibus praecipiebatur (2), *eos, qui Romanam religionem non colerent, debere Romanas caeremonias recognoscere.* nec dubium est Paterno praescriptum fuisse, ut Episcopos primum atque Presbyteros totumque Clerum aggrederetur, et quos ex iis repugnantes invenisset, illico relegaret. nam et deinde quum ad caedem et sanguinem ventum est, primos Episcopos et collegium eorum morti destinatos apparet (3). idcirco Carthagine Cyprianus ante alios in arenam descendit, exemplo multis futurus, quo pacto de hoste triumpharent. hanc sane laudem illi tribuunt Nemesianus et socii Confessores in epistola, qua litteris ejus suavissimis respondent (4): *Scis et ipse*, inquiunt, *carissime, nostrum optabile votum esse, quod te videamus doctorem et amatorem nostrum ad coronam magnae confessionis pervenisse. nam quasi bonus et verus doctor quid nos discipuli sequuti apud praesidem dicere deberemus, prior apud Acta Proconsulis pronuntiasti, et tuba canens Dei milites caelestibus armis instructos ad congressionis proelium excitasti, et in acie prima pugnans spiritali gladio Diabolum interfecisti, agmina quoque fratrum hinc et inde verbis tuis composuisti, ut insidiae inimico undique tenderentur, et cadaveris ipsius publici hostis nervi concisi calcarentur.* quo mense in custodiam ductus fuerit Cyprianus, a majoribus non accepimus. sed ipsum III. kal. Septembres productum, in Secretario ante Proconsulem stetisse, Acta Proconsularia testantur. atque hic quidem, postquam Cyprianum in conspectu habuit, *Exquisivi ergo*, inquit, *de nomine tuo: quid mihi respondes?* huic vero Cyprianus, quem adsidui labores et diuturna disciplina ad eam pugnam instruxerant, *Christianus sum*, respondit, *et Episcopus: nullos alios Deos novi, nisi unum et verum Deum, qui fecit caelum et terram, mare et quae sunt in eis omnia. huic Deo nos Christiani deservimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis et pro omnibus hominibus, et pro incolumitate ipsorum Imperatorum.* et quum eum Proconsul rogasset, num in eadem voluntate perseveraret, subjecit, *Bona voluntas, quae Deum novit, immutari non potest.* itaque Paternus, qui hominis constantiam nosset, missis ambagibus, *Poteris ergo*, inquit, *secundum praeceptum Valeriani et Gallieni exsul ad urbem Curubitanam proficisci?* cui Cyprianus, *Proficiscor*, ait. hic Proconsul mandata se habere praefatus non solum de Episcopis, verum etiam de Presbyteris, *Volo ergo*, inquit, *scire ex te, qui sint Presbyteri, qui in hac civitate consistunt.* ad quae Cyprianus, *Legibus vestris bene atque utiliter censuistis, delatores non esse. itaque detegi et deferri a me non possunt. in civitatibus autem suis invenientur.* instabat tamen Proconsul, *Ego*, inquiens, *hodie in hoc loco exquiro.* at Cyprianus contra, *Quum disciplina*, inquit, *prohibeat, ut quis se ultro offerat, et tuae quoque censurae hoc displiceat; nec*

(2) *in Act. Procos. Martyr. Cypr. de Paterno v. Lup. Epist. Ser. M. §. III. p. 8.*

(3) Cypr. *epist.* 82.

(4) *epist.* 78. *inter Cypr.*

offerre se ipsi possunt, sed a te exquisiti invenientur. his adquievit Paternus, ac se Presbyteros inventurum dixit. sed alia quoque ab Augustis sibi mandata esse adjecit. *Praeceperunt etiam*, ait, *ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec coemeteria ingrediantur. si quis itaque hoc tam salubre praeceptum non observaverit, capite plectetur.* at Cypriani responsum fuit, *Fac quod tibi praeceptum est.* atque hic finis confessionis ejus fuit. nam exinde Proconsul eum in exsilium deportari jussit.

II. Curubim, oppidum in Mercurii promontorio situm, pervenit Cyprianus post idus Septembres, habuitque inter domesticos comites exsulem voluntarium Pontium Diaconum (5), qui postea vitam ejus scripsit, quum frustra mortis socius esse concupiisset. quae prima Curubi nox a Cypriano exacta est, visum ei dormienti oblatum, quo certa illi spes facta martyrii fuit. nec ille socios rem celavit, imo accurate omnia, Pontio teste, exposuit his verbis (6): *Apparuit mihi*, inquit, *nondum somni quiete sopito juvenis ultra modum enormis: qui quum me quasi ad praetorium duceret, videbar mihi tribunali tum sedentis Proconsulis admoveri. is ut in me respexit, adnotare statim coepit in tabula sententiam, quam non sciebam; nihil enim de me solita interrogatione quaesierat. sed enim juvenis, qui a tergo ejus stabat, admodum curiosus legit quidquid fuerat adnotatum. et quia inde verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit quid in litteris tabulae illius haberetur. manu enim expansa et complanata ad spatae modum, ictum solitae animadversionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. intellexi sententiam passionis futuram. rogare coepi et petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerem. et quum preces frequenter iterassem, rursus in tabula coeperat nescio quid adnotare. sensi tamen de vultus serenitate judicis mentem quasi justa petitione commotam. sed et ille juvenis, qui jamdudum de passionis indicio, gestu potius quam sermone prodiderat, clandestino identidem nutu concessam dilationem, quae in crastinum petebatur, contortis post invicem digitis significare properavit. ego, quamvis non esset lecta sententia, etsi de gaudio dilationis acceptae laeto admodum corde gauderem; metu tamen interpretationis incertae sic tremebam, ut reliquiae formidinis cor exultans adhuc toto pavore pulsarent.* at vero eventus ostendit, diem illum, qui ei rebus ordinandis concedebatur, annum esse, quo exacto Cyprianus martyrium suum eodem die, qui fuit XVIII. kal. Octobres, consummavit. res autem, quas ille ante ordinare cupiebat, ad egentium solatium et Confessorum curam et Ecclesiae summam pertinebant: quas idem partim per epistolas, partim eorum opera, qui ad eum frequentes itabant, maximo omnium bono expedivit.

III. Iamvero dum Curubi Cyprianus exsulabat, non Carthagine solum, sed aliis passim in urbibus Episcopi, Presbyteri, Diaconi ad tribunalia

(5) Pont. *in vita Cypr. n.* 12. (6) *idem ibid.*

rapiebantur, quos judices, simul atque Christianos se esso professi erant, ad metalla damnabant: quae id temporis fodinae marmoris erant, qualo in Numidia potissimum effodi solebat, undo tot adhuc in urbe Numidicae columnao sunt, quas hospes miratur (*). exstant vero quae eam acerbitatem testentur, litterae Cypriani scriptae *Nemesiano, Felici, Lucio, alteri Felici, Licteo, Polliano, Victori, Iaderi, Dativo coëpiscopis, item compresbyteris et Diaconibus et ceteris in metallo constitutis:* quorum etiam aerumnas sic describit, ut proximao felicitatis comparationo elevaro conetur: *O pedes*, inquit (7), *feliciter vincti, qui non a fabro, sed a Domino resolvuntur! o pedes feliciter vincti, qui in itinere salutari ad paradisum diriguntur! o pedes in saeculo ad praesens ligati, ut sint semper apud Dominum liberi! o pedes compedibus et traversariis interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri! quantum vult hic vel invida crudelitas vel maligna nexibus vos suis et vinculis teneat, cito a terris et poenis istis ad caelorum regna venietis. non fovetur in metallis lecto et culcitris corpus, sed refrigerio et solatio Christi fovetur. humi jacent fessa laboribus viscera, sed poena non est cum Christo jacere. squalent sine balineis membra situ et sorde deformia, sed spiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter sordidatur. panis illic exiguus, at non in solo pane vivit homo, sed in sermone Dei. vestis algentibus deest, sed qui Christum induit, et vestitus abundanter et cultus est. semitonsi capitis capillus horrescit, sed quum sit caput viri Christus, qualecumque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est.* dolero autem eos angique suspicatus, quod in ergastulo illo sacris operari non possent, eam quoquo molestiam luctumque abstersit: *Sed nec*, inquit, *in illo, fratres dilectissimi, aliqua potest aut religionis aut fidei jactura sentiri, quod illic nunc sacerdotibus Dei facultas non detur offerendi et celebrandi sacrificia divina. celebratis imo atque offertis sacrificium Deo et pretiosum pariter et gloriosum, et plurimum vobis ad retributionem praemiorum caelestium profuturum:* et quae deinceps. porro invicti illi Confessores apud *Metallum Siguense* commorari se dicunt (8), idest prope Sigum Numidiae oppidum inter Macomadiam et Cirtam: et ipsi sane Episcopi omnes Numidici erant, et Concilio Carthaginiensi biennio anto interfuerant, Nemesianus Tubuniensis, Felix Bagajensis, Lucius Tebestinus, Felix Bamaccorensis, Licteus Gemellensis, Pollianus Milevitanus, Victor Octavensis, Iader Midilensis, Dativus Badionsis, quos omnos in commentario, quem Annalibus praeposuimus, recognoscero possis.

V. Hactenus in Episcopos et Clerum ethnicus furor eruperat. verum brevi in populum quoquo facile redundavit. nam quia, ut Aspasius Proconsul Carthagino edixerat, sanctione sua Augusti vetabant, ne conciliabula fierent, neve quis coemeteria ingrederetur, multos eo nomine accusari

(*) v. Jos. Castalion. *in Lamp. Grut. T. III. p.* 5.

(7) *epist.* 77.

(8) *epist.* 80. *inter Cypr.*

necesse fuit, et illustri confessione defunctos in custodiam duci. quo pertinent quae Cyprianus Episcopis Confessoribus ad metallum Signense scribit. *Denique exemplum*, inquit (9), *vestrum sequuta multiplex plebis portio confessa est vobiscum pariter, et pariter coronata est, connexa vobis vinculo fortissimae caritatis, et a praepositis suis nec carcere nec metallis separata. cujus numero nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit, quasque ad caelestem coronam gloria gemina provexit. in pueris quoque virtus major aetate annos suos confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri beatum gregem et sexus et aetas omnis ornaret.* haec Cyprianus Curubi ad Confessores scripserat, quae maximo illis solatio fuere. ceterum non litteras ille tantum, sed suppetias etiam ferendas dederat, quas ii sane se recepisse, epistola ad Cyprianum missa (10), peramanter profitentur. *Agunt ergo*, inquiunt, *tibi nobiscum damnati maximas apud Deum gratias, Cypriane dilectissime, quod litteris tuis laborantia pectora recreasti, fustibus vulnerata membra curasti, compedibus pedes ligatos resolvisti, semitonsis capitis capillaturam adaequasti, tenebras carceris illuminasti, montes metalli in planum deduxisti, naribus etiam fragrantes odores imposuisti, et tetrum odorem fumi exclusisti. fecit autem et prosequutum ministerium tuum et Quirini dilectissimi nostri, quod per Herennianum hypodiaconum et Lucianum et Maximum et Amantium Acolythos distribuendum misisti, quaecumque necessitatibus corporum defuerant expediri.* quis ille Quirinus fuerit, qui studium suum cum Cypriano jungebat, ut Confessoribus largius subveniretur, minus exploratum est: nisi ille habendus sit, cui Cyprianus libros Testimoniorum adversus Iudaeos inscripserat: quem civem Carthaginiensem satis locupletem et Cypriani veterem amicum fuisse crediderim. illud quoque obscurum est, qualem Confessores illi exitum habuerint. majorem partem in ergastulo obiisse, veri mihi simile videtur. nam quum Cyprianus pecuniam eo rursum submisisset, tres tantum Episcopi responderunt, Felix, Iader, Pollianus (11), nulla de sociis mentione facta, quod antea ad eum de illorum morte fortasse scripserant. ceterum exstant et Lucii Episcopi litterae ad Cyprianum gratias et suo et fratrum nomine agentis (12), quod muneris aliquid ad eos cum Quirino transmisisset. quare suspicari etiam licet, Confessores numero auctos in plura subinde ergastula divisos esse, ac propterea in eorum litteris nomina Episcoporum desiderari, quod simul amplius non essent. at quicumque demum tantorum Confessorum vitae sit finis impositus, jam ab Adonis temporibus Ecclesia Romana IIII. idus Septembres memoriam eorum honorat, et *gloriosae confessionis agonem consummasse* testatur. ad haec ipsa tempora referendum puto Timotheum Diaconum, qui in Mauretania diu carceri inclusus, deinde igne ambustus martyrium fecit. multis hunc laudibus non Latini modo, sed etiam Graeci efferunt in Fastis suis XIIII. kal. Ianuarias.

(9) *epist.* 77. v. Boll. *T. III. Sept. p.* 483.
(10) *epist.* 78. *inter Cypr.*
(11) *epist.* 80. *inter Cypr.*
(12) *epist.* 79. *inter Cypr.*

VI. Quod reliquum est, in tanto Africae tumultu stationem suam Cyprianus Curubi sic agebat, ut animo, cogitatione, officiis, opera adesse videretur, ubicumque Christianos calamitas premeret, et adversariorum odia in discrimen adducerent. et epistolas quidem ejus perpaucas habemus, sed ab eo permultas per Africam universam scriptas esse fatendum est, quum litteras ab eodem in Italiam quoque missas constet (13) ad Augustinum et Felicitatem, qui Capuae id temporis martyrio defuncti sunt. idem et opusculum ad Martyres emisisse putatur, aliud ab eo, quod superius commemoravimus, *de exhortatione martyrii* appellatum. nam Pontius, qui de eo meminit, aliud indicare se ostendit, quum addit (14), *Quis denique tot Confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, et ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubae caelestis animaret?* certe in epistolis Cypriani, quae exstant, stigmatici non memorantur: quae fortasse nota Confessoribus serius inusta est, postquam opere intermisso, domum quisque suam redire jussi sunt.

(13) *in Act. MM. Oxon. p.* 53. (14) *in vita Cypr. n.* 7.

ANNUS CHRISTIANUS CCLVIII.

Cypriano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere M. Aurelius Memmius Tuscus, Pomponius Bassus: quo tempore Valerianus peragrato Illyrico Byzantium pervenerat: Romae autem praefectura urbis fungebatur Cornelius Saecularis. interea Cyprianus, Curubi etiamtum exsulans, optatum martyrii sui diem cupide expectabat, et Ecclesiae simul, quantum fas erat, et omnium egentium et calamitosorum curam gerebat. enim vero dum res Christianorum mitius se habere viderentur, Aspasio Paterno Proconsuli successor datus est Galerius Maximus. hic ut Carthaginem venit, Cyprianum Curubi revocavit, et in hortos urbi proximos secedere jussit, quos ille quidem Christianus factus vendiderat, ut redactam pecuniam egenis distribueret, at postea ab eo, opinor, qui emerat, sibi testamento relictos jam receperat. illic tamquam in custodia libera sic manebat, ut de Ecclesiae suae statu certior quotidie fieret, haberetque de familiaribus obsequio paratos, qui ad ejus nutum quo vellet proficiscerentur. itaque quum scire maxime cuperet, quid Romae ageretur, Ecclesiaeque illius quae vices essent, facile invenit, qui Romam illico navigarent, ac brevi certa referrent. quae idem subinde, quum jam in Africa quoque Clerici in primis *sub ictu agonis*, ut ipse ait, constituti essent, ad Successum Episcopum Abbir Germanicianae sic scripsit (1): *Sciatis autem eos venisse, quos ad urbem propter hoc miseram, ut quomodocumque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos perferrent. multa enim varia et incerta opinionibus ventilantur; quae autem sunt in vero, ita se habent: Rescripsisse Va-*

(1) *epist.* 82.

lerianum ad Senatum, ut Episcopi et Presbyteri et Diacones in continenti animadvertantur, senatores vero et egregii viri et equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur, et, si ademptis facultatibus Christiani esse perseveraverint, capite quoque multentur: matronae vero ademptis bonis in exsilium relegentur; Caesariani autem, quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, et vincti in Caesarianas possessiones descripti mittantur. atque haec quidem ad urbem potissimum pertinebant, in qua sane ante alios Xystus mactatus fuerat. *Xystum autem*, inquit, *in coemeterio animadversum sciatis octavo iduum Augustarum die, et cum eo Diacones quatuor. sed et huic persequutioni quotidie insistunt praefecti in urbe; ut si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona eorum fisco vindicentur.* sed paria mandata Valerianus ad praesides provinciarum jam dederat, de quibus ad Senatum eodem tempore scripserat, quae tum aut perferebantur Carthaginem, aut perlata jam erant. *Subjecit etiam*, inquit, *Valerianus Imperator orationi suae exemplum litterarum, quas ad praesides provinciarum de nobis fecit, quas litteras quotidie speramus venire, stantes secundum fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, et exspectantes de ope et indulgentia Domini vitae aeternae coronam.*

II. Haec Cyprianus ex hortis suis ad Successum scripserat, quae ille ceteris collegis et omnibus Ecclesiis transmitteret; quum Gallerius Proconsul Uticam se contulit, initium illic caedis et animadversionis in Christianos facturus. id ut rescivit Cyprianus, qui hoc habebat in votis, ut in media Ecclesia sua, et iis coram, quos ipse ad martyrium instituerat, prior vitam profunderet, aegre admodum ferens, eripi sibi, ut extremum illud Ecclesiae suae exemplum relinqueret, consilium secedendi cepit, quamdiu Proconsul Carthagine abesset, deque hoc ipso consilio e latebris, quas petierat, postremas ad Ecclesiam suam litteras mittens, rationem sic reddidit (2): *Quum perlatum*, inquit, *ad nos fuisset, fratres carissimi, commentarios esse missos, qui me Uticam perducerent, et consilio carissimorum persuasum esset, ut de hortis nostris interim secederemus, justa interveniente caussa consensi, eo quod congruat, Episcopum in ea civitate, in qua Ecclesiae Dominicae praeest, illic Dominum confiteri, et plebem universam praepositi praesentis confessione clarificari. quodcumque enim sub illo confessionis momento Confessor Episcopus loquitur, aspirante Deo ore omnium loquitur. ceterum mutilabitur honor Ecclesiae nostrae tam gloriosae, si ego Episcopus alterius Ecclesiae praepositus, accepta apud Uticam super confessione sententia, exinde Martyr ad Dominum proficiscar: quandoquidem ego et pro me et pro vobis apud vos confiteri et ibi pati et exinde ad Dominum proficisci orationibus continuis deprecer, et votis omnibus exoptem et debeam. expectamus ergo hic in secessu abdito constituti adventum Proconsulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo, quid Imperatores*

(2) epist. 85.

super Christianorum laicorum et Episcoporum nomine mandaverint, et dicturi quod ad horam Dominus dici voluerit. hactenus Cyprianus, qui et suos hortari postremum non destitit, ut eorum memores, quae saepe ab ipso audierant, quietem et tranquillitatem tenerent, caverentque ne cui periculum crearent, neve quispiam ad tribunal ethnicorum se ultro offerret.

IIII. At vero Uticae Proconsul, quum Cyprianus non inveniretur, haud diu secures otiosas esse passus est. erant Uticae in vinculis Christiani numero trecenti, indidem multi aut ex vicinis urbibus, multi etiam Carthaginienses; nam eos Prudentius Cypriani discipulos appellat (3). ex utroque sexu et ex omni aetate fuisse, legimus in veteri sermone, qui diu Augustini praetulit nomen. porro auctor idem et mortis genus describit. *Non senex*, inquit (4), *annis jam vergentibus fractus, marcescente jugulo, tremulam cervicem subtraxit: non anus sexu, aetate confecta, dextram cruenti percussoris effugit: non juvenes a corona vitae hujus dulcedo revocavit. non expirantium membra palpitantium parvulorum cruentus percussor perhorruit: sed si qui forsitan infantum maternis uberibus inhiantes ferrum potuerunt persequentis evadere, oppressi ruina cadaverum maternos inter dulces obiere complexus.* sed Prudentius fama se accepisse ait (5), Martyres illos, quum ara hinc posita, inde fossa calcaria fumante, aut sacrificare Diis, aut se vivam in calcem mittere juberentur, alacres rapido cursu simul trecentos prosiluisse, et calce omnes absumptos *Massam candidam* exinde esse appellatos: idque Ado etiam recepit, et in Martyrologium suum transtulit (6). ceterum Augustinus hunc eorum exitum ignoravit, et in sermone, quem habuit (7) *in Natali Martyrum Massae candidae*, hanc appellationis ejusmodi caussam attulit: *Massa*, inquit, *dicta est de numeri multitudine, candida de caussae fulgore.* veri autem mihi simile videtur, famam, quae ad aures Prudentii venerat, inde ortam, quod cadavera Martyrum in fossam illam calcariam conjecta essent, quo citius absumerentur. at diu mansit, apud Carthaginienses in primis, eorum memoria, quam, ut ex Kalendario Ecclesiae illius apparet, post idus Augustas celebrabant: manet in Ecclesia Romana, quae jamdiu VIIII. kal. Septembres honorat, olim XV. kal. easdem recolebat (8).

IIII. Uticam demum tot caedibus funestam reliquit Proconsul, ac se valetudinis caussa in suburbanum Carthaginis contulit, quem locum Sextum appellabant. nec segnior Cyprianus e latebris suis in hortos rediit. *Conveniebant interim*, inquit Pontius (9), *plures egregii et clarissimi ordinis et sanguinis, sed et saeculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam ejus antiquam secessum subinde suaderent; et ne parum esset nuda suadela, etiam loca, in quae secederet, offerebant. ille vero jam*

(3) Perist. *hymn. XIII. v.* 88.
(4) *Serm.* 317. *in Append. Op. Aug.*
(5) *ibid. v.* 76.
(6) *VIII. kal. Sept.*
(7) *Serm.* 306. *c.* 2. v. Boll. *T. III. Aug. p.* 263.
(8) *in Martyrol Hieron.*
(9) *in vita Cypr. n.* 14.

mundum, suspensa ad coelum mente; neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat. ioter haec, quum oil jam aliud, qoam exoptatum vitae finem cogitaret, et religaodi tempus adesse gauderet, ut liber jam ac beatus caelestem in patriam perveoiret, *Repente*, ut io Actis ejus legimus, *idibus Septembris Tusco et Basso Cos. venerunt ad eum principes duo, unus Strator officii Galerii Maximi Proconsulis, et alius Equistrator a custodiis ejusdem officii: qui et in curriculum eum levaverunt, in medioque posuerunt, et in Sexti perduxerunt.* nec tamen eo die Procoosul Cyprianum coram produci voluit, sed in crastioum rejecit, qoi diei illius anniversarius erat, quo Curubi per visnm de martyrio suo certa significatione cognoverat. deductus autem est ad Stratorem in proximum vicum, qui Saturni dicebatnr, inter *Veneream* et *Salutariam*, quas celebres ejus tractus vias fuisse crediderim, et apud eum hospitatus est. haec ut Carthagine vnlgata Christiani rescivere, eo prope omnes, io parentis poblici discrimioe anxii solicitique, coovolaroot: qoorum in eo vico ante Stratoris aedes taota erat frequentia, ut Cyprianos puellas, qnae simul advenerant, pro foribus perooctantes a certis viris custodiri praeceperit. postero die, qno Galerius commeutarieoses soos et reliqnam apparitorum lictorumque turbam ad Sextum adesse josserat, Cypriaous demum coram eo oblatns est. sedebat Proconsul pro tribunali in atrio Sauciolo, sic enim a sontium sopplicio appellabaot (10), stabat e regiooe Cyprianus, io quem omoium ora conversa erant. euimvero Procoosul, conjectis in eum oculis, *Tu es*, inquit, *Thascius Cyprianus* (11)*?* nnde nempe eum e gente Thascia foisse novimus. cui Cyprianus quum respondisset, *Ego sum*, ille addidit, *Tu papam te sacrilegae mentis hominibus praebuisti?* ad haec rursum Cypriaons, *Ego*, inquit. at Proconsnl adjecit: *Iusserunt te sacratissimi Imperatores caeremoniari:* Cypriaous cootra, *Non facio.* ille vero, *Consule tibi*, ait: cni Cyprianus, *Fac quod tibi praeceptum est. in re tam justa nulla est consultatio.* tom Proconsnl de more assessores suos in coosilium adhibuit, et quum de damnationo Cypriaoi ioter eos convenisset, mox idem, aotequam senteotiam ex tabella recitaret, praefationem dixit ejosmodi, quae quaotum cootumeliosa erat, tantum saoctissimi Episcopi perpetuos labores et constaotem virtotem extollebat. *Diu*, inquit, *sacrilega mente vixisti, et plurimos nefariae tibi conspirationis homines aggregasti, et inimicum te Diis Romanis et sacris legibus constituisti, nec te pii et sacratissimi Principes Valerianus et Gallienus Augusti, et Valerianus nobilissimus Caesar ad sectam caeremoniarum suarum revocare potuerunt. et ideo quum sis nequissimorum criminum auctor et signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti. sanguine tuo sancietur disciplina.* atqoe haec praefatus, decretum sic pronunciavit: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.* ultima vero Cypriani vox foit, *Deo gratias.*

(10) v. *Conc. Matisc. II. c. 19.*

(11) *in Act. Procos. n. 3. et 4.*

v. Hic tota Christianorum multitudo graviter ingemuit, auditique qui dicerent, *Et nos cum ipso decollemur.* ut autem Cyprianus foris ad patentem aream duci coepit, magno eum tumultu omnes prosequuti sunt, ut exitum cominus spectare possent: at latus ejus centuriones et tribuni tegebant, et militum corona stipabat (13). nondum ad martyrii locum ventum erat, et multi jam in arbores adscenderant, cetera turba circa aream adstabat. tum Cyprianus in medium progressus rufam, quam gerebat, lacernam deposuit, ac flexis genibus, et capite inclinato, preces Deo tacitus fudit. mox et dalmaticam exuit, ac Diaconis tradidit, ipse in linea veste spiculatorem opperiens: qui ut adfuit, ad suos conversus Cyprianus, aureos illi viginti quinque dari jussit: jamque vitta oculos sibi texit, quam obligare ipse quum non posset, Iulianus Presbyter et Iulianus hypodiaconus manu sua ipsi constrinxerunt, supponentibus interea aliis linteamina et sudaria, quibus Martyris cruorem exciperent. ita sacrum illud caput amputatum est, quod Ecclesiae Carthaginiensis maximum decus et summum praesidium fuerat. jacuit in publico exanime corpus ad noctem usque, ethnicis ipsis ad contemplandum undique confluentibus. inde per noctem sublatum Christiani magna pompa in triumphi morem, cereis et facibus praelucentibus, ad areas Macrobii Candidiani Procuratoris deduxerunt, quae erant in via Mappaliensi juxta piscinas. in eo deinde loco insignis honori ejus aedes dicata est; nec minus celebris alia condita ad ipsam aream, ubi martyrium consummaverat, de quibus alibi (14) a nobis dictum est. sic demum perfectum esse ait Pontius (15), ut Cyprianus *in civitate ipsa, in qua taliter vixerat, et in qua prior fecerat multa praeclara, prior etiam sacerdotii caelestis insignia glorioso cruore decoraret.* de gloria ejus apud posteros quid me attinet dicere, quum orbem universum peragrata sit, nec plaga ulla inveniri possit, ad quam nomen Cypriani non pervenerit? juvat tamen ex heptametro Prudentii carmine postremos versus adscribere, qui eam nobis gloriam perantiquam lateque diffusam repraesentant (16):

Flevit obire virum moesta Africa, quo docente facta est
Cultior, eloquio cujus sibi docta gloriatur.
Mox tumulum lacrimans struxit, cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum: tenet ille regna caeli,
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe:
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Lybiae populos tantum regit, exit usque in ortum
Solis et usque obitum. Gallos fovet, imbuit Britannos,
Praesidet Hesperiae, Christum serit ultimis Iberis.
Denique doctor humi est, idem quoque Martyr in supernis:
Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

(12) Pontius *in vita Cypr. n.* 18.
(13) *Act. Procos. n.* 5.
(14) *in Episcop. Carthag.*
(15) *in vita Cypr. n.* 19.
(16) Hymm. *xiii.* v. 96. v. *etiam* Buonarr. *Osservaz. sui vetri p.* 142.

Martyris sanctissimi Reliquias servavit Africa ad annum DCCC.VI. quo eas legati Imp. Karoli Aog. in Gallias transtulerunt (17).

VI. A Cypriaoi morte quietis parum admodum Carthagine fuit, quippe haud multo post Galerius Maximus Proconsul diem obiit supremum (18), et vice ejus Procurator Caesaris fungi coepit (19), qui Christianis infensus omnia rursus terrore implevit, et popularis quoque tumultus auctor, inde Christianorum vexandorum caussas quaesivit. itaque de Cypriani successore designando nulla intra aooum deliberatio, nullusque cooveotus haberi potuit. quod et Romae pari ratione contigit: nam Xysti loco, qoi Martyr hoc anno decesserat, non nisi integrum fere post annum Dionysius reounciatus est.

(17) Ado *in Martyr. die 14. Sept. etc.*
(18) *Act. Procos. Cypr. n. 5.*
(19) *Pass. ss. Montani et Lucii n. 2. et 6.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLVIII.

Carpophoro Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUM incoharunt Consules Fulvius Aemilianus, Pomponius Bassus iterum: quo tempore Valeriaous in Orieotem cum exercitu progressus poenam sibi crudelitatis suae maturabat. at Ecclesia Africana in summo rerum omniom discrimine ducem quaerebat, quem magni Cypriaoi loco revereretur. erat in collegio Presbyterorum Carthaginiensium Lucianus virtute spectata et insigni erga Martyres studio: quem propterea Flavianus martyrio proximus, ut infra dicemus, magnopere commendavit, nec obscuris indiciis Episcopum futurum praedixit. eum tamen Ecclesia Carthaginiensis, credo, quod junior esset, in aliud tempus reservavit: latisque suffragiis pontificatum Carpophoro mandavit. hunc certo in veteri Optati codice legimus (1) inter Cyprianum et Luciaoum, cujus pontificatus nimium produceodus esset, siquidem Cypriano proximus successisset. ceterum Carpophoros neque inter Cypriani Presbyteros cietur, qoum ille in epistolis suis non paucos commemoret; neque alius quispiam nomen ejus aut facta recensuit: ut dolendum plane sit, nihil ad nos de Cypriaoi successore pervenisse.

II. Gravior interea fiebat Christianorum clades, jamque Carthagine apprehensi fuerant Lucius, Montanus, Flavianus, Iolianos, Victoricus, Rheous, quos e Cloro fuisse apparet, cumque his Primolus et Donatianus, quos catechumenos Acta demonstrant (2). quum autem in custodia etiamtum essent apud Magistros regionis, igni se destinatos a militibus audierunt: idque revera Procorator, qui tum judiciis praeerat, in animo haboerat. sed Deus, quem illi precibus adsiduis exoraverant, praesidem a proposito revocavit. itaqoe e custodia illa io carcerem deduci eos jussit. rem ipsi Confessores expooont in epistola, quam ad Ecclesiam misere (3).

(1) *in cod. Sangerm. Opt. lib. I. c. 19.*
(2) apud Ruinart. *p. 201.*
(3) *in Act. ibid. n. 4.*

Quo deducti, inquiunt, *a militibus sumus, nec expavimus foedam loci illius caliginem. moxque carcer tenebrosus Spiritu perlucente resplenduit, et contra obscuritatis deformia, et coeca noctis contecta instar diei fidei devotio candida luce nos vestiit: et ad summum adscendebamus locum poenarum quasi adscenderemus in caelum.* ac dum eorum aerumnae caelesti ope levabantur, ne ab hominibus quidem solatium defuit. Carpophori enim Episcopi cura submissi ad eos sunt, qui suppetias ferrent, et corpora simul atque animos recrearent. instabat jam dies, quo ad tribunal producendi erant: idque Rheuus per visum cognoverat, sociisque nunciarat laetitia gestientibus. prodiere demum catenati, quumque milites ignorarent, quo eos loco praeses audire vellet, huc illuc per totum forum circumducti sunt. *Tunc nos*, inquiunt, *in secretarium vocavit, quia necdum hora passionis advenerat. unde prostrato Diabolo victores sumus in carcerem reversi, et ad alteram victoriam reservati.* sed non omnes post praeclaram illam confessionem diu carcer retinuit. nam catechumeni in ipsis vinculis sacro abluti baptismo, Primolus nempe et Donatianus candidissimae animae ad caelum avolarunt. reliquos vero diu fames ac sitis exercuit. nisi quod tandem ad eos penetrare potuit Lucianus Presbyter cum Herenniano Hypodiacono et Ianuario catechumeno, iisque *alimentum indeficiens* ministravit, sancta scilicet de altari, quod tum subsidium aegros et laborantes nimium suffulsisse dicitur. atque idem varia illos ciborum copia adlevasse putandus est: semper enim Ecclesia Confessoribus, quae cuique opus erant, large suppeditabat. tum eos solari Deus pergebat miris visionibus, quae animos eorum mutua caritate jungebant, et caelestis patriae desiderio inflammabant. socios quoque nacti erant Victorem Presbyterum, quem Commartyrem appellant, item Quartillosiam et uxorem et matrem Martyrum, quae ipsa etiam martyrio socios praevertit.

III. Eodem tempore vicina Numidia passim Christianorum caedibus et sanguine redundabat. sed Cirtae potissimum, quae provinciae metropolis erat, carnificina exercebatur (4). jam ne ii quidem tuti latebant, quos praeses in exsilium ejecerat, sed ad tribunal rursum rapiebantur, ut capite damnarentur. capti inter alios a militibus Agapius et Secundinus Episcopi: qui Cirtam perducti, lauream ibidem adepti sunt. eos, quum Muguam Cirtae proximum oppidum in itinere attigissent, Iacobus Diaconus et Marianus Lector hospitio libentes acceperant, eorumque sermonibus mirum in modum confirmati fuerant. non multo post hi quoque apprehensi sunt, et Mugua in Cirtensem coloniam pertracti. ut coram magistratibus urbis et centurionensibus simul vicinae civitatis Duumviris stetere, ea fuit eorum constantia, ut non modo se Christianos profiterentur, sed etiam primus se Diaconum, alter Lectorem se esse confirmarent (5). at illi Marianum falsae confessionis insimulantes, quasi majore

(4) *Act.* apud Ruinart. *p.* 195. *et* Boll. *T. III. Apr. p.* 746. (5) *ibid. n.* v. *p.* 196.

gradu in Ecclesia esset; nam Valerianus nihil de morte eorum sanxerat, qui infra Diaconos erant: torqueri eum crudelissime illico jusserunt. aderat tum forte ille idem, qui Acta eorum accuratissime perscripsit, Christianus vir et Martyrum contubernalis: atque hic durum illud certamen sic describit: *Quaenam, inquit, illa tormenta, quam nova, quam Diaboli venenato sensu, et dejiciendi artibus exquisita fuere supplicia! pependit Marianus ad vulnera, et quae Martyri etiam in ipsis lacerationibus adfuit gratia, sic tortus est, ut illum exaltaret et poena. nexus autem, qui pendentem gerebat, non manus, sed summos apices pollicum vinxerat: scilicet ut digitorum tenuis exilitas plus in ferendis membris ceteris laboraret. addita etiam pedibus injusta pondera, ut discordantibus poenis utrimque distracta, et viscerum convulsione resoluta, de nervis suis totius corporis compago penderet.* vicit tamen torquentium feritatem invicta Mariani patientia, ac velut a triumpho in carcerem cum Iacobo reductus, ubi jam et Aemilianus equestris ordinis vir supremum diem inclusus opperiebatur: quos Deus manifestis optati exitus significationibus solatus est, Marianum in primis, cui se magnus quoque Cyprianus videndum obtulit, eumque compellans, *veni*, dixit, *sede mecum.* paucis sane diebus elapsis, iterum producti in publicum, ut eos magistratus Cirtensium ellogio confessionis suae notatos Lambesam ad praesidem transmitteret: qui dum recenserentur, socium adepti sunt, Christianorum e numero palam se esse professum. Cirta denique abductos Lambesitanus carcer accepit, dum praeses illic Christianos e plebe quamplurimos immolaret. quumque ultimi certaminis diem appropinquasse jam crederent, ecce Iacobo in somnis visus est Agapius Episcopus, qui cum Secundino et Tertulla et Antonia inter caelestes agebat, isque crastinum martyrii diem fore nunciavit. *Dies a visione primus illuxerat,* inquit Actorum scriptor (6), *et jam promissis Dei sententia praesidis serviebat, quae Marianum et Iacobum et ceteros clericos tandem Patriarchis cum gloria redditos, e pressuris saeculi sententia animadversionis emisit.* porro non exiguum tum numerum Martyrum morti devotum esse, declarat idem, ordinem eorum describens et caedem in fluvii aggere, unde sanguis in alveum manavit. *Mira,* inquit, *tunc ibi cerneres et exquisita compendia saeviendi. nam quum manum carnificis gladiumque ipsum tot cervicibus debitum numerosus Iustorum populus urgeret, artifex feritatis dispositas agminum series in ordinem redigebat: scilicet ut sacrilegi percussoris ictus, velut impetu quodam furoris, pia colla percurrerent.* in tanta vero Martyrum caede insigne quoque spectaculum praebuit Mariani Lectoris mater, Maria nomine, quae *His peractis,* ut scriptor idem refert, *Maccabaico gaudio exultans, et passione perfecta jam secura de filio, non illi tantum coeperat, sed et sibi, quae tale pignus ediderat, gratulari. complectebatur in filii corpore suorum viscerum gloriam, et in ipsa cervicis vulnera frequens osculum pietas religiosa figebat.* quam

(6) *ibid. n. xI. p.* 199.

postea matrem appellans Augustinus in sermone (7), quo Martyrum horum diem natalem celebravit, *O sancta*, inquit, *et tu Maria, impar quidem merito, sed par voto, felix et tu. peperit illa Martyrum Principem, peperisti tu Principis Martyrem.* et quae deinceps. haec pridie nonas Majas contigisse indicat Kalendarium Carthaginiense, in quo ad eum diem Iacobi et Mariani martyrium consignatum est. id tamen vetera Martyrologia pridie kal. Majas enunciant.

IIII. Tot jam Martyres Numidia caelo transmiserat: at Carthagine Lucius et Montanus cum ceteris Confessoribus carceri etiamtum addicti, squalore, sordibus, fame confecti contabescebant (8). multos demum post menses producti, ante praesidem in praetorio constitere. ibi, quum omnes clara voce Christianos se esse, et sacris quoque Christianis initiatos professi rursum essent; quidam de Flaviani amicis, qui eum perverso amore servare vellent, reclamarunt, ipsum Diaconum non esse, qui se tamen Diaconum fassus fuerat. quare Flavianum praeses invitum moerentemque recipi jussit, sententiam in reliquos dixit, qui jam non amplius quatuor erant, nam Rhenus, ut arbitror, in vinculis obierat: certe soli exinde cientur Lucius, Montanus, Iulianus, Victoricus. hi e praetorio ad supplicii locum processerunt. *Erat illic videre*, inquit Actorum scriptor (9), *Martyres Christi felicitatem gloriae suae vultus hilaritate testantes, ita ut possent ceteros provocare ad propriae virtutis exempla, etiamsi tacerent. sed nec sermonis largitas defuit. nam cohortatibus suis singuli plebem Dei corroboraverunt. et Lucium quidem praeter ingenitam lenitatem et probam ac modestam verecundiam infirmitas etiam gravis et labor carceris fregerat: ac propterea cum comitibus paucioribus solus ante praecessit, ne multitudinis nimiae pressura defusioni sanguinis invideret. qui tamen et ipse non tacuit, sed comites suos, quomodo potuit, instruxit. cui quum dicerent fratres, Memento nostri, Vos, inquit, mei mementote. quanta Martyris humilitas, de gloria sua nec sub ipsa passione praesumere! Iulianus quoque et Victoricus insinuata diu fratribus pace, et commendatis omnibus Clericis, maxime eis, qui famem carceris passi erant, ad passionis locum cum gaudio et sine pavore venerant. sed enim Montanus et corpore et mente robustus, quamquam et ante martyrium gloriosus, ea semper, quae veritas postularet, constanter et fortiter dixerit sine ulla exceptione personae; tamen de martyrio proximo crescens, prophetica voce clamabat: Sacrificans Diis eradicabitur: nisi Domino soli. et hoc frequenter iterabat, insinuans et inculcans non licere, deserto Deo, ad simulacra et manufacta figmenta accedere. haereticorum quoque superbiam et improbam contumaciam retundebat, contestans eos, ut vel de copia Martyrum intelligerent Ecclesiae veritatem, ad quam redire debeant.* hactenus qui Martyrum Acta digessit, alia addens multa, quae Montanus in procinctu eloquutus fuerat, monita cuique sua relinquens,

(7) *Serm.* 284. *n.* 2.
(8) apud Ruin. *in Act. n.* 12. *p.* 204.
(9) *ibid. n.* 13. *p.* 204.

lapsis, integris, virginibus, praepositis, populo denique universo. at vero quum jam Martyribus tribus obtruncatis, Montani cervici carnifex immineret, ille manibus ad caelum expansis, orare clara voce auditus est, Deumque enixe precari, *ut Flavianus, qui per suffragium populi de comitatu eorum remanserat, sequeretur die tertia.* simul vitta religata, quae illi oculos obnubebat, duas eam in partes discidit, alteramque reservari jussit, qua oculi Flaviano post crastinum obligarentur: tum et in area, ubi humandus erat, solum Flaviani sepulturae excepit, ut apud se conderetur: quae verissime vaticinatus collum gladio supposuit.

v. Ergo Flavianus quoque post biduum productus e carcere, Montani vaticinium implevit. aderat jamdiu Diacono pientissimo incomparabilis mater, *quae*, ut in Actis legimus, *praeter fidem, qua ad Patriarchas pertinebat, in hoc etiam se Abrahae filiam comprobavit, quod filium suum et optabat occidi, et quod interim remansisset, contristabatur intimo dolore.* cui filius ne de dilatione quidem sibi dolendum ostendens, quae ipsa in votis fuerat, *Scis*, dixerat, *mater merito carissima, ut semper tentaverim, si confiteri contigisset, martyrio meo frui, et frequenter catenatus videri, et saepe differri: si ergo contigit quod optavi, gloriandum est potius, quam dolendum.* sed nunc demum egrediebatur de carcere, certus se ad carcerem non reversurum. quamquam enim conspirasse multos norat, ut eum testimonio suo eriperent morti, futurum tamen pro certo habebat, quod de eo Montanus Martyr praedixerat. vicit sane, perversisque amicorum officiis rejectis, Christianum se et Diaconum confiteri pergens, quaestione etiam ob id tolerata, praesidis denique sententia damnatus est. atque haec omnia in litteras referri ipse ab Actorum scriptore voluit, nec omitti, quae a Cypriano et Successo et Paullo Martyribus per visum de martyrio suo ante cognovisset. ut vero in agrum Fuscianum, ubi immolandus erat, pervenit, editoque in loco constitit, ad Christianos conversus, qui frequentes convenerant, *Habetis*, inquit, *fratres dilectissimi, nobiscum pacem, si noveritis Ecclesiae pacem, et dilectionis unitatem servaveritis. nec putetis pauca esse, quae dixi, quum et Dominus noster Iesus Christus passioni proximus haec eadem sit prosequutus: hoc est*, *inquit* (10) *mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* ultima ejus verba de Luciani Presbyteri laudibus fuere, quem sibi jam sedulitate erga Confessores et omnibus officiis probatum sic commendavit, ut eum Episcopum divinitus designare videretur. *Deinde*, inquit Actorum scriptor (11) *ad locum victimae perfecto sermone descendit, et ligatis oculis ex parte, quam Montanus servare ante biduum jusserat, fixis tamquam ad precem genibus, passionem suam cum oratione finivit.* peracta haec fuisse VIII. kal. Iunias, ex Kalendario Carthaginiensi novimus, in quo et ceterorum Martyrum memoria x. kal. easdem celebratur, id est biduo ante Flaviani martyrium, quod et Martyrologia antiqua confirmant.

(10) Joan. c. 13. n. 14. (11) *ibid. n.* 23. *p.* 208.

VI. An Roma tandem Proconsul advenerit, qui Africam administraret, incertum est: nec bene Anulinus Galerio successisse creditur: nam is ad Diocletianea tempora pertinet. illud tamen extra controversiam est, etiam post kalendas Iunias adversus Christianos saevitum esse: in Numidia praesertim et Cirtae, *In qua tunc maxime civitate*, inquit scriptor Actorum Iacobi et Mariani, *gentilium caeco furore et ex officiis militaribus persequutionis impetus quasi fluctus saeculi tumescebant, et avidis faucibus ad tentandam fidem justorum rabies Diaboli infestantis inhiabat* (12). per id tempus Theogenes quoque Episcopus Hipponensium Regiorum comprehensus (13) putatur, cui Fasti Ecclesiae sex et triginta martyrii socios adscribunt. ipse ingens Martyrum numerus, quem vetera Martyrologia Africae tribuunt, satis declarat, bonam eorum partem ad haec Valeriani tempora pertinere, qui hoc anno potissimum adversus Christianos insatiabilem crudelitatem exercuit (14). quum autem tot praeclari athletae tam strenue ad mortem usque decertaverint, imbecilles tamen quosdam in Africa fuisse, qui vitae amore salutem suam fidemque prodiderint, fatendum est. nam hos plane designabat Montanus, quum ad martyrium pergens, lapsos admonebat, ne ante ad Ecclesiae pacem adspirarent, quam sceleris sui poenas rite poenitendo persolvissent. de eo enim, qui Acta scripsit, haec adnotavit: *Lapsorum abrupta festinantia, negotiationem pacis ad plenam poenitentiam et Christi sententiam differebat* (15): in quo Montanus Cypriani praescripta tuebatur, qui, nisi mortis urgeret metus, intra stati temporis spatium minus lapsis indulgendum censebat.

(12) apud Ruin. *p.* 195.
(13) Baron. *in Martyr. ad d.* 26. *Jan. sed* v. Sollier. *ad Usuard. eod. die.*
(14) Euseb. *H. E. lib. VII. c.* 11.
(15) *n. XIII.* apud Ruin. *p.* 204.

ANNUS CHRISTIANUS CCLX.

Carpophoro Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES habuit hic annus L. Cornelium Saecularem iterum, Iulium Donatum: fuitque idem Imperio Romano admodum luctuosus, Valeriano Aug. a Rege Sapore per dolum capto, atque in servitutem abducto. ceterum poenam ille, quam erat meritus, Deo scelerum vindice subiit: ut qui regnum Christi delere tentasset, imperio ipse spoliaretur; et qui Christianos Deo famulari vetuisset, idem Regi barbaro amissa libertate serviret. nec aliae subinde calamitates defuere, quales Marianus Martyr anno superiore apud Lambesam sanguine suo litaturus praedixerat. nam, ut in Actis legimus (1), *Prophetico spiritu jam repletus, fidenter ac fortiter praedicabat proximam justi sanguinis ultionem, variasque saeculo plagas velut de caeli jam culmine minabatur, luem, captivita-*

(1) *n. XI.* apud Ruin. *p.* 199.

tem, famem terraeque motus, cynomyiae venena cruciantia; quae quis passim in Romana horum temporum historia recognoscere possit.

II. At dum injurias suas Deus et Christianorum caedes per arma Persarum in Oriente ulciscebatur, infesti etiamtum hostes in Africa Ecclesiam vexabant. atque ad hujus anni initia fortasse pertinent quaedam haud exiguae Martyrum Africanorum turmae, quas Fasti veteres primis anni mensibus adscribunt: de quibus tamen in tanta rerum obscuritate certi nihil tradere possumus. verum tam funestae cladi totque caedibus innocentium victimarum finem denique attulere edicta Gallieni Aug. qui jam imperii arbiter, patris crudelitatem aversatus, quae ille adversus Christianos constituerat, omnia rescidit, ipsosque Episcopos hortatus est, ut sacris aedibus coemeteriisque receptis, munere quisque suo constanter et libere fungerentur (2). Rescriptum ejus refert Eusebius missum *Dionysio, Pinnae, Demetrio et reliquis Episcopis:* et alias item litteras ab eodem alios ad Episcopos scriptas commemorat, in quibus permissum illis significabat, ut recuperare coemeteria possent. Dionysium autem, quem Gallienus primum in Rescripto appellabat, urbis Episcopum fuisse, qui anno superiore in Xysti locum suffectus fuerat, prope manifestum est.

(2) Euseb. *H. E. lib. vII. c.* 13.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXI.

Carpophoro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodiere Imp. P. Licinius Gallienus IIII. Petronius Volusianus. crevit hoc anno tyrannorum numerus, qui imperium arripiebant. sed Africa pacata fuit, praebuitque otium Christianis, ut Reliquias Martyrum tuto transferre possent, et sepulcra his atque aedes, sive, ut appellabant, Memorias aedificarent. tum et in Kalendaria Ecclesiarum relatos Martyres, et suum cuique diem, quo quisque martyrium consummasset, adtributum esse, exemplum, quod exstat, Kalendarii Carthaginiensis confirmat. haec autem non privati cujusquam arbitrio, sed communi Episcoporum consensu peracta esse, statuendum est. nam hi sunt, quos Optatus (1) *Martyres Vindicatos* vocat, quos nempe Ecclesia, de sancto eorum exitu edocta piorum testimoniis, legitimos habuisset, quorumque memoriam quotannis recolendam existimasset.

(1) *de schism. Donat. lib I. c.* 16.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXII.

Carpophoro Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Imp. P. Licinius Gallienus V. Ap. Pompejus Faustinus. alii rursum tyranni per Asiam Aegyptumque imperium usurpare

coeperunt: multaque studio partium bella exstitere. at Africa in Gallieni potestate fuit, insanasque Orientis factiones immobili erga Principem fide contempsit.

II. Sunt qui hoc anno Concilium in Africa celebratum censeant (1), ut novo Decreto sanciretur, haereticos, qui ad Ecclesiam venirent, baptizandos non esse: quod a Hieronymo traditur, quemadmodum ad annum CCLVI. exposuimus (2). Ecclesiae certe intererat, aliquod de ea re exstare judicium Episcoporum. ceterum mitigatis jam animis, vulgatisque veteris consuetudinis monumentis, adversarios defuisse puto, quos refutari oporteret. medicinam enim tempus attulerat, quo et impetus hominum retardatur, et mentium tenebrae depelluntur.

(1) Hard. *Conc. T. I. in Indic.* (2) §. *I. ex Dial. adv. Lucifer.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXIII.

Carpophoro Episcopo Carthaginiensi

I. Annum incoharunt Consules M. Nummius Albinus iterum, Maximus Dexter. quum et hoc anno tyranni plures orbem Romanum inter se partirentur, nemo in Africam adspiravit. tantam vero tranquillitatem Ecclesiae plurimum profuisse, credibile est, multis etiamtum superstitibus Episcopis e Cypriani schola, qui religionis retinendae caussa carceris aerumnas aut dura exsilia toleraverant. quis enim eos parta jam pace desides et in populorum institutione negligentes fuisse putet, qui antea Christianam professionem commodis omnibus et ipsi libertati anteposuerant?

ANNUS CHRISTIANUS CCLXIIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Functi hoc anno sunt Consulatu Imp. P. Licinius Gallienus VI. Amulius Saturninus. ab hoc jam anno Lucianum, quem superius commemoravimus, Ecclesiae Carthaginiensi praefuisse, satis indicat nobis Eusebius, qui Dionysii Alexandrini epistolam recenset ad Dionysium Pontificem maximum de Luciano scriptam (1). nimirum annus hic ultimus vitae fuit Dionysii Alexandrini; quem circa kalendas Septembres obiisse constat. nihil autem Eusebius de epistolae argumento subjecit: sed a vero non aberraverit, qui Lucianum Dionysio scripsisse duxerit de consecratione sua, ac simul nunciasse, omnium denique Episcoporum consensu finem veteri controversiae de Baptismo impositum esse; ac inde oblatam materiam Dionysio Alexandrino, ut litteras ad Pontificem maximum de Luciano mitteret.

(1) *H. E. lib. VII. c. 9.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXV.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules kalendis Ianuariis processerunt P. Licinius Valerianus Caesar iterum, L. Caesonius Lucillus Macer Rufinianus. quae hactenus fidem praestiterat Africa, hoc anno defecit, et tyrannum ipsa quoque suum habere voluit, quo tamen haud diu laetata est. Celsus hic fuit, qui inter triginta tyrannos vicesimus octavus numeratur (1). tribunatum is militum gesserat, sed jam privatus in agris suis vivebat; nisi quod eum et justitiae laus et ipsa viri species atque oris dignitas quaedam Imperatoria plurimum commendarat. Africam tum Proconsul administrabat Vibius Passienus, et Fabius Pomponianus Dux erat Limitis Libyci. hi quum inter se convenissent, et esset Carthagine Galliena Aug. consobrina, hujus quoque studio facile effecerunt, ut Celsus Imperator salutaretur: iidemque, quia purpura praesto non erat, peplo Deae Caelestis ornavere. ceterum Celsus septimo Imperii die interemptus est, ut inter Romanos Principes vix locum invenerit. et ignominia etiam accessit, quae contemptum adderet. nam corpus ejus a Siccensibus, qui fidem Gallieno servaverant, canibus projectum est: et novo injuriae genere imago in crucem sublata.

II. In eo autem tumultu quam inierit viam Lucianus Episcopus, quamque agendi rationem Christianis regulamque praescripserit, minime quidem a majoribus accepimus: sed dubitandum non est, modestiae eum et quietis auctorem fuisse; nec, qualiscumque demum Gallienus esset, ante in Celsi partes concedendum existimasse, quam ei Senatus Imperium detulisset. norat Lucianus, quae Petrus docuerat (2), Dominis parendum esse *non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis:* et quae Paullus ad Timotheum scripserat (3), preces Deo fundendas *Pro Regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus.*

(1) Trebell. *in 30. Tyr. c. 29.*
(2) *ep. I. c. 2. v. 18.*
(3) *I. ad Timoth. c. 2. n. 2.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXVI.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum iniere Imp. P. Licinius Gallienus VII. et Sabinillus. successorem hoc anno in Africam missum Vibio Passieno Proconsuli, qui anno superiore seditionis auctor fuerat, non est ambigendum. sed cui ea tum provincia decreta fuerit, ignoramus. tentatam per haec tempora Africam a Francis, qui direpta Gallia in Hispaniam irruperant, historia iudicat (1): re tamen infecta, alio adnavigasse videntur, nec quidquam Afris nocuisse.

(1) Vict. *in Gallieno.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXVII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuernnt Oviuins Paternus, et Arcesilaus: eodemque anno plures in Galliis tyranni exstitere; et Gallienus Aureolum post ingentem cladem Mediolani obsedit. ceterum Africae mira secnritas erat, et quae Episcopis ad Christiani nomiuis propagationem prodesse plurimum posset. accepisse autem eos id temporis epistolam Dionysii Pontificis maximi, qua Sabellianos refutaverat, veri arbitror quam simillimum. apparet enim ex Athanasio, qui insignem ex ea locum recitat (1), exemplum ejus ad Episcopos plerosque missum fuisse. tum etiam non parum intererat et in Africam mitti, quum in ea Marcionitae quoque refellerentur, quorum jamdiu secta provinciam illam pervaserat.

(1) *in epist. de Decr. Syn. Nic.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXVIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum suscepere Ovinius Paternus iterum et Marinianus, quem alii Marcianum appellant. his Consulibus apud Mediolanum primores exercitus in Gallienum conjuraverunt, eoque interfecto Claudium Augustum salutavere, qui postea Gothicus cognominatus est. porro sublatum e vivis Gallienum, acerbe tulisse Christiani omnes putandi sunt; quum eo Principe nullam Ecclesiae molestiam illatam constet. nec vero Claudium fautorem sperare poterant, quem jam ethnici magnis laudibus ornabant, comparabantque Principibus iis, qui maxime Christianis infensi fuerant. nec sane Martyres Romae sub Claudio defuere. sed breve Imperii tempus impedimento fuisse videtur, ne malum serperet latius, et in provincias quoque propagaretur. in Africa certe turbatum non legimus: et Claudium ipsum incursiones barbarorum ac tyrannorum motus alio avocarunt.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXVIIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus Imp. M. Aurelium Claudium, Ovinium Paternum: idemque ob victoriam Gothicam maxime memorabilis fuit. sub anni finem, id est VII. kal. Ianuarias Romae decessisse Dionysium, quum jam undecimum Pontificatus sui annum ageret, extra controversiam est. illud minus exploratum, an Martyr obierit. sed tamen in veteri libro

Pontificali invocatum eum his verbis legimus (1), *sancte Dionysi Apostolice et Martyr Christi:* tum alios quoque lauream sub Claudio tulisse, Martyrologia testantur. porro in Dionysii locum suffectus est Felix, a quo et de Dionysii morte, et de consecratione sua litteras missas esse ad Lucianum Episcopum Carthaginiensem, nemo jure ambigat: id enim antiqua consuetudine praescriptum erat.

(1) apud Morin. *de Poenit. P. II. p.* 65.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXX.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Flavius Antiochianus, Furius Orfitus. Claudium hoc anno circa Aprilem mensem vi pestis absumptum constat, quum Imperii annum tertium incohasset, et Gothos saepe domitos finibus Romanis ejecisset. decessit Sirmii in Pannonia, ibidemque Augustus loco ejus dictus est L. Domitius Aurelianus. eodem anno magnus Antonius in Aegypti deserta secessisse creditur: quem Afri nostri serius, quam reliquae gentes, imitari coeperunt. perdiu enim monachorum nomen in Africa novum et species invisa fuit. itaque adversarius eorum Salvianus ajebat (1) de Afris, monachos iis, si forte ad eos navigassent, ludibrio fuisse. *Intra Africae civitates*, inquit, *et maxime intra Carthaginis muros palliatum et pallidum, et recisis comarum fluentium jubis, ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus, quam infidelis sine convicio atque execratione vix poterat. et si quando aliquis Dei servus aut de Aegyptiorum coenobiis aut de sacris Hierosolymorum locis aut de sanctis eremi venerandisque secretis ad urbem illam officio divini operis accessit, simul ut in populo apparuit, contumelias, sacrilegia et maledictiones excepit.*

II. Perlatas intra annum ad Episcopos Africanos litteras synodi Antiochenae de damnatione Paulli Samosateni, quum mense Aprili absoluta fuerit, facile crediderim. eae missae dicuntur *Dionysio*, quem decessisse nondum rescierant, *Maximo* Episcopo Alexandrino, et *omnibus per universum orbem cooperatoribus nostris Episcopis, Presbyteris et Diaconis, et universae Ecclesiae Catholicae, quae sub coelo est* (2).

(1) *lib. VIII. de Prov. n.* 43. (2) Euseb. *H. E. lib. VII. c.* 30.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXI.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Imp. L. Domitius Aurelianus iterum, M. Cejonius Virius Bassus, quem alii Pomponium Bassum appellant. Vandali hoc anno, quorum postea sub jugo diu Africa fuit, ab Aureliano victi, et

pacem petere coacti (1): qua impetrata, in sedes suas, obsidibus datis, redierunt, ultra Danubium habitare jussi. circa haec tempora veri simile est decessisse Pontium Diaconum, qui nobis, ut ait Hieronymos (2), *egregium volumen vitae et passionis Cypriani reliquit.* fuerat hic Cypriani prope contubernalis, comes in exsilio, martyrii testis, virtutis imitator: quocum et mori paratos erat, si Deus adnuisset. ejus memoriam jamdiu Romam Ecclesia quotannis celebrat, ut Adonis et ceterorum Martyrologia testantur (3).

(1) Dexipp. *in Excerpt. de Legat. T. I. H. Byz. p. 12.*
(2) *de vir. illustr. c. 68.*
(3) *vul. idus Martias.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules cientur in Fastis Quietos et Voldumianus. bellom hoc anno suscepit Aurelianus adversus Zenobiam: quumque Antiochiam cepisset, Paullum Samosatenom Episcoporom sententia damnatum ex aedibus pontificalibus abire jussit. Afri interea tam procul ab armis pacem agitabant: Ecclesia in primis, quam neque domestico dissidio turbatam, neque haereticorom fraudibos insidiisque appetitam comperimos. sed Luciani ceterorumque Episcoporom praeclara facta, Concilia item, quae sub Luciano coacta esse, credibile est, omnino latent: sive quod ea nemo litteris mandaverit, sive quod scripta eorum temporum vetustatem non tulerint.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hujus anni fuere M. Claudios Tacitus, M. Moecius Furius Placidianus. captam hoc anno Zenobiam, et Palmyram subactam historia Augusta testatur. pacato demum Oriente, Aegypto recepta, Gallia domita, Romam Aurelianus ad triumphum redibat. sed qui antea Christianis satis aequos visus fuerat, alio jam animo veniebat: quorondam nempe consiliis, uti ab Eusebio adnotatum est (1), paullatim impulsus, ut Christianum nomen persequeretur. itaque prima mutatae voluntatis significatio provincias omnes terrore complevit: nec defuere magistratus, qui edictis nondum propositis manus tamen Christianis injicerent, et ex iis non paucos de medio tollerent. Martyres sane in Oriente, in Galliis, Romae et per Italiam plures fuisse ab hoc anno scimus: ceterum quae in Africa contigerint, nemo tradit, et eo fortasse impendentis calamitatis fama serius perveoit.

(1) *H. E. l. vii. c. 30.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXIIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum hoc anno gesserunt Imp. L. Domitius Aurelianus iiI. C. Iulius Capitolinus. his Consulibus Naissi in Thracia natus creditur Constantinus magnus iiI. kal. Martias (1). inter Martyres vero, quos hoc anno furor ethnicorum submisit in caelum, fuit et Felix Pontifex maximus, qui lauream meritus putatur xI. kal. Ianuarias. de his nuncios ad Ecclesiam Africanam perlatos, dubitare non licet. fortasse etiam Martyres et ipsa suos jam numerabat: quorum nobis vetustas vel nomina invidit vel patriam.

iI. Insignem hunc annum fecit Aureliani triumphus omnium nobilissimus, cui Africa de more elephantos et feras mansuetas suppeditarat (2). inter captivos, qui in ea pompa processerunt, Vandali quoque numerantur, qua e gente prodiisse diximus, qui postea Africam oppresserunt, et annos centum crudeli dominatione vexarunt. haec quidem homines futurorum nescii quasi mansura spectant, et quae adrident, aeterna sibi fingunt: at omnium temporum cognitor et inspector Deus ea peccatis aptat mortalium, meritaque nationum ac vitia intuitus, in singulas aetates, quae uni praesentes obversantur, praemia idem et poenas aequa lance partitur.

(1) v. Noris. *App. ad Hist Donat. Lect.* 7. (2) Vopisc. *in Aurel. c.* 33.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXV.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt Imp. L. Domitius Aurelianus iiiI. T. Avonius Marcellinus: sed Aurelianus quidem absens; nam in Thracia versabatur. illic quum jam legem adversus Christianos promulgaturus esset, *fulmen*, inquit in Chronico suo Hieronymus, *juxta eum comitesque ejus ruit.* perstitit tamen urgere propositum, iramque Dei impia crudelitate lacessere. *Verum illi*, ut de eo scribit Lactantius (1), *ne perficere quidem, quae cogitaverat, licuit, sed protinus inter initia sui furoris exstinctus est. nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, et jam Caenophrurio, qui locus est Thraciae, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus.* quo ostensum est, ajebat Eusebius (2), nihil unquam iis, qui in orbe terrarum dominantur, adversus Christi Ecclesias licere, nisi propugnatrix Dei dextera arcano quodam ac caelesti judicio ad castigationem et emendationem nostram, quibus ipsi visum est, temporibus id fieri permiserit.

iI. Interea Romae, de Felicis successore designando actum est, itaque Eutychianus pontificatum cepit, qui statim, ut mos erat, cum ad alios

(1) *de mort. persec. c.* 6. (2) *H. E. lib. vII. c.* 30.

Archiepiscopos, tum ad Lucianum nostrum litteras misisse putandus est, quibus et de Felicis martyrio et de honore suo faceret certiores. at in Aureliani locum serius qui sufficeretur, inventus. nam officiis diu certatum est inter exercitum, qui in Thracia erat, et Senatum, quum hic Imperatorem a militibus, ille Principem a Senatu postularet. ac Senatus demum VII. kal. Octobres M. Claudium Tacitum designavit: qua in re veterem auctoritatem recuperasse sibi visus est, et litteris etiam ad Curiam Carthaginiensem missis testatum voluit, quae fuere hujusmodi (5): *Senatus amplissimus Curiae Carthaginiensi S. D. Quod bonum, faustum, felix salutareque sit Reipublicae orbique Romano, dandi jus Imperii, appellandi Principis, nuncupandi Augusti ad nos revertit. ad nos igitur referte quae magna sunt. omnis provocatio Praefecti urbis erit, quae tamen a Proconsulibus et ab ordinariis judicibus emerserit; in quo quidem etiam vestram in antiquum statum redisse credimus dignitatem, siquidem primus hic ordo est, qui recipiendo vim suam, jus suum ceteri servat.*

(5) Vopisc. *in Floriano c.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXVI.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES processere Imp. M. Claudius Tacitus iterum, Fulvius Aemilianus. plurimum de Taciti principatu laetatos esse Afros, arcus indicat, quem honori ejus dicaverunt, *Fortissimum Imperatorem et Pacatorem Orbis* eum appellantes (1). verum hoc eodem anno Tacitus et Imperium et vitam amisit, quum e Ponto in Europam rediret. exinde exercitus ejus Florianum fratrem Augustum salutavit, qui duos tresve menses eo honore usus est: in Oriente vero quotquot illic exercitus erant, magno consensu Imperium M. Aurelio Probo detulerunt, qui eo sex amplius annos potitus est, Senatus auctoritate et omnium studiis confirmato. carus porro hic quoque Afris erat, quippe qui aliquando in Africa contra Marmaridas (2) fortissime bellum gesserat, Aradionem hostem singulari certamine vicerat, Carthaginem quoque adierat, eandemque seditionibus turbatam pacaverat. Ecclesiae faustum hunc annum fuisse, et metu ethnicae crudelitatis depulso, recreatos Christianorum animos, ad usitata religionis et pietatis officia reversos esse, ipsa, quae consequuta est, rerum tranquillitas et securitas temporum persuadet.

(1) Maff. *M. V. p.* 459. *n.* 3. (2) Vopisc. *in Probo c.* 9.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXVI.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi hoc anno sunt Imp. M. Aurelius Probus, Anitius Paullinus. statuam ab Afris id temporis Probo Aug. dicatam, vetus inscriptio declarat (1): dum ille in Galliis barbaros debellabat, et Germaniam receptam in pristinum statum restituebat. sunt autem litterata, quae novimus, Afrorum monumenta Latina omnia, et priscis, quae manent, Italicis quam simillima. nec mirum: iisdem enim moribus vivebant, et eadem lingua utebantur. diu quidem Punicus apud eos sermo duravit, sed in agris tantum ac villis: ut rusticorum instituendorum caussa quaerendi essent, qui Punice scirent: neque enim passim inveniebantur. itaque Augustinus, quum Episcopum oppido Fussalae praefici vellet, se requisisse ait (2), *qui et Punica lingua esset instructus.* sermonem autem ad populum habens, quum proverbium Punicum usurpare vellet, *Latine*, inquit (3), *vobis dicam, quia Punice non omnes nostis.* Macrobium etiam Episcopum Donatistarum Hipponensium, quum Circumcelliones, qui eum deduxerant, adloqui vellet, per interpretem eos affatum scribit (4).

(1) Maff. *M. V. p.* 459. *n.* 4.
(2) *epist.* 209. *n.* 3.
(3) *serm.* 167. *n.* 4.
(4) *epist.* 108. *n.* 14.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXVIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Imp. M. Aurelius Probus iterum, M. Furius Lupus, is qui tum praefectura urbana fungebatur. nullae hujus anni res memorabiles: nisi quod Augustus peragrato Illyrico et Rhaetia lustrata, in Thraciam concessit, pacatis ubique gentibus, quas cum exercitu adiisset. nec vero Africa quidquam suppeditat, in quo paullisper immorari liceat. quin etiam Episcopi ipsi Ecclesiae Africanae, quotquot, praeter Carthaginienses, novimus, aut Cypriani Martyris aequales fuerunt, aut ad Diocletiani aevum et posteriorum Imperatorum tempora omnes pertinent: ut ne nomina quidem ciere eorum possimus, quos sub Luciani pontificatu plurimos vixisse, et Conciliorum etiam caussa Carthaginem convocatos esse, nemo jure inficietur.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXVIIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus Imp. M. Aurelium Probum III. et Ovinium Paternum. sed Probus in Oriente versabatur, ubi Isauros coercuit,

Blemmyas domuit, Persas pacem petere coëgit. inde in Thraciam reversus, quum Bastarnis novas sedes concessisset, Romam ad triumphum venit. Manichaeorum secta, quae deinde Africam quoque contaminavit, per Orientem longe jam lateque diffundebatur. quo tempore Episcoporum Africanorum, qui soli etiamtum (1) conciones ad stantem (2) populum habere solebant, ea maxime cura fuisse putanda est, simul atque serpere haeresim tantam disseminarique inaudivissent, ut eam Ecclesiae quisque suae patefaceret, et orando identidem refutaret. eminet sane id studii in veterum scriptis, quae vetustatem tulere: ut singulis haereseos auctoribus multos divinitus adversarios oppositos videamus. Manichaeos autem Episcopi passim insectati, populum postea hortandum quandoque arbitrati sunt, vel ut Presbyteris latebras eorum proderent (3), nec usquam eos impune latitare paterentur, quos et Principum leges usquam esse vetabant.

(1) Possid. *in vit. Aug. c.* 5.
(2) Aug. *hom.* 26. *etc.* Optatus *etc.*
(3) Leo M. *Serm.* 4. *de Collect. et* 5. *de jejun. dec. mens.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXX.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum ceperunt Gratus et Iunius Messala. ingrati hoc anno nuncii Romam ad Probum venere, Sex. Iulium Saturninum in Oriente conjurasse, et a militibus Augustum esse appellatum. is origine Maurus fuisse dicitur, qui sub Aureliano militari gloria inclaruerat, et in Africa ipsa contra Mauros suos strenue rem gesserat. sed brevi et Saturninus sublatus et tota ejus factio deleta est. sic et alii in Galliis tyranni intra paucos menses Probi armis domiti interiere.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXI.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodiere Imp. M. Aurelius Probus IIII. C. Iunius Tiberianus. nullum his consulibus bellum exarsit: quique in armis erant milites, Probi jussu, operam suam vitibus serendis, colendisque agris navarunt: pars etiam fossas ducere, et paludes prope Sirmium exsiccare coacta. haec vero indicio sunt, Afros nec prosperis nec adversis Saturnini conterranei sui rebus esse commotos. multo magis Ecclesiam illic pacatam tranquillamque fuisse existimandum est, quae semper a seditionibus aliena, pacem concordiamque Deo auctore fovere debebat. terrorem tamen aliquem incussum Christianis crediderim, quod Martyres aliquot in Oriente mactatos audissent: Trophimum scilicet, Sabbatium et Dorymedontem, qui Antiochiae in Syria martyrium sub Probo consummasse feruntur XIII. kal. Octobres, quo die antiquis in fastis celebrantur.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt Imp. M. Aurelius Probus v. et Pomponius Victorinus. fuit autem hic annus Probi vitae postremus: nam severitatem ejus instantiamque perosi milites, quum bellum in Persas foedifragos moliretur, eum apud Sirmium interfecerunt. Probo successit, qui tum Praefectus Praetorio erat, M. Aurelius Carus, cujus filii Carinus et Numerianus Caesares appellati sunt, Principes brevis aevi futuri: qui documento mortalibus essent, interitum sibi homines ambitione parare: nec tutum esse, nisi quod virtute partum modestia tueatur.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Imp. M. Aurelius Carus iterum, M. Aurelius Carinus Caesar, sed uterque procul ab urbe. nam Carus quidem bellum contra Sarmatas gessit, ac deinde adversus Persas in Orientem profectus est. Carinus vero in Gallias missus a patre, eam provinciam a barbaris defendit: tum Illyricum, Italiam, Africam administrare jussus e Galliis, quamdiu pater abesset. ceterum Carus Mesopotamia recepta, quum et urbes aliquot Persarum subegisset, et alias subacturus videretur, coorta forte tempestate, ictu fulminis periit: ejusque loco Carinus et Numerianus Imperium obtinuere anno jam vertente, quod brevi amissuri erant. florebat id temporis poëseos laude civis Carthaginiensis M. Aurelius Olympius Nemesianus, cujus adhuc exstant Cynegetica ad Carinum et Numerianum Augg.

II. Mortuus hoc anno Romae Eutychianus Pontifex maximus VI. idus Decembres, quem Martyrum conditorem eundemque Martyrem facit Martyrologium Romanum sub Numeriano Aug. qui tamen Romam post patris mortem non vidit, et res Orientis praesens curavit, quum Occidentem Carinus moderaretur. ante anni exitum pontificatus Cajo delatus est.

III. Hoc eodem anno martyrio defunctum Romae Maurum fateri oportet, siquidem x. kal. Decembres sub Numeriano Aug. obiisse dicamus, quemadmodum in Martyrologio Romano scriptum est. neque enim Numerianus mensem Octobrem anni insequentis attigit. erat autem Maurus ex Africa, unde Romam navigaverat, ut Apostolorum sepulcra inviseret. sed ut in urbem pervenit, ad Celerinum Praefectum delatus, quum se Christianum invicto animo confessus esset, lauream, quam non quaerebat, invenit, magnosque Apostolos, quorum cineres veneratum Romam venerat, propior in coelis beatos et immortales invisit.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXIIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus a kalendis Ianuariis Imp. M. Aurelium Carinum iterum, M. Aurelium Numerianum fratres Augustos. sed Numerianum, quum in Europam rediret, Arrius Aper Praefectus Praetorio, cujus ille filiam uxorem duxerat, nefaria proditione interemit. ab ejus morte Diocletianus xv. kal. Oct. Augustus Chalcedone dictus est, qui Aprum manu sua occidit: atque inde v. kal. easdem Nicomediam Principalibus ornamentis indutus in triumphi morem ingressus est. ceterum fame et lue funestus annus fuit, quae mortalium multorum vitas demessuerunt: idemque praenuncius earum calamitatum visus est, quae Ecclesiam universam ob ejus, qui Imperium suscepit, immanitatem postea afflixere.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXV.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules enunciantur in Fastis Imp. C. Valerius Diocletianus iterum et Aristobulus. sed initio anni Consulatum acceperat tertium Carinus Aug. cujus nomen, postquam eum Diocletianus devicit, e Fastis sublatum est, ejusque loco victoris Augusti Consulatus cieri coepit. obviam profectus fuerat Carinus Diocletiano cum exercitu adventanti in Moesiam usque, in eaque non semel cum gravi illo competitore pugnaverat: at demum a suis, de quibus male meritus erat, prope Murgum per insidias occisus est.

II. E Moesia Diocletianus, jam victor, atque unus in orbe Romano Augustus, Romam contendit, ut et Senatus honores acciperet, et rempublicam designatis magistratibus ordinaret. quo tempore Sebastianum, quem amabat, nec Christianorum e numero esse norat, tribunum cohortis primae Praetorianorum fecit: et in Genesio mimo sanguinem Christianum primitus delibavit: quorum Martyrum praetereunda mentio non erat, quum eorum memoriam Ecclesia quoque Carthaginiensis quotannis celebraverit (1)

(1) *in Kalend. VIII. kal. Sept. et XIII. kal. Febr.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXVI.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt M. Iunius Maximus iterum, Vettius Aquilinus. his Consulibus Diocletianus, quum Nicomediam rediisset, M. Aurelium Valerium Maximianum, qui et Herculius dictus est, collegam kalendis Aprilibus adscivit, et Augustum appellavit. quinam animus Augustorum esset

erga Christianos, Ecclesia Romana in primis hoc anno sensit, quae plures jam Martyres caelo transmisit. ad hunc enim annum pertinent Zoe, Tranquillinus, Nicostratus, Claudius, Castor, Victorinus, Symphorianus, Tiburtius, Castulus, Marcus, Marcellianus, Sebastianus, quos ipsi Imperatores in urbem reversi vario poenarum genere excruciatos necari jusserunt.

II. His Carthagine cognitis, quis non putet, Lucianum Episcopum Cypriani decessoris exempla, quae viderat, sequutum ad collegas Episcopos scripsisse, ut et de periculo certiores faceret, et ad majorum virtutem imitandam excitaret? tum et Cypriani libros prolatos descriptosque crediderim, quorum lectione populus suppliciorum terrorem contemnere disceret, et martyrii desiderio inflammaretur. ceterum sive quod edicta ab Augustis nulla etiamtum proposita fuerant, sive quod mites tum et Christianorum fautores Magistratus Africa haberet, securitatem tempora aliquam Ecclesiae praestiterunt, ut externorum Martyrum exemplis domi athletas instrueret, et multos indicto certamine ad pugnam jam paratos haberet.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXVII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM absentes inierunt Imp. C. Valerius Diocletianus tertium et Imp. M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius. hic nempe jam in Galliis versabatur, ille contra Persas in Orientem profectus erat. quamquam autem utrumque bella exercebant, pax tamen Christianis non fuit: multi in Galliis Confessores, aliquot etiam Romae martyrio defuncti. nam praesides plerique, quibus explorata Augustorum voluntas erat, veterum legum, quae in Christianos latae fuerant, auctoritatem praetexebant, et quo erant in eos odio, crudelitatem suam suppliciis innocentium saturabant. quae enim semel instituta fuerint, reducere, et reducta exercere, multis nec periculo nec pudori esse solet.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXVIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere Imp. M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius iterum, et Pomponius Ianuarius: sed hic quidem Romae, ille in Galliis Consularia ornamenta sumpsit, ubi adversus Francos bellum gerebat. eodem anno Diocletianus per Rhaetiam in Germaniam cum exercitu penetravit. atque hic quidem jam Christianis placatus, iram magistratuum aliquatenus cohibuisse videtur. neque enim hoc passim aut proximis annis Martyres auxerunt. porro animum Diocletiani mitigasse ac prope devinxisse Cubicularii ejus putantur, qui fere omnes Christiani erant, et summa ei

fide atque integritate rem domesticam curabant: quos inter eminebat Lucianus ceterorum non dignitate solum, sed etiam virtute magister ac princeps, cui postea Dorotheus successit pari pietate ac religione insignis, idemque Martyr, postquam Diocletianus mutato consilio rursum in Christianos saevire coepit.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXVIIII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES processerunt Annius Bassus iterum, L. Ragonius Quinctianus. hoc anno Herculius expeditionem in Britanniam adversus Carausium suscepit: quem, quia viribus potentiorem, quam putarat, invenit, amicum habere statuit, et foedere icto Augustum dici passus est. eodem tempore Diocletianus Sarmatas vicisse creditur, unde Sarmaticus cognomine dici coepit. at in Africa omnia pacata, si Tingitaniam exceperis: nam illic, sed tamen ultra fines Romanos, civile bellum inter Mauros fuit (1).

(1) Mamert. *Paneg. II. c.* 16.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXX.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATU functi hoc anno sunt Imp. C. Valerius Diocletianus IIII. Imp. M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius III. atque hic e Galliis: ille e Pannonia, quum hyems etiamtum esset, Mediolanum convenerunt, nec multo post ad provincias, unde digressi erant, rediere. Augustis autem absentibus, non ubique per Italiam otium Christianis fuit, et populi furentis impetu Sisinnius et socii prope Auximum lapidibus obruti, alii etiam in Sabinis et prope urbem necati. haec quasi praelusio erat feralis belli, quod Ecclesiae impendebat. odia enim ethnicorum in Christianos impunitas perdiu fovit, nihil ut privatus quisque non auderet: subinde Magistratus ipsi municipales auxere, publica rursum auctoritate abusi, ut furori suo obsecundarent. Edicta demum ac leges Principum, signo veluti aliquo sublato, furentes jamdiu populos ad proelium et carnificinam impulerunt.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXI.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM susceperunt C. Iunius Tiberianus, Cassius Dio. his Consulibus Diocletianus Gothos debellabat, Herculius, agris adsignatis,

Francos finibus Romanis recipiebat. interea Africam Quinquegentiani vexare coeperant, qui Cyrenaicae populi fuisse putantur: ac simul eo adspirabat Iulianus tyrannus (1), qui in Italia rebellaverat; quamquam nihil huic e sententia successisse, obscura de eo fama confirmat.

(1) Vict. *in Maxim.* Eutrop. *lib.* VIII. *extr.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXII.

Luciano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES Afranius Hannibalianus, M. Aurelius Asclepiodotus hunc annum signant, quem novi Caesares celebrem reddidere. nam quum undique Imperio barbarae nationes minitarentur, et nunciatum etiam esset, L. Epidium Achilleum Aegypto potitum esse, visum Augustis e republica fore, si filios sibi adlegerent, quibus provinciae tuto committi possent. itaque Diocletianus kalendis Martiis, quum Nicomediae esset, Maximianum Galerium adoptavit, filiaque ei in matrimonium data, generum sibi fecit, ac demum Caesarem et Imperatorem dixit: Herculius vero Constantium Chlorum adscivit, uxoris suae filiam ducere jussit, pariterque et Caesarem et Imperatorem appellavit. exinde quasi partitio quaedam Imperii fuit, quae urbi et Senatui ingrata, atque orbi Romano funesta visa est. cuncta, quae trans Alpes Galliae sunt, Constantio commissa, Africa Italiaque Herculio, Illyrici ora ad Ponti fretum Galerio, cetera Diocletianus sibi retinuit (1).

II. De his Afri edocti recens fuerant, quum Respublica Municipii Agbiensium, quae ad provinciam Proconsularem pertinebat, opus publicum dedicatura esset: quare in eo monumento Caesarum quoque nomina addita sunt, quemadmodum inscriptio (2), quae exstat, ostendit. ex eadem autem et Proconsulis nomen discimus: opus enim dedicatum dicitur *M. Iulio Procos.* de quo nihil occurrit apud historicos, qui horum temporum res attigerunt.

III. Hactenus pontificatum Carthaginiensem Luciano adscripsimus, idest annos XXVIII. quorum fortasse partem aliquam alter implevit, cujus nomen a majoribus non accepimus. ei jam sufficiendus Mensurius est, quem usque ad annum CCCXI. vixisse constat.

(1) Vict. *in Maxim.*

(2) Maff. *M. V. p.* 459. *n.* 6.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXIII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM Augusti ceperunt Imp. C. Valerius Diocletianus V. Imp. M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius IIII. Quinquegentianos

hoc anno a legatis Herculii in Africa repressos, veri simile est, atque inde Imperatorem VIII. eundem esse appellatum (1). eodem anno Carausius in Britannia interfectus est ab Allecto, qui Imperium illic sibi vindicavit. Constantius a Germanis devictis sibi cognomen peperit.

(1) Eutr. *lib. VIII. extr.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXIIII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Fl. Valerius Constantius Chlorus Caesar, Q. Galerius Maximianus Caesar. his Consulibus provincia Africa decreta Cassio Dioni, qui consulatum gesserat triennio ante.

II. Commemorandus hoc anno est Arnobius, qui teste Hieronymo (1), Siccae in Africa Proconsulari sub Diocletiano Principe florentissime Rhetoricam docebat. sed id temporis adhuc ethnicus, quum *ad credulitatem*, inquit Hieronymus (2), *somniis compelleretur, neque ab Episcopis impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros, et tandem velut quibusdam obsidibus pietatis foedus impetravit.* septem ii sunt, et primo, secundo, sexto et septimo Christianam doctrinam, quantum praestare catechumenus poterat, defendi explicarique, ceteris vero ethnicorum superstitionem vanorumque numinum commenta egregie rejici ac refutari reperias.

III. Enimvero ita in Ecclesiam tum receptum Arnobium credere licet, quemadmodum et reliqui, tirocinio scilicet posito, admittebantur. namque apud Afros poenitentium more inclusi Cathecumeni dies multos instituti solebant, atque inde tandem coram Ecclesia noctu prodibant, ut doctrinae suae specimen darent, et sacris caeremoniis expiati animum ad mysteria divina paratum exhiberent. certe seqniori etiam aevo ea consuetudo obtinuit, apparetque in veteri concione de Symbolo ad Catechumenos, quam olim Augustini esse omnes putabant, nunc quidam negant (3): *Quid est*, inquit Afer ille orator, quicumque fuit (4), *quid est, dilectissimi, quod in vobis celebratum est? quid est, quod hac nocte circa vos actum est, quod praeteritis noctibus actum non est? ut ex locis secretis singuli produceremini in conspectu totius Ecclesiae, ibique cervice humiliata, quae male fuerat antea exaltata, in humilitate pedum cilicio substrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis exstirparetur Diabolus superbus, dum super vos invocatus est humilis altissimus Christus.*

(1) *de vir. illustr. c.* 79.
(2) *in Chron. ad an.* 325.
(3) Maur. *Admon. in ser. de Symb.*
(4) *serm.* 2. c. 1. v. Morin. *de Poen. lib.* 1. c. 1 .

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXV.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES processerunt Nummius Tuscus, Annius Cornelius Annulinus. his autem Consulibus nova Augustorum et Caesarum lex ad legem Iuliam de adulteriis missa est *Concordio Proconsuli Numidiae;* sic enim legitur (1), quum *Praesidi Numidiae* edendum esset: nondum enim Consulares in Africa constituti fuerant, multoque minus Numidia Proconsulem habere poterat, qui in tota Africa unus fuit, et provinciam, in qua Carthago erat, ab eo Proconsularem appellatam administravit. proposita lex dicitur kal. Iuniis: nec multo ante id tempus Concordium in provinciam venisse admittendum est, quum mense Martio Dionem Proconsulem in Numidia cum potestate versatum constet, quod ille ausus non esset, si tum Praesidem suum Numidia habuisset.

II. Hoc nimirum anno IIII. idus Martias Thebeste Maximilianus adolescens, Proconsulis sententia damnatus, martyrium fecit. nulla tum edicta adversus Christianos promulgata fuerant, sed militum forte delectus habebatur, et ii maxime ex Africana juventute legebantur, qui procera statura essent. ex iis Maximilianus, probus adolescens Deique metuens, militiam sibi periculosam fore atque lubricam ratus, vel etiam nova fortasse sacramenti formula deterritus, secum ipse decreverat non militare, et mortem quoque obeundam sibi existimabat, ne ad militiam adigeretur. ergo, ubi in forum una cum Fabio Victore patre adductus est, et ante Proconsulem stetit, ne nomen quidem suum rogatus edidit, *Quid autem*, inquiens, *vis scire nomen meum? mihi non licet militare, quia Christianus sum.* quum Dio Proconsul eum tamen *incomari*, ut ajebant, id est mensurae aptari juberet, ut statura ejus nosceretur, ille rursus addidit, *Non possum militare, non possum male facere: Christianus sum.* jam vero statura ejus cognita, quae pedum quinque et unciarum decem inventa fuerat, Dio juvenem signari imperavit, punctis, ut mos erat (2), dexterae impressis, et tessera collo circumdata: quae Maximilianus respuere pergebat, *Non milito*, inquiens: *caput mihi praecide, non milito saeculo, sed milito Deo meo.* pater vero ejus quum hortari filium juberetur, ne militiam detrectaret, *Ipse scit*, inquit, *habet consilium suum, quid illi expediat.* mortem Proconsul minitari coepit, nec profecit tamen: et quum alios Christianos in Imperatorum exercitibus militare dixisset, ille contra, *Ipsi sciunt*, ait, *quod ipsis expediat: ego tamen Christianus sum, et non possum mala facere.* tum Dioni roganti, quae mala facerent qui militabant, respondit, *Tu enim scis quae faciunt:* et mortem rursum minanti, *Ego*, inquit, *non pereo: et si de saeculo exiero, vivit anima mea cum Christo Domino meo.* quare jam Proconsul caussam his verbis praefatus, *Quia indevoto animo militiam recusasti, congruentem accipies senten-*

(1) *Cod. Just. lib.* IX. *T.* 9. *L.* 28. (2) v. Veget. *de re mil. lib. I. c.* 8.

tiam ad ceterorum exemplum, sic deniqne decretum ex tabella recitavit: *Maximilianum, eo quod indevoto animo sacramentum militiae recusaverit, gladio animadverti placuit.* ille vero ceteros Martyres imitatus respondit *Deo gratias.* agebat autem, ut in Actis adnotatum est (3), aetatis annum XXI. mensem III. diem XVIII. quumque ad snpplicii locum duceretur, ad Christianos conversns, *Fratres dilectissimi*, dixit, *quantacumque potestis virtute, avida cupiditate properate, ut Dominum vobis videre contingat, et talem etiam vobis coronam tribuat.* mox hilari vultu patrem intuitus, *Da*, inquit, *huic spiculatori vestem meam novam, quam mihi ad militiam praeparaveras. sic cum centenario numero te suscipiam, et simul cum Domino gloriemur.* nec plura loquutus, collum gladio supposuit. at honor corpori habitus non vulgaris: nam illud Pompejana matrona redemptum Carthaginem transtulit, et prope Cyprianum Martyrem condidit: quo loco ipsa etiam non mnlto post defuncta humari voluit. pater vero Martyris domnm laetus rediisse dicitnr, quod tale munus Domino praemisisset, *ipse postmodum sequuturus.*

III. Haec omnia germanis ex Actis: nec Maximilianum immerito Martyrem appellavit antiquitas (4): nam si judicio Augustini (5) Ioannes quoque, quod pro lege veritatis, pro aeqnitate, pro justitia occisus sit, *ideo sanctus, ideo Martyr;* cur e numero Martyrum eximeretur Maximilianus, qui mortem militiae antetulit, ne crimine obligaretur, quod in militia tum erat, vel inesse ei videbatur? eadem porro caussa impulit Tarachum insignem Martyrem (6), ut a militia recederet: *Propterea*, inquit, *quod Christianus sum, renuntiavi militiae.* et sub Licinio Marcellinus puer, quod militare nollet, caesus ad mortem, conjectns in carcerem, ac demum in mare mersus martyrium consummasse dicitnr (7).

(3) apud Ruinart. *n.* 3. *p.* 264.
(4) Beda, Ado, Notker. etc.
(5) *in psalm.* 140. *n.* 26.
(6) apud Ruinart. *p.* 376.
(7) Martyr. Rom. *III. non. Ian.*

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXVI.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM susceperunt Imp. C. Valerius Diocletianus VI. Fl. Constantius Chlorus Caesar iterum. revocatus hoc anno ex Africa Cassius Dio, et Praefectus Vrbis factus est XII. kal. Martias. sed quis ejus loco Proconsul illuc missus fuerit, ignoramus. capta eodem anno Alexandria est a Diocletiano, recepta Britannia a Constantio. pertinet vero ad haec tempora Lactantius, Siccae in Africa Arnobii discipulus, qui magistrum suum doctrinae lande ac dicendi copia facile superavit. eum deinde Nicomediam Diocletianus accivit, ut illic Rhetoricam doceret. opera ejusdem recenset Hieronymus (1), quae inter primum *Symposium*, quod adole-

(1) *de vir. illustr. c.* 80.

scentulus scripsit, in Africa editum credi debet. controversiam de patria ejus nemo adhuc diremisse videtur. studiosum eum scriptorum Africanorum Tertulliani, Minucii, Cypriani, et Arnobii, qui hus norit, Lactantium legens intelliget.

II. At Romae interea Christiani ad caedem designabantur, et Martyrum numerus quotidie crescebat: quos inter Cajus quoque Pontifex maximus lauream adeptus est x. kal. Majas. nec multo post Ecclesia Romana tota convenit, et successorem ejus Marcellinum dixit.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXVII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gessere Imp. M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius v. Q. Galerius Maximianus Caesar iterum. vidit hoc anno Africa Herculium contra Mauros bellum gerentem (1), quos Romano Imperio parere coactos, patrio solo amovit, et alias in regiones traduxit. eodem tempore, auctum ab eo numerum provinciarum, et novos cuique fines adsignatos, alibi opinati sumus (2). eo autem praesente non multum laetatus esse Christianos, in ambiguo non est: constabat enim, inimico illum animo in eos semper fuisse, et multos ab eodem in Galliis potissimum morte affectos esse.

II. In horum numero et Felicem illum Caesareensem e Mauretania habendum duxerim, qui, Cordubensi Eulogio teste (3), quum domi pacatam etiamtum Ecclesiam videret, martyrii cupidus Galliam cogitavit, quae tum Martyrum palmis in dies nobilitari ferebatur. ceterum Gerundae, quae ad Hispaniam pertinebat, sed Galliae finitima erat, maturo Daciano praeside, sub quo et Vincentii Diaconi clarum martyrium fuit, parem ille, quam frustra in patria optaverat, lauream invenit (4). quare de eo Prudentius (5).

Parva Felicis decus exhibebit
Artubus sanctis locuples Gerunda.

(1) Fumen. *in Panegyr. c.* 21. *etc.*
(2) *Afr. Chr. T. I. c.* 1. *n.* 1.
(3) *lib. I. Memorial. Martyr.*
(4) Martyrol. Rom. *die* 1. *Aug.*
(5) *Hymn.* 4. *Peristeph. v.* 29.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXVIII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Anicius Faustus iterum, Severus Gallus. hoc anno Galerius Caesar gloria elatus, quam sibi victoria Persica nuper pepererat, vetus in Christianos odium effudit, a militibus suis et ordinum ductoribus initio facto, quos partim dimisit, partim etiam supplicio affecit. haec in Illyrico potissimum contigere, cui Galerius praeerat.

II. Nec tamen Africa sine funeribus fuit, quamquam haec Herculio parebat, qui anno superiore nihil adversus Christianos edixerat. praeses id temporis erat sive Procurator Mauretaniae Tingitanae Anastasius Fortunatus, ducebatque idem Legionem Trajanam, quae illic Romanos fines tuebatur. forte autem XII. kal. Augustas Herculii diem natalem tota Legio agebat, instructis passim conviviis, et sacrificiis de more instauratis in ipsa provinciae metropoli, quae Tingis primum, postea Tanger appellata est. inter haec *Marcellus quidam*, ut in Actis ejus legimus (1), *ex Centurionibus legionis Trajanae, profana reputans illa convivia, rejecto etiam cingulo militari coram signis legionis, quae tunc aderant, clara voce testatus est, dicens, Iesu Christo Regi aeterno milito: abjecit quoque vitem et arma, et addidit, Ex hoc militare Imperatoribus vestris desisto, et Deos vestros ligneos et lapideos adorare contemno, quae sunt idola surda et muta. si talis est conditio militantium, ut Diis et Imperatoribus sacra facere compellantur, ecce projicio vitem et cingulum; renuntio signis, et militare recuso.* enimvero tantum Centurionis facinus omnes qui aderant milites perculit: itaque eo comprehenso rem ad praesidem detulerunt, qui Marcellum in carcerem duci jussit. peractis autem ejus diei sollemnibus, ad se adductum sic adloquutus dicitur: *Quid tibi visum est, ut contra disciplinam militarem te discingeres, et bultheum ac vitem projiceres?* cui Marcellus, *Iam*, inquit, *die duodecimo kalendarum Augustarum apud signa legionis istius, quando diem festum Imperatoris celebrastis, publice clara voce respondi, me Christianum esse, et sacramento huic militare non posse, nisi Iesu Christo filio Dei Patris omnipotentis.* hic vero Praeses temeritatem ejus se dissimulare non posse ait, seque de his ad Principes scripturum: tum quia in civitate erat, qui vice Praefectorum Praetorio fungeretur, Aurelius Agricolanus, missurum se ad hunc, ut ipse caussam cognosceret. exinde Marcellus in vinculis fuisse videtur ad diem III. kal. Novembres. eo die ad Agricolani tribunal productus est, et Fortunati epistola recitata, in qua haec de Marcello scripta erant: *Miles hic, rejecto cingulo militari, Christianum se esse testatus, coram omni populo in Deos et in Caesarem multa blasphema loquutus est. ideo eum ad te direximus, ut quod ex eodem claritas tua sanxerit, jubeas observari.* at Agricolanus, audita epistola, rescire a Marcello voluit, num ea singula vera essent: quae cum roganti omnia confirmasset, ille jam, facta ejus disciplina vindicanda esse praefatus, sententiam dictavit hujusmodi: *Marcellum, qui Centurio ordinarius militabat, qui abjecto publice sacramento polluisse se dixit, alia verba furore plena deposuit, gladio animadverti placet.* atque inde Martyr ad supplicium digrediens, *Deus*, inquit, *tibi benefaciat*, ac demum cervices carnifici dedit, et martyrio suo defunctus est.

(1) apud Ruinart. *p.* 265. *insignia Centurionis observa in Mus. Veron. p.* 121. *n.* 4.

II. Verum eo die judicium Agricolani novum caelo Martyrem destioavit (2). erat io cohorte ejus Exceptor militaris Cassianus: qui Marcellum productum aodierat, et respoosa ejos excipiens in tabulas retulerat. hic, simul atqoe Agricolanus sententiam in Marcellom proounciare coepit, eam clara voce detestatus, graphium et codicem io terram projecit: et exsilienti jodici rogantique, cur hoc ille fecisset, respondit, *Iniquam eum dictasse sententiam.* quare abreptus illico jussu ejos Cassianus, in carcerem ductus est, subridente Marcello Martyre, qnod eum brevi pari laorea potitom iri divinitns cognovisset. nec saoe illnm carcer diu teouit. III. oonas Decembres euodem in locum, io quo Marcelli judicium peractum fuerat, adductus, postquam ad ea, de quibus ioterrogatus esset, eodem ut ille modo fere respondit, similem tulit sententiam, et Martyrum hooore auctus, ad Marcelli complexum beatamque immortalitatem traosmisit.

IIII. Eodem fortasse aono, sed procul a Tingi, io provincia nempe Byzaceoa atque in ipsa metropoli Adrumeto nova cohors ad martyrium pareotibus magistris instruebatur: duodecim ioquam fratres, quos Bonifacius et Thecla saoctissimi conjuges a pueritia omoi studio ad virtotem excoluerant (3). de horum coostantia quum ad Maximianum fama aliquid pertulisset, missus ab eo Carthagioem est Valeriaous judex: atque hujos jussu Adrumeto abducti Martyres, sedente ipso pro tribuoali, auditi omnes, et post verbera in carcerem conjecti suot (4). ibi quum prodigia divinitus accidissent, et commota Civitas Christianum oomen extolleret, expedire judici visum est, nt Martyres mari committeret, atque in Italiam amandaret: qoos demom ipse seqnutos, quatuor ex illis Poteotiae interfecit, Arontium scilicet, Honoratum, Fortunatum et Sabioianum: tum progressus Veousiam, ibidem tres alios sustulit, Septimum, Ianoarium et Felicem: hinc qoum Veliniaoum veoisset, supplicio affecit Vitalem, Satorem et Restitotum: postremi omnium Donatus et Felix alter martyrium fecere Sentiani. hornm autem Martyrum corpora jamdiu habet Beneventum, ab anno DCC.LX. eodem ex Apolia convecta Arichis Principis opera, qui ea io Sophiaoa aede a se coodita magnis sumptibus collocavit (5).

(2) apud Ruinart. *p.* 267.
(3) v. Bolland. *in Aug. T. VI. p.* 551.
(4) v. Bolland. *in Sept. T. I. p.* 138.
(5) *ibid. p.* 136. *et* 142.

ANNUS CHRISTIANUS CCLXXXXVIIII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM soscepere Imp. C. Valerios Diocletianus VII. Imp. M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius VI. debellati hoc anno Marcomanni, victiqoe Sarmatae. at Ecclesiae res pacatae, in Africa etiam: neque enim lex olla promulgata fuerat, quae in Christiaoos ioquiri juberet.

quamobrem ubi probi ac mites magistratus essent, nullum Christiano periculum creabatur. ceterum nemo, opinor, tum erat, qui cladem impendentem non praesentiret, multa de Galerio in primis fama nunciante, quae animum ejus Christianis iratum infensumque indicabant. ex eo autem metu magnae in plerosque utilitates manasse putandae sunt, qui se ad summum illud vitae certamen instruebant, opemque sibi a Deo precati, immortalia jam ac coelestia praestolabantur.

ANNUS CHRISTIANUS CCC.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuerunt Fl. Valerius Constantius Chlorus Caesar III. Q. Galerius Maximianus Caesar III. nulla hunc annum bella insignem fecerunt: ipsique Augusti reipublicae ordinandae et legibus ferendis operam navarunt, dum Caesares consulatu fungebantur. par otium autem et Ecclesiae fuit, ut in Hispania Episcopi amplius quadraginta ad Concilium Eliberitanum hoc anno convenisse putentur: quos inter Osius quoque Cordubensis numerabatur (1). at de hoc ad annum CCCVIII.

II. Id vero temporis contigisse putandum est, quod Optatus de Lucilla factiosa illa femina narrat (2), quae deinde odio in Caecilianum Episcopum Mensurii successorem incensa, prima funestum Donatistarum dissidium intulit. ipsa enim est, *Quae ante concussam persequutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, quum correptionem Archidiaconi Caeciliani ferre non posset: quae ante spiritalem cibum et potum, os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur; et quum praeponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, et si Martyris, sed nec dum vindicati, correpta, cum confusione discessit irata. irascenti et dolenti, ne disciplinae succumberet, occurrit subito persequutionis enata tempestas.* haec nempe tempora non obscure designat Optatus: post quae quid ira mulieris contra Caecilianum ausa fuerit, loco exponemus.

(1) v. Tillem. *M. Eccl. T. VII. p.* 302. *et* Cavem *Sc. Eccl. T. I. an.* 305.

(2) *de schism. Donat. lib. I. c.* 16.

ANNUS CHRISTIANUS CCCI.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus Postumium Titianum iterum, Fl. Popillium Nepotianum. inclaruit his Consulibus Constantii Caesaris nomen, LX. fere Alamannorum millibus uno proelio caesis, quae pugna in Gallia circa Lingones pugnata est. at Diocletianus in Oriente versabatur, ubi

teste Lactantio (1), *ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, et in jecoribus earum ventura quaerebat.* tum accidit, ut, quum inter apparitores ministrosque ejus Christiani quidam essent, iique immortale crucis signum frontibus suis imposuissent, sacra fugatis daemonibus turbarentur, aruspices trepidarent, solitas in extis notas non viderent. quae caussa fuit, ut sacrificia saepius instaurarentur, et quia ex opinione eorum nunquam perlitabatur, denique pronunciaretur, idcirco sacra non respondere, quod rebus divinis profani homines interessent. his commotus Diocletianus, et ira furens, inquit Lactantius, *Sacrificare non eos tantum, qui sacris ministrabant, sed universos, qui erant in palatio, jussit; et in eos, si detrectassent, verberibus animadverti: datisque ad praepositos litteris, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia praecepit, ut qui non paruissent, militia solverentur.* hactenus tum quidem furor ejus et ira processit: sanguine et vita abstinuit. sed his initiis ad omnem crudelitatem deducebatur, Galerii Caesaris artibus, qui jamdiu Christianorum internecionem meditabatur, et Augustos in sententiam suam paullatim pertrahebat.

(1) *de mort. persec. c.* 10.

ANNUS CHRISTIANUS CCCII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATU functi hoc anno Fl. Valerius Constantius Chlorus Caesar IIII. Q. Galerius Maximianus Caesar IIII. decreta autem a Senatu provincia Africa Annio Cornelio Anulino, qui Consulatum gesserat anno CCLXXXXV. interea annonae caritas summa per orbem Romanum fuit, et multos fames ad seditionem et arma compulit: Alexandrinis Diocletiani liberalitate subventum est. anno vertente idem Augustus, Antiochia relicta, *In Bithyniam*, ut Lactantius scribit (1), *venit hyematum, eodemque tunc Maximianus quoque Caesar, inflammatus scelere, advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui jam principium fecerat.* neque vero consilium hujus aut furor Christianos latebat. litterae tum quaquaversus ab Episcopis potissimum mittebantur, quae impendens Ecclesiae periculum portenderent, ac de opis caelestis implorandae necessitate admonerent. sed nemo tam acerba et infausta sibi metuebat, quam ea erant, quae jam revera instabant et parabantur. superioribus enim aetatibus, quum minore numero Christiani essent, interque eos non ita multi ex nobilitate censerentur, saevitum quidem in eos constabat, sed modum tamen adhibitum, ut non omnes ubique peterentur, et crudelitati finem saepe maturius impositum. itaque Christiano nomine in immensum aucto, ut et in urbibus et in exercitibus numerari vix possent, qui religionis nostrae sacris addicti essent, in his

(1) *de mort. persec. c.* 10.

autem non pauci etiam ex honestissimis lectissimisque familiis forent; incredibile plerisque videbatur, tantum id temporis ausuros Augustos, ut Imperii ipsi sui vires attererent, et auctoritatem majestatemque suam in discrimen adducerent.

ANNUS CHRISTIANUS CCCIII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Imp. C. Valerius Diocletianus VIII. Imp. M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius VII. et Diocletianus quidem Nicomediae ornamenta sumpsit, qua in urbe per totam hyemem cum Galerio Caesare de Christianorum delendorum consilio et ratione disputavit: quum perniciosum esse existimaret, inquietari orbem terrarum, et urbes domosque caedibus multorum et sanguine funestari, satisque esse duceret, si palatini tantum ac milites ab ea religione prohiberentur. at vicit tandem expugnavitque senis animum Galerius, et fraude et terrore usus: nisi quod tum Diocletianus, inquit Lactantius (1), *hanc moderationem tenere conatus est, ut eam rem sine sanguine transigi juberet, quum Caesar vivos cremari vellet, qui sacrificio repugnassent.* jamvero exordium malorum, quae in Christianos per omnes postea provincias redundarunt, a templi Nicomediensis eversione ductum est VII. kal. Martias, quo die ethnici Terminalia sua celebrabant; postridie vero, teste Lactantio (2), *propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore et dignitate, tormentis subjecti essent, ex quocumque ordine ac gradu venirent, adversus eos omnis actio valeret, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent: libertatem denique ac vocem non haberent.* nec dubium est, eodem edicto imperatum esse magistratibus, ut sacrae Christianorum aedes subruerentur, utque igni traderetur quidquid divinorum librorum apud eos inventum esset: vetitum quoque, ne Christiani unum aliquem in locum convenirent; et loca ipsa conventibus destinata in fiscum redacta esse: fisco item adtributum quidquid supellectilis et instrumenti templa haberent: quae omnia et Lactantius ipse atque Eusebius (3), et Martyrum in primis Acta confirmant. sed levia tamen haec Galerio videbantur, qui sanguinem Christianorum sitiebat; nec ante ille a Diocletiano fatigando terrendoque destitit, quam furore inflammatum vidisset, quo ipse aestuabat. quod ille iterato Imperatoriae domus incendio maxime effecit, cujus ipse auctor quum fuisset, crimen intulit Christianis, eosque hostes publicos esse Diocletiano persuasit. tum vero hic aeque furere, et omnem crudelitatem non modo in domesticos, sed contra Christianos universos expromere coepit: tum et litterae ad Herculium atque Constantium missae,

(1) *de mort. persec. c.* 11.
(2) *ibid. c.* 13.
(3) Lactant. *ibid. c.* 15. Euseb. *H. E. lib.* VIII *c.* 10.

ut eadem illi quoque facerent, quae ipsi Nicomediae exorsi jam ubique praestabant (4).

II. Herculius, qui Christianos oderat, ex iisque jam ad libidinem suam, praesertim in exercitu, multos sustulerat, minime indignatus, quod edicta illa sine ipsius consensione vulgata essent, manus ultro dedit, eorumque exempla in Africa, quae ipsi parebat, illico promulganda curavit. ea Cirtae proposita fuisse novimus XIIII. kal. Iunias, quum illic Paullus pontificatu fungeretur, provinciamque universam Florus Consularis administraret (5): eodemque modo alia aliis diebus per colonias et civitates promulgata, praescriptumque magistratibus, ut eorum opera quidquid divinorum voluminum ubique esset, igni absumeretur, omne templorum instrumentum diriperetur, templa ipsa et omnia Christianorum monumenta everterentur. itaque brevi mutata rerum facies est, ereptum passim Ecclesiis decus, dissipati piorum conventus, sacra intermissa, cuncta ad luctum et squalorem redacta sunt. neque enim segnes erant coloniarum magistratus ad parendum, partim veteri odio incitati, partim metu impulsi, ne fautores Christianorum haberentur. enim vero in Numidia, et apud Cirtam metropolim in primis, luctuosus plane ac miserabilis Ecclesiae adspectus fuit, quam ii potissimum prodiderunt, qui tueri ac servare debebant. praeerat tum coloniae Munatius Felix Flamen perpetuus et Curator, ut in Actis legimus, quae manent (6). hic stipatus apparitoribus, quum ad aedem venisset, in quam Christiani convenire solebant, Paullo Episcopo dixit, *Proferte scripturas legis, et si quid aliud hic habetis, ut praecepto et jussioni parere possitis.* ille vero fidem miser suam, ordinem, dignitatem, nomen oblitus, omnia vitae posthabuit, et *Scripturas quidem,* inquit, *Lectores habent: sed nos, quod hic habemus, damus.* porro quum Lectores abessent, et judicium de illis in aliud tempus dilatum esset, *Sedente Paullo Episcopo, Montano et Victore, Deusatelio et Memorio Presbyteris, adstante Marte cum Helio et Marte Diaconis, Marcudio, Catullino, Silvano et Caroso Subdiaconis, Ianuario, Meraclo, Fructuoso, Miggine, Saturnino, Victore Samsurici et ceteris Fossoribus, contrascribente Victore Aufidii,* res Ecclesiae prolatae sunt, et hostibus traditae, quae sic in Actis recensentur: *Calices duo aurei, item calices sex argentei, urceola sex argentea, cucumellum argenteum, lucernae argenteae septem, cereofala duo, candelae breves aeneae cum lucernis suis septem, item lucernae aeneae undecim cum catenis suis.* post haec vestiaria quoque deprompta, quae Ecclesia in egentium subsidium servabat, id est *tunicae muliebres* LXXXII. *mafortea* XXXVIII. *tunicae viriles* XVI. *caligae viriles paria* XIII. *caligae muliebres paria* XXXXVII. *coplae rusticanae* XVIIII. de aede protinus in bibliothecam transiit Munatius, in qua armaria inania reperta sunt: sed inde tamen Silvanus protulit *capitulatam argenteam et lucernam argen-*

(4) Lactant. *de mort. persec. c.* 15.
(5) Optat. *de Schism. Don. lib. III. c.* 8.
(6) post Optat. Pin. *p.* 167. *et alibi.*

team. in tricliuio inventa *dolia IIII. et orcae sex:* Catullinus vero exhibuit *codicem unum pernimium majorem.* venit ille demum et ad domos Lectorum, qui, alter post alterum, sacros codices singuli nefaria proditione in hostium manus tradiderunt, et plures etiam se dare paratos quidam fassi sunt, si plures habuissent.

III. Hactenus quae Cirtae contigerunt, eaque multorum auctoritate testata: tum aliis in urbibus non minora patrata esse scelera, satis constat, nullum licet de his judicium postea institutum fuisse sciamus. et Zamae quidem ac Furnis Basilicas dirutas, et sacros codices combustos ex Actis purgationis Felicis Aptungitani (7) adnotum est. inde etiam discimus, in municipio Aptungitano cathedram Episcopi de templo avulsam, et ostia ejus omnia igne esse deleta. rursum divina volumina Abitinis a Fundano Episcopo nefarie prodita, legimus in Actis Saturnini et sociorum Martyrum, nisi quod ignis, quum ea flammis injicerentur, divinitus extinctus est, pluvia sereno e caelo delapsa, et grandine agros vastante. cuncta vero paucis complexus Optatus, funestam illam et lamentabilem Africae cladem sic ob oculos posuit (8); *Per totam Africam persequutionis est divagata tempestas, quae alios fecerit Martyres, alios Confessores, nonnullos funestam prostravit in mortem, latentes dimisit illaesos. quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? quid ministros plurimos, quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? ipsi apices et principes omnium aliqui Episcopi illis temporibus, ut damno aeternae vitae, istius incertae lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinae legis impie tradiderunt: ex quibus erant Donatus Masculitanus, Victor Russiccadensis, Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamensis, et homicida Purpurius Limatensis: qui interrogatus de filiis sororis suae, quod eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus est, dicens, et occidi et occido non eos solos, sed et quicumque contra me fecerit: et Menalius, qui ne turificasse a suis civibus probaretur, oculorum dolorem fingens, ad consessum suorum procedere trepidavit.*

IIII. Sed jam tantum infamiae dedecus totque probra praetereuntes, ad praeclara Martyrum facta veniamus. Tibursici Burensium in provincia Proconsulari, quod vulgus Tibiuram appellasse videtur, Programma illud Augustorum et Caesarum propositum fuerat nonis Iuniis. Curator municipii Magnilianus (9) eodem die *seniores plebis* convocasse dicitur: nam Felix Episcopus Carthaginem se contulerat. adfuere Aper Presbyter, et Cyrus ac Vitalis Lectores: qui jussi tradere *libros Deificos*, apud Episcopum eos esse responderunt; itaque sub Officio manere coacti sunt, donec Anulino Proconsuli rationem redderent. at vero Felix postero die Carthagine venit, et ad Curatorem perductus est. atque hic statim, *Felix*, inquit, *Episcope, da libros vel membranas, quascumque habes:*

(7) post Optat. Pinii. *p.* 164.
(8) *de schism. Donat. lib. I. c.* 13.
(9) apud Ruinart. *p.* 313.

cui Felix nihil haesitans, *habeo*, dixit, *sed non do.* instare autem Curator pergebat, ut libros daret igni destinatos, cogitaretque prius esse, quod Imperatores jussissent, quam quod ipse loqueretur. at Felix rursum repugnans, *Melius*, ait, *est me igne aduri, quam scripturas Deificas: quia bonum est obedire Deo magis, quam hominibus.* et iterum, *Prius est praeceptum Domini, quam hominum.* triduo post ad Curatorem denuo perductus, quum ille rogaret, num secum ipse meditatus esset, quo res adduceretur, Felix sibi constans, *Quae*, inquit, *prius loquutus sum, et modo loquor, et ante Proconsulem ea sum dicturus.* post quae Vincentio Celsino Decurioni in custodiam traditus est, ut ad Proconsulem duceretur: ad quem demum VIII. kal. Iulias, vinculis obstrictus, quum pervenisset, in carcerem conjectus est. non multo post, quia interrogatus a Proconsule de sacris voluminibus, eadem responderat, id est *Habeo, sed non dabo*, in ima carceris detruditur, et illic dies sexdecim in sordibus et squalore relinquitur. rursum vero productus sciscitanti Anulino, quare *scripturas supervacuas* non redderet, respondit, *Non sum eas daturus.* quamobrem Proconsul idibus Iuliis Romam eum ad Praefectum Praetorio mitti jussit; hic vero eundem ad Imperatores navigare voluit, id est ad Herculinm, qui tum forte in Sicilia versabatur. accepit sentina Confessorem magnanimum sub equorum pedibus volutatum, ubi dies quatuor neque panem neque aquam gustavit. sed solatium subinde attulere Christiani earum urbium, ad quas deductus est, Agrigentini nempe, Catanenses, Mamertini, Tauromenii ceterum sive jam Herculius e Sicilia discessisset, sive Felicem ad Praefectum amandasset, nusquam illic productus est. Venusium illi in Lucaniae finibus tamquam arenam destinaverat Deus, in qua praeclaro martyrio defungeretur: nam et Praefectus illuc forte concesserat. ut eo Felix pervenit, et postremum rogatus, eadem, quae semper, respondit, ibi demum Praefecti sententia capitis damnatur: quam simul atque prolatam audiit, *Gratias*, inquit, *tibi Domine, qui me dignatus es liberare.* dies erat III. kal. Septembres: eodem die quum ad supplicii locum ductus constitisset, et gladium carnifex stringeret, oculis ille in caelum sublatis, haec etiam clara voce professus est: *Deus gratias tibi. quinquaginta et sex annos habeo in hoc saeculo, virginitatem custodivi, Evangelia servavi, fidem et veritatem praedicavi. Domine Deus caeli et terrae, Iesu Christe, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in aeternum, cui est claritas et magnificentia in saecula saeculorum. amen.* hic Felicis exitus fuit, qui Episcoporum Africanorum nomen ad gloriam splendoremque revocavit. nec vero civem suum Africa oblita est: nam et Reliquiae ejus postea Carthaginem relatae, prope Scillitanos Martyres compositae sunt (10), et nomen in Fastis scriptum Ecclesiae Carthaginiensis, quo memoria ejus quotannis celebraretur.

(10) Ado *in Mart.* 24. *Oct.*

v. Interea multos alibi Felicem aemulatos esse, sacrorumque codicum strenuos custodes fuisse, exploratum est. et Carthagine quidem modum etiam nonnulli excesserunt, plus ausi, quam religio et fides postularet. inventi enim sunt (11), qui ad tribunal irent, seque habere domi sancta volumina profiterentur, ac simul ea se tradituros negarent: quod Mensurio Episcopo adeo displicuit, ut lege caverit, ne honores Martyrum iis tribuerentur, qui ea ratione viam sibi ad martyrium munivissent. ceterum aliam Mensurius ipse rationem inivisse arguebatur (12), quae animum vitae contemptorem non ostenderet. nam, ut in epistola ejus ad Secundum Tigisitanum Primatem Numidiae legebatur, non ille quidem sacros codices tradiderat, sed iis reconditis, scripta haereticorum, quaecumque cogerere potuerat, in Basilica Novorum deponenda curaverat: quae scrutatores illi, Proconsulis administri, quum invenissent et abstulissent, nulla eum molestia affecerunt. porro et alii fuere, animae quidem prodigi, sed qui in martyrio finem potius malorum, quam Dei gloriam propositam haberent. *Quidam etiam*, inquit Augustinus, *in eadem epistola facinorosi arguebantur et fisci debitores, qui occasione persequutionis vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent, et quasi abluere facinora sua, vel certe adquirere pecuniam, et in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum.* talem scilicet martyrii cupiditatem improbaverat Mensurius, deque iis, quae ipse statuisset, ad Secundum perscripserat. exstabant vero Augustini aevo litterae etiam Secundi ad Mensurium, *Vbi*, inquit ille, *et ipse narravit, in Numidia persequutores quae egerint: et qui comprehensi et scripturas sanctas tradere nolentes, et multa mala passi et gravissimis suppliciis excruciati et occisi sunt; eosque honorandos pro martyrii sui merito commendavit.* quos tamen ipse Secundus minime imitatus esse ferebatur: quippe constabat (13), *detentum eum fuisse a Curatore et Ordine, ut Scripturas daret, nec eum potuisse dimitti, nisi aliquid tradidisset.*

VI. Haec malorum primordia, et hae vices fuerunt acerbissimae vexationis, ob quam et templa multa eversa sunt, et sacrorum voluminum vis magna igne absumpta disperiit: sic et Martyrum plurimorum Acta, quae Christiani veteres diligentissime conscripserant, pessimo publico amisimus: nam et haec furor ille ethnicorum abolere maximo studio nitebatur: quod jam alio in opere fusius a nobis ostensum est (14). alia deinceps edicta Nicomedia adlata sunt, quibus post aedium sacrarum eversiones, post rapinas atque incendia librorum, ipsi jam Episcopi et Presbyteri et Diaconi et omnia Ecclesiarum collegia vinculis addicebantur: et rursum alia venere, quibus magistratibus praescribebatur, ne quem e carcere emitterent, qui non ante Diis tus adolevisset, utque eos, qui repugnassent, omni tormentorum genere excruciandos tamdiu curarent, dum mutata sententia jussis Augustorum et Caesarum obsequerentur: quae

(11) Aug. *in Brev. Collat. ul. c.* 13.
(12) apud Aug. *ibid. n.* 25.
(13) *ibid. c. xv. n.* 27.
(14) *in Kal. CP. ad diem* 23. *Apr.*

omnia nobis Eusebius aequalis eorum temporum testata reliquit (15), postquam multa oculis ipse suis in Palaestina usurpasset, quae pari crudelitate ceteris in provinciis eademque lege peracta sunt.

(15) *H. E. lib. VIII. c. 2. etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCIIII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. **Consulatum** hoc item anno Augusti suscepere, Imp. C. Valerius Diocletianus VIIII. Imp. M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius VIII. ex quo nova in Africa edicta proposita fuerant, universi jam e Clero, quos fuga et latebrae non servassent, in vincula abrepti carcerem templo mutaverant, et spe jam vitae abjecta, diem supremum opperiebantur. sed plebs tamen intacta, metu magis, quam poena trepidabat; nec qui se honoribus abdicaverant, aut a militia discesserant, gravius sibi quidquam praeterea timendum existimabant. verum his quoque spes illa securitatis et pacis brevi erepta est. nam sub ipsum anni initium e Thracia, ubi tum Diocletianus degebat, ferale illud edictum ad omnes provinciarum rectores missum fuerat (1), quo Christiani omnes, qui Diis non sacrificarent, nullo ordinis discrimine morti devovebantur: in quo illud etiam praescriptum erat, ut qui sponte libare nollent, necessitate compellerentur (2): quae clausula praesides ad omnem carnificinam et crudelitatem armabat. eo demum edicto per Africae civitates promulgato, quam omnes, certae jam mortis terrore injecto, horruerint, quam multi periculosae incertaeque fugae se dederint, quot improviso capti et in vincula conjecti sint, facile quisque animo et cogitatione adsequi potest. illud quis fortasse vix credat, ubi tot Martyrum exempla praecesserant, ingentem quoque eorum fuisse numerum, qui se sponte proditionis scelere et sacrificiorum contagione contaminarent: quod tamen Optati potissimum testimonio compertum est. *Saeviebat*, inquit (3), *bellum Christianis indictum, in templis daemoniorum Diabolus triumphabat, immundis fumabant arae nidoribus: et quia ad sacrilegia venire non poterant, ubicumque tus ponere cogebantur. omnis locus templum erat ad scelus. inquinabantur prope morientes senes, ignorans polluebatur infantia, a matribus parvuli portabantur ad nefas, parentes incruenta parricidia facere cogebantur. alii cogebantur templa Dei vivi subvertere, alii Christum negare, alii leges divinas incendere, alii tura ponere.* inter haec tamen tota item Africa exstitisse constat, qui majorum virtutem retulerint, et insignem illam Ecclesiam clarissimis martyriis illustrarint. id ipsum Eusebius fama jam et multorum praedicatione cognoverat, quum se ad historiam Ecclesiae scribendam

(1) Euseb. *H. E. MM. Palaest. c.* 3.
(2) apud Mabill. *Anal. T. III. p.* 143.
(3) *de Schism. Donat. lib. III. c.* 8.

contulit: nam in Africa potissimum et Mauretania numerum Martyrum ingentem id temporis fuisse, diserte affirmavit (4).

II. Et sane unae Abitinae, quae oppidum fuere provinciae Proconsularis, magnam omnino Martyrum turmam hoc anno suppeditant. forte illic multi e Christianis, quod aedes sacrae obstructae aut eversae fuissent, sollemuium sacrorum caussa in domum Octavii Felicis convenerant: id quum indices ad magistratus detulissent, cuncti a stationario milite comprehensi sunt; primusque omnium fuit, qui reliquis praeerat, Saturninus Presbyter, quem filii sequebantur quatuor, Saturninus junior et Felix Lectores, Maria sanctimonialis, Hilarion infans. jam ceteri, nam pudor est insignium Athletarum nomina praeterire, fuerunt Dativus, cui et Senatori nomen erat, duo Felices, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thecla, Rogatianus alter, Rogatus, Ianuarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Caecilianus, feminae exinde tres, Restituta, Prima, Eva, tum Rogatianus tertius, Givalius, Rogatus alter, et feminae iterum Pomponia, Secunda, Ianuaria, Saturnina, viri alii Martinus, Dantus, Felix quartus, tum Margarita, Major, Honorata, Regiola, Victorinus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Caecilia, Victoria, Herectina, Secunda altera, Matrona altera, Ianuaria altera, omnes numero quadraginta novem, qui hoc ordine in Actis recensentur (5). porro ab aedibus Octavii in forum deducti, mirabili consensione coram magistratibus unum omnes professi, se Christianos esse, et tantae religionis caussa se mori paratos, martyrium suum maxima cum laude incoharunt. vinculis enim singuli obstricti, et Carthaginem ad Proconsulem missi sunt: quod iter hymnos canentes Deumque canticis collaudantes peregerunt (*). Carthagine vero, quum nunciatum esset Proconsuli, eos a magistratibus Abitinensium transmissos esse, quod *contra interdictum Imperatorum et Caesarum collectam et Dominicum celebrassent*, Anulinum obstupefactum tanta acies perterruit, nec ille nisi cum singulis sibi congrediendum existimavit. primum igitur Dativum Proconsul interrogat, quis esset, et utrum *collectam* fecisset: nam ea tum formula sacros conventus designabant. qui quum se Christianum esse, et collectae adfuisse professus esset, jam et ab eo, ut hujus auctorem edat, postulatur; ac simul tortores Dativum in equuleum tollere, extensumque ungulis praecidere jubentur. ecce autem, illi dum parent, et lateribus Martyris ad vulnera denudatis ungulas admovent, subito sese per medium Thecla, qui et Thelica, Confessor fortissimus tormentis objicit, *et Christiani sumus nos*, clamat, *nos*, inquit, *collegimus*. quae vox Proconsulem gladii instar vulneravit; jamque in Theclam furens, ipsum ictibus vehementissimis tundi, ipsum in equuleum suspendi, et ungulis stridentibus laniari jussit: quae Martyr invicto animo ferens, *Deo gratias*, iterabat, *in nomine*, inquiens, *tuo*, *Christe Dei fili*, *libera servos tuos*. rogati

(4) *H. E. lib. VIII. c. 6.*
(5) apud Ruinart. *p.* 339.
(*) v. Areval. *de hymn. Eccl. p.* 39. *et seqq.*

autem Proconsuli, ut congregationis auctorem proferret, clara voce respondit, *Saturninus et omnes.* et quia nullus carnificinae modus ponebatur, monere ille tortores, et Deum his placare pergebat: *Injuste facitis infelices*, clamabat, *contra Deum facitis. Deus altissime, noli illis consentire ad haec peccata. peccatis infelices, adversus Deum facitis. custodite praecepta Dei altissimi. injuste agitis infelices, innocentes laniatis. non sumus homicidae, non fraudem fecimus. Deus miserere: gratias tibi ago Domine, pro nomine da sufferentiam: libera servos tuos de captivitate hujus saeculi. gratias tibi ago, nec sufficio tibi gratias agere.* inter haec Proconsul, dum latera Martyris ictibus ungularum vehementius sulcabantur, et totum jam corpus cruore manabat, *Incipies*, inquit, *sentire, quae vos pati oportuit*, cui ille, *Ad gloriam*, reposuit, et Deum rursus adloquens, *Gratias*, ait, *ago Deo regnorum: apparet regnum aeternum, regnum incorruptum. Domine Iesu Christe, Christiani sumus, tibi servimus: tu es spes nostra, tu es spes Christianorum. Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens: tibi laudes pro nomine tuo reddimus, Domine Deus omnipotens.* et admonente judice, oportuisse antea Imperatorum et Caesarum parere jussis, *Non curo*, proclamavit, *nisi legem Dei, quam didici: ipsam custodio, pro ipsa moriar in ipsa consummor, praeter quam non est alia.* at vix tandem saturata Proconsulis crudelitas est, ut Thecla in carcerem amandato, Dativum rursus aggrederetur, qui in equuleo commilitonis sui pugnam cominus spectaverat, et confessione pari Christianum se esse et collectam fecisse profitebatur. contra quem processit in medium Fortunatianus Victoriae Martyris frater, vir ethnicus et a Christianis alienus, qui sororem suam ab eo seductam, et ad Coloniam Abitinensem cum Secunda et Restituta asportatam clamabat, puellaribus animis vana persuasione illectis, ut Christianorum coetum inirent. sed non tulit calumniam Victoria, et innocentem collegam vindicans, *Nullius*, inquit, *persuasione profecta sum, nec cum ipso ad Abitinas veni. hoc possum per cives probare: omnia mea sponte atque voluntate perfeci. nam et in collecta fui, et Dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum.* quumque Fortunatianus Martyrem rursus conviciis appeteret, ille contra ab equuleo se egregie purgaret, Proconsul carnifices in eum crudelissime saevire jussit: cujus interea una in durissimo illo agone vox fuit, *o Christe Domine, non confundar.* placata vero jam ira Proconsulis videbatur patientia Martyris, quum ejus responsis denuo exarsit: nam ille de collecta rogatus, se utique adfuisse confessus erat; cujus rei caussa latera ejus iterato ungulis sulcari excruciarique praecepit.

III. Mox Saturnini Presbyteri par conditio fuit, qui quum palam affirmaret, *Securi Dominicum celebravimus*, et eam quoque caussam afferret, *Quia non potest intermitti Dominicum*, id est divina Mysteria, ipse etiam in equuleo impositus est, jussique senile Martyris corpus lacerare carnifices sunt inter tormenta clamantis, *Rogo Christe, exaudi me. gratias tibi ago Deus, jube me decollari. rogo Christe, miserere:*

Dei fili subveni. prosiluit vero Emeritus Lector, qui domi suae *collectam* celebratam ultro fatebatur, *In domo*, inquiens, *mea egimus Dominicum:* rogatusque quare permitteret, respondit, *Quoniam fratres mei sunt, et non poteram illos prohibere.* itaque in equuleo ipse etiam extensus, et carnificum objectus furori est; nec in summis cruciatibus nisi illa iterabat, *Rogo Christe, subveni mihi. contra praeceptum Dei facitis infelices. Non poteram, nisi susciperem fratres meos. Deus major est, non Imperatores.* percontanti autem Proconsuli, an scripturas aliquas domi haberet, respondit Martyr, *In corde meo illas habeo.* parcere demum Proconsul carnifices jusserat, quum Felix processit, ceterique pari constantia se omnibus cruciatibus paratos ostenderunt. ad quos Anulinus sese convertens, *Spero*, inquit, *vos hanc partem potius eligere, qua possitis vivere, ut jussiones conservetis.* at illi contra, *Christiani sumus,* clamarunt; *non possumus nisi Domini legem sanctam usque ad effusionem sanguinis custodire.* et Felix quidem, quum Proconsul se jam non quaerere dixisset, utrum Christianus esset, sed num *collectae* interfuisset, aut scripturas haberet, praefatus sine Dominico Christianum esse neminem posse, *collectam*, inquit, *gloriosissime celebravimus, ad scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper.* quo responso perculsus Proconsul, fustibus Martyrem caedi jussit: eaque verberum vis fuit, ut sub ictibus exanimis expiraret. eodemque protinus modo Felix alter fustibus ad mortem verberatus: nisi quod hic semianimis in carcerem translatus, illic decessit. auditus exinde Ampelius, qui alacri voce Proconsuli respondit, *cum fratribus feci collectam, Dominicum celebravi, et scripturas Dominicas habeo mecum, sed in corde meo conscriptas. Christe tibi laudes refero: exaudi Christe.* huic cervices contusae dicuntur, sic tamen, ut vivus ferretur in carcerem. Rogatiano post confessionem nulla vis illata, sed vincula tantum decreta. Quintus subinde et Maximianus et Felix junior fustibus caesi, ac demum in carcerem ducti. graviore vero poena affectus Lector Saturninus, Saturnini Presbyteri filius: nam et in equuleo extensus est, nec minus, quam pater ejus, ungulis et laterum laceratione vexatus: cujus eae tum voces erant, *Christianus sum: aliud non est nomen, quod post Christum oporteat nos sanctum observare.*

IIII. Dies jam tormentis exactus erat, vergebatque in noctem, nec tamen quidquam in labefactanda Martyrum constantia Proconsul se profecisse videbat. tentare nihilo minus tales animos ausus est: *Vidistis*, inquit, *eos, qui perseveraverunt, quid sustinuerunt, vel quid in sua confessione perstantes adhuc habeant sustinere. et ideo qui vult vestrum ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur.* cujus illi dictis nihil commoti, *Christiani sumus*, responderunt; itaque Anulini jussu in carcerem omnes, ubi martyrium consummandum erat, conjecti sunt. ceterum dum eo ducerentur, Victoriae virginis tentata singillatim virtus est: cujus laudes fusius Actorum scriptor sic est persequutus: *Et ne devo-*

tissimus, inquit, *feminarum sexus, florentissimusque sacrarum Virginum chorus certaminis tanti gloria privaretur; omnes feminae, Christo Domino auxiliante, in Victoria congressae sunt et coronatae. etenim Victoria sanctissima feminarum, flos Virginum, decus et dignitas Confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata, in qua naturae bonum candida pudicitia relucebat, respondebatque pulcritudini corporis fides pulcrior mentis et integritas sanctitatis; ad secundam palmam restitutam se in Domini martyrio laetabatur. huic namque ab infantia jam clara pudicitiae signa fulgebant, et in rudibus jam annis apparebat rigor castissimus mentis et quaedam dignitas futurae passionis. denique postquam plena virginitas adultum aetatis tempus explevit, quum puella nolens et reluctans in nuptias a parentibus cogeretur, invitaeque sibi sponsum traderent parentes, ut praedonem fugeret, clam sese per praeceps puella demittit, aurisque famulantibus supportata, incolumis gremio terrae suscipitur. neque fuerat postmodum etiam pro Christo Domino passura, si pro sola tunc pudicitia moreretur. liberata igitur nuptialibus taedis, illusoque simul cum parentibus sponso, media paene de ipsa nuptiarum frequentia prosiliens, ad aedem pudicitiae portumque pudoris Ecclesiam intacta virgo confugit; ibique consecrati Deo dicatique capitis in perpetua virginitate sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit. haec ergo ad martyrium properans, florem pudicitiae palmam triumphali dextera praeferebat. namque interroganti Proconsuli, quid profiteretur, clara voce respondit,* Christiana sum. *et quum a Fortunatiano, fratre togato ejusque defensore, vanis argumentationibus mente capta esse diceretur; Victoria respondit,* Mens mea est: numquam mutata sum. *ad haec Proconsul, Vis ire, inquit, cum Fortunatiano fratre tuo? respondit,* Nolo, quia Christiana sum: et illi sunt fratres mei, qui praecepta Dei custodiunt. *o puellam divinae legis auctoritate fundatam! o virginem gloriosam aeterno Regi merito consecratam! o beatissimam Martyrem evangelica professione clarissimam!* hactenus qui Martyrum nostrorum Acta descripsit. quum autem Proconsul iterum Victoriam hortaretur, ut sibi consuleret, et fratris officiis responderet, *Mens mea est,* contra reposuit, *numquam mutata sum. nam et in collecta fui, et Dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum.* qua ille constantia exacerbatus, Martyrem sociavit cum ceteris, quos jam morti destinaverat. restabat Hilarion puer Saturnini Presbyteri filius, quem Proconsul minime degenerem invenit: nam et ipse intrepidus dicere auditus est, *Christianus sum, et mea sponte atque voluntate cum patre meo et cum fratribus feci collectam.* et quum tormenta ille minaretur, et comam *ei* et nasum et auriculas se amputaturum affirmaret, *Quidquid,* inquit, *facere volueris fac, quia Christianus sum.* quare hunc etiam Proconsul carceri addixit et morti, laetum propterea et *Deo gratias* iterantem, quod voti compos factus esset. quis deinde exitus singulorum Martyrum fuerit, minus liquet. nam in Actis postquam de Hilarione puero

in carcerem recepto dictum est, haec tantum sequuntur: *Hic certaminis magni pugna perficitur, hic Diabolus superatur et vincitur, hic Martyres Christi de passionibus futurae gloriae aeterna congratulatione laetantur.* fame eos in carcere necatos, alios aliis diebus decessisse, auctor est Donatistarum ille, quisquis fuit, patrucinatur (6), qui haec eadem Acta multis contra Mensurium et Caecilianum maledictis uneravit. nec vero adversatur Kalendarium Carthaginiense, in quo Martyrum horum quidam Iulio mense, alii Septembri, nonnulli Octubri aut Novembri recenseutur.

v. Quid vero existimandum sit de Concilio, quod auctor idem Donatista a Martyribus nostris in ipso carcere cum ceteris, qui eodem immissi fuerant, celebratum tradit, quos inter non modo Presbyteros, sed etiam Episcopos narrat fuisse complures; equidem exploratum non censeo. nam canon ille, qui tum conditus dicitur, Donatistarum gratia confictus videri possit: erat enim hujusmodi (7), *Si quis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis caelestibus non habebit.* hujus quippe praetextu Donatistae a Catholicis secessere, quorum Episcopus vel ipsos divinorum librorum proditores fuisse jactabant, vel certe ab iis consecratos esse, qui olim sacra volumina tradidissent.

vI. Hinc ad se Mauretania nunc vocat, quae plures hoc tempore Martyres, Eusebio, ut ajebam teste, reddidit caelo, in quorum numero habendi sunt illustres illi Mediolanensis Ecclesiae duces Nabor, Felix et Victor clarissimorum Patrum laudibus celebrati. erant enim e Mauretania singuli, et sub Maximiano stipendia merebant. eisdem adnumeranda item est, si antiquis Martyrologiis fides, Theodota Caesariensis Martyr cum filiis septem, quorum acta olim extitisse feruntur, at nemini id temporis nota. quum autem martyrii annus incertus sit, dies tamen cietur IIII. nonas Augustas. ceterum in summa illa monumentorum inopia, ob quam plerusque ignoramus adhuc et inani labore perquirimus, unus est egregius, quem proferre possimus, Caesareensis pariter Arcadius, cujus insigne martyrium conterraneus ejus, ut creditur, Zeno Episcopus Veronensium posteritati transmisit (8). nam et Acta, quae exstant (9), ex eo sumpta putantur. enimvero Arcadius, quum Caesareae quoque Christiani ubique Diis tus adolere cogerentur, clam secedens funestum illud spectaculum evitaverat. sed edoctus postea, propinquum ejus in vincula ductum esse, quod latebras ipsius non proderet, prosiluit statim e latibulo, ut ille dimitteretur, ac sponte Christianum se esse fassus est, judicem admonens, paratum se in omnes cruciatus, ut Deo fidem praestaret. quid tum judex? ira repente inflammatus ac furens, *Incidantur,* ait, *ab articulis manus, a cruribus pedes, vivum se cadaver inspiciat.* quam ille sententiam sic accepit, ut exultaret, relictam sibi esse linguam, qua fidem suam Deo

(6) *n. xx. post Optat. Pinii p.* 157.
(7) *ibid. n.* 18.
(8) *tract. xvIII. lib. II. ed. Baller.*
(9) apud Ruinart. *p.* 466. *at vide quae de Arcadio scripsit ediditque Veronae an.* 1779. *Joan. Jacobus Dionisius, qui eum civem Veronensem fuisse contendit.*

confiteretur. exitum autem ejus describens Zeno, *Mox*, inquit, *ut devotum corpus carnifex vidit, statim cadentis securis ictus nervorum connexa dissolvit, et cunctas compage discussa juncturas corporis rupit. exsilierunt exsectae manus, et venarum sistens paullulum stupore, rursus in se rivus sanguinis ruens. dehinc poplitibus surisque porrectis, a germana conjunctione naturae gladio saevi latronis plantarum limes inciditur, et obsequio pedum corpus Martyris viduatur.* manet porro eximii Martyris memoria in Fastis Ecclesiae, quae martyrium ejus pridie idus Ianuarias jamdiu honorat: manebat fortasse et sociorum; at eos nobis vetustas invidit: nisi huc spectant Severianus et Aquila uxor ejus Caesareae item pro Christo combusti, quos vetera Martyrologia x. kal. Febr. recensent. hoc certe anno potissimum messis ubique Martyrum fuit.

vI. Romae interea, quum ingens quotidie Christianorum numerus pari crudelitate immolaretur, tot inter athletas Marcellinus etiam Pontifex maximus vIIII. kal. Novembres lauream adeptus est, sedem successori diu vacuam relinquens: quippe urbs sine Episcopo amplius triennium fuit. at circa idem tempus capta in Numidia est Crispina nobilis matrona, multis postea laudibus saepe ab Augustino (10) cumulata. civis erat Thagarensis, sed in Colonia Thebestina productam esse constat coram Anulino Proconsule, ad quem quidem Numidia non pertinebat; spectare tamen potuit, vel quod Florus Consularis e provincia jam decessisset, vel quod Anulino in Christianos ex rescripto Principum jurisdictio ubique esset. nonis igitur Decembribus, quum Anulinus Thebeste in secretario pro tribunali sederet (11), Crispina inducta est, rogantique Proconsuli, num Augustorum praeceptum teneret, *Quid*, inquit, *illud praeceptum sit, nescio.* quum ille praescriptum diceret, ut omnibus Diis sacrificaret, *Numquam ego*, respondit, *sacrificavi, nec sacrifico nisi uni Deo et Domino nostro Iesu Christo filio ejus, qui natus est et passus.* instabat Anulinus, ut superstitionem amplecteretur, et vim legum poenamque objiciebat: Crispina vero, *Quotidie veneror*, ajebat, *Deum meum, praeter quem alium non novi.* minas autem contemnens, *Quidquid emerserit*, inquit, *pro fide mea, quam teneo, libenter patiar.* plura illa ut de sententia abduceret, adjecit, iteravit: haec tamen numquam adquievit, vanaque numina, quae ille adorari volebat, aversata, *Hoc non feci*, ait, *aliquando, ex quo nata sum, nec novi; nec facio, usque quo vita vixero* ex his jam et hujusmodi dictis, quae Crispina addidit, edoctus Anulinus, se operam perdere, matronae crinem novacula tonderi jubet, ut calva appareret; tum caedem ei commemoravit Maximae, Donatillae, Secundae, et ceterarum, quas consortes ejus dixit: unde discimus tres illas Martyres, quae Tuburbitanae feruntur (12), non multo ante haec tempora martyrio defunctas esse; et alias cum illis pari exitu

(10) *in psalm.* 120. *n.* 13. *et in psalm.* 137. *n.* 3.

(11) apud Ruinart. *p.* 396.

(12) Notker. *alii* III. *kal. Aug.* v. Boll. *T.* vII. *Iul. p.* 146.

obiisse. nec dissentiunt vetera Martyrologia, in quibus earum memoria III. kal. Aug. consignata est. porro Crispina paratam se morti ostendit, eamque sibi beneficii loco futuram, quod ea ratione animae interitum et ignis aeterni poenam foret evitatura. ad quae Proconsul, *Quid, inquit, pluribus sufferimus impiam Crispinam?* et Acta ex codice ut relegerentur imperavit; mox sententiam de libello legit, qua in eam gladio animadverti jubebat. tum vero Martyr, *Christo*, inquit, *laudes ago, benedico Dominum, qui sic me de manibus tuis dignatus est liberare:* eodemque die carnifici tradita coronam tulit, quo et eam posteritas sacris in Fastis honorat, sociis additis (13) *Bilio, Felice, Potamia*, aliis item incertis, quos ad alios potius annos pertinere credibile est: nam in Crispinae Actis nullam eorum mentionem inveneris.

VIII. Quod reliquum est, ante anni exitum alios jam Confessores Numidia suffecerat, quos carcer in annum proximum ad martyrium servabat. hi fuere senex Mammarius Lambesitanus et cives ejus Felix Diaconus, Albinus, Vivus, Donatus, Victorianus item Diaconus, et Libosus e primoribus civitatis: tum Laurentius, Faustinianus, Ziddinus, Crispinus, Leucius Tamugadenses, Faustina Tigisitana, Fausta et Faustinus Vagenses. hos omnes per Numidiam jussu Anulini Proconsulis conquisierat Alexander Comes, et Vagae in carcerem conjecerat. ut vero auditum est, Proconsulem in proximum oppidum Bosam venisse, eo Confessores omnes deducti sunt, et illic vinculis rursum adstricti, carcerem et tenebras pertulerunt.

(13) *Kal. Carthag.* apud Mabill. *Anal. T. III.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCV.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere Caesares, qui mox Augusti dicti sunt, Imp. C. Galerius Valerius Maximianus V. Imp. Fl. Valerius Constantius Chlorus V. nam Diocletianus et Herculius hoc anno Imperium Caesaribus transmiserunt, appellati exinde Seniores Augusti: Caesares vero creati Maximinus et Severus, hic Mediolani, ille Nicomediae. quum autem Constantius Aug. veteres provincias suas Galliam, Hispaniam et Britanniam retinuisset, Galerius Aug. Illyricum, Thraciam Asiamque minorem obtineret, Aegyptus et Syria Maximino cessisset, Africam cum Italia et Pannonia Severus habuit; aequior in Christianos futurus, siquidem Constantio potius morem gessisset, quem velut parentem Augustum revereri debebat, quam Galerio, ad quem Caesar Maximinus spectabat. sed ille Galerio plurimum debebat, et studiis ejus obsequi in primis nitebatur, quo fautore Caesar fuerat appellatus. unus enim Galerius Caesarem utrumque legerat, et Senes Imperatores potentia et minis in ordinem redactos prope relegaverat, Constantium absentem et a crudelitate alienissimum contemnebat.

II. At dum haec Nicomediae Galerius moliebatur, in Numidia, quae tum praesidem non habebat, paullulum quietis erat. itaque quum Paullus Episcopus Cirtae, rerum sacrarum traditione infamis, loco excidisset, et subinde mortuus esset (1), Episcopi aliquot Numidici, ne diutius Ecclesia illa sine rectore esset, clam eo convenire non dubitarunt, Conciliumque ibi praesidente Secundo Tigisitano seniore provinciae celebraverunt. actum id est, teste Optato, in domo Urbani Carisii (2), quod nempe Basilicae nondum restitutae fuissent. et quia plerique omnes Episcopi, qui aderant, nefariae proditionis maculam suscepisse ferebantur, Secundus, ne contra majorum praescripta admissi viderentur, qui scelere suo pontificatum amisissent, *Probemus nos primo*, inquit, *et sic poterimus hic ordinare Episcopum.* ceterum quia Secundus ipse pari crimine tenebatur, sic quemque interrogavit, ut facile purgare se singuli possent, nec iterata percontatione urgerentur. nam a Donato Masculitano exorsus, *Dicitur*, inquit, *te tradidisse:* cui Donatus, *Scis*, respondit, *quantum me quaesivit Florus, ut turificarem; et non tradidit me Deus in manibus ejus, frater: sed quia Deus mihi dimisit, ergo et tu serva me Deo.* unde facile Secundus intelligere poterat, sacros codices a Donato traditos esse, quippe qui de hoc rogatus, aliud omnino responderat. nec tamen instare ausus, Donatum, velut qui jam se optime purgasset, accedere jussit. eodem autem modo et Marinum ab aquis Tibilitanis et Donatum Calamensem et Victorem a Rusiccade recepit, qui eadem labe infecti erant. ipsum Purpurium Limatensem, homicidam etiam, vel potius parricidam, repudiare non potuit, quod in eum accusationem instituerat, et multa se prolaturum minitaretur. reliquos vero, id est Secundum fratris filium, Victorem Garbensem, Felicem Rotariensem, Naborem Centurionensem de codicum traditione ne interrogavit quidem, sed tantum sciscitatus est, quid ipsis de tota illa controversia videretur: qui responderunt, *Habent Deum, cui reddant rationem.* nec jam haesitans Secundus, *Vos*, inquit, *scitis, et Deus sedete.* quod ceteri, *Deo gratias* respondentes, probaverunt. post tam praeclarum judicium de Paulli successore designando actum est: quibuscum Optatus Menaliam quoque adfuisse tradit, qui Diis tus adolevisse arguebatur (3). jam a talibus Episcopis nemo miretur hominem ejusmodi quaesitum esse, qui commune scelus exprobrare nemini posset, eadem et ipse macula notatus. is autem fuit Silvanus ille Paulli Hypodiaconus (4), a quo superius sacra Ecclesiae instrumenta prodita esse scripsimus. eum quidem Clerus et qui aderant cives honorati, repudiaverant, *Traditor est*, clamantes, *alius fiat: purum et integrum civem nostrum volumus* (5): et Donatum poposcerant. sed hi a plebe conducta repulsi, atque in area Martyrum inclusi sunt; Silvanusque designatus, et a Secundo consecratus est. post haec, quum Silvani suf-

(1) Aug. *contra Crescon. lib. III. c.* 26.
(2) *de Schism. Donat. lib. I. c.* 14.
(3) *ibid. c.* 13.
(4) August. *epist.* 53 *c.* 2.
(5) *in Act. Purgat. Caecil.*

fragatores Cirtae etiamtum versarentur, usurpandae potestatis caussa Silvanus Victorem quemdam emptorem dignitatis suae Presbyterum creavit, follibus ab eo viginti acceptis, quam pecuniam Episcopi inter se diviserunt. atque hic exitus fuit Concilii Cirtensis, quod coactum esse scimus III. nonas Martias, quo tempore Christiani ubique nondum sub cultro esse desierant, et multi passim in carceribus Confessores martyrii sui diem expectabant: ut indignandum plane sit, tam sceleratos Episcopos per eos dies exstitisse, quibus rudes e plebe homines imbellesque feminae religionem fidemque suam libertati atque vitae anteferebant.

III. Mammarius sane et socii Confessores Bosae in vinculis erant, quos Anulinus Proconsul V. idus Majas, populo per praecones e finitimis civitatibus tamquam ad spectaculum convocato, ad tribunal denique produci jussit 6). erat Mammarius annorum nonaginta trium et mensium sex, idemque Episcopus aut certe Presbyter; nam eum commilitones et Patrem et Papam suum appellabant. atque hic potissimum suo et sociorum nomine Proconsulis interrogationes nectentis vaniloquentiam refutavit. qui tamen eos in equuleo suspendi, lampadas ad latera eorum applicari, dissiparique ungulis corpora praecepit, si forte tormentorum vi ad Deorum suorum cultum pertrahere posset. sed ille spe frustratus, equulei diffracti divinitus, lampadesque extinctae, et militum manus duratae esse dicuntur. saevitum etiam in capita eorum, cute de capite detracta, excussisque ex ore dentibus. quos illi cruciatus quum patientissime tolerassent, rursum in carcerem retrusi sunt. multos post dies ad tribunal eos Proconsul atque ad tormenta revocavit, qui jam sexdecim inventi sunt, socio scilicet uno ceteris addito, cujus nomen ignoramus. mira vero in Actis multa de eorum cruciatibus narrantur, quae a manu recentiori esse non immerito existimes. vita etiam ab eis mortuo reddita dicitur, qui tum efferebatur, et testimonium ab hoc religioni Christianorum esse impartitum: nec tamen Anulinus resipuisse: itaque paullo post repente expirasse, et corpus ejus avium praeda fuisse: Confessores autem assessoris jussu in carcerem reducti esse. Anulino Maximum suffectum legimus. neque is minorem in Confessores crudelitatem exercuisse perhibetur: quos demum, quia nulla ratione vinci posse cognoverat, capite damnavit. obtruncati autem extra Bosam sunt *ad milliarium semis:* eorumque corpora unum in coemeterium omnia translata fuere Luciani Presbyteri et Maximillae clarissimae feminae opera. peractum martyrium *hora sexta IIII. idus Junias* traditur: sed de anno nihil est additum, de quo tamen ambigendum non est: nam Anulinum mense Augusto anni superioris vivum videntemque Acta Crispinae Martyris demonstrant.

IIII. Habuit rursus et Caesarea in Mauretania insignem Martyrem. ea fuit Marciana virgo, quae Rusuccuri nata (7), natalibus eadem et forma praestans, Caesaream se contulerat, ut vitam illic, voluptatibus et il-

(6) apud Mabill. *Anal. T. III. p.* 93. *at* v. Boll. *T. II. Iun. p.* 268. (7) Bolland. *ad diem* 9. *Ian. T. I. p.* 569.

latebris omnibus contemptis, sancte traduceret, et domi abdita virginitatem, quam Deo dicaverat, religiose servaret. prodierat haec forte in publicum, visoque ad fontem Dianae simulacro, vani numinis imaginem detestata, caput ejus dejecerat. facinus conspicati de plebe multi, qui aderant, virginemque adorti, multis caesam verberibus ad judicem perduxerunt: quae coram eo statim Christianam se esse professa est, populumque hortari caepit, ut superstitionem abjiceret, et inania Deorum commenta aspernaretur. ob id, judice jubente, colaphi a lictoribus virgini impacti: mox gladiatoribus permissa, quorum libidinem Deus prodigio coercuit. deinique ad bestias damnata palmam tulit V. idus Iulias: quamquam et V. idus Ianuarias memoria ejus antiquis in Fastis celebratur, eamque Hispani honorant IIII. idus Augustas (8).

V. Ad hunc item annum referri potest Restituta Martyr, quam Acta sub duobus Augustis martyrio defunctam ostendunt (9), quos Diocletianum et Herculium fuisse fatendum est, quum Ecclesia Africana sub Carino et Numeriano adversi nihil passa sit: esto, in Actis et *Numerianus*, ut scribae placuit, et *Diocletianus* legatur: plura enim exempla exstant (10). patriam clarissimae hujus virginis fuisse Hipponem Diarrhytum, nobile provinciae Proconsularis oppidum, ex vestigio nominis, quod in Actis cietur, prope manifestum est. natam enim *in provincia Africae, in loco, qui dicitur Ponizarius*, scriptum reperies, pro *Hippo Diarrhytus:* quemadmodum et in Notitia Exsulum Huuericianorum ejus urbis Episcopus *Hippzaritensis* appellatur, et in epistola Concilii Proconsularis ad Paullum Patriarcham Constantinopolitanum, qui subscribit, audit Donatus Ippoinzaritensis: unde *Ponizarius* demum defluxit (11). martyrium porro in ipsa patria fecisse perhibetur sub Proculo judice, quem Proconsulis Legatum fuisse crediderim: quamquam in Actis, quae manent, et serius scripta esse videntur, ille quidem *Primarius provinciae*, qui vero Carthaginem regebat, *Praefectus* dicitur, quo nomine, qui provinciam administrabat, a Iustiniani aevo tantum dici coepit. nec stant quae de mortis genere traduntur: nam quum navi imposita dicatur, ut qui eam deducerent, igne combustam in mare demergerent, et contra divinitus contigisse, ut hi quidem in mare praecipites agerentur, ipsa innocua in navi decederet, ac mortua in insulam Enariam e regione Neapolis deferretur, ubi sepulcrum ejus diu fuit, ante quam corpus Neapolim translatum, in aede honori ejus dicata quiesceret; illud extra controversiam est, ducentis ante annis a Gesoaldo Archiepiscopo, quum aedis absidem ampliaret (12), sacrum Martyris corpus sub altari repertum, phialis, ut mos erat, appositis, quae cruorem ejus servabant, atque adeo Martyrem in patria sanguine suo cruentatam obiisse ostendebant. quare illud veri simile magis dixerim, Reliquias ejus in insulam Enariam se-

(8) v. Lesl. *Miss. Mozar. T. II. p.* 579.
(9) *Sect. II. Act. a Iac. Castello edit.*
(10) v. Mazoch. *Kal. Neap. p.* 306.
(11) v. Mazoch. *ibid. p.* 312.
(12) Mazoch. *ibid. p.* 338.

rius ex Africa relatas, Vaudalicis puta temporibus, quum ingens Catholicorum Episcoporum numerus exsulare coactus est.

ANNUS CHRISTIANUS CCCVI.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM inierunt C. Galerius Valerius Maximianus Aug. VI. Fl. Valerius Constantius Chlorus Aug. VI. quibus ex kal. Martiis suffecti sunt Maximinus et Severus Caesares. numerus Martyrum ubique jam in immensum creverat: nec tamen tot funera Christianorum Galerii animum impotentissimo dominatu ferocientem placaverant. nova rursum edicta ab eo proposita, quibus non Christianorum modo vita, sed eorum etiam, qui Christianos non proderent, in discrimen ultimum vocabatur. quamobrem infinitae per Orientem caedes fuere, et novae passim cruciandi torquendique excogitatae rationes, nova mortis genera inventa sunt, obsequente his Galerii studiis Maximino, quem ille vitiis omnibus contaminatum et sui similem non ignarus delegerat, et Caesarem fecerat. sed furor ille Orientis finibus circumscriptus, in reliquas provincias non pervasit. et in Galliis quidem et Hispania et Britannia, quas provincias, Constantio patre demortuo, Constantinus hoc anno administrare coepit, Augustus a militibus, a Galerio Caesar appellatus, non modo periculum abfuit, sed otium quoque et pax Christianis parta. nam Constantinus, ut de eo Lactantius scribit (1), *Suscepto imperio nihil egit prius, quam Christianos cultui ac Deo suo redderet. haec fuit prima ejus sanctio sanctae religionis restitutae.* nec Christianis Occidentis obfuit novum Maxentii imperium, qui Romae v. kal. Novembres rerum potitus est, et Severi factionem brevi ad se omnem pertraxit, Galerio contempto, qui frustra adversus eum in Oriente fremebat. initia enim ejus plane secunda fuerunt, ut Christianum propo se esse fingeret, quo sibi populum Romanum conciliaret, seque superioribus Principibus multo benigniorem humanioremque fore polliceretur (2). quod Herculius quoque pater ejus, quem Romam acciverat, et rursum Imperatoriis insignibus ornaverat, probasse putandus est: quippe qui jam experiendo didicerat, funestum Imperio semper fuisse, quidquid adversus Christianos patratum esset.

II. At vero in Africa vix Ecclesia quietem externis ab hostibus nacta erat, quum intestino bello vexari coepit. id mali a Numidia ortum duxit. *De Numidia,* inquit Augustinus (3), *nata est pars Donati: ipsi missi sunt primo in dissensionem et tumultum et scandalum, quaerentes ingens vulnus, Numidae miserunt: Secundus Tigisitanus misit. qui missi sunt clerici, extra congregaverunt ab Ecclesia, ad clericos Carthaginis accedere noluerunt, Visitatorem posuerunt, a Lucilla suscepti sunt. auctor*

(1) *de mort. persec. c.* 24.
(2) Eus. *H. E. lib. viii. c.* 14.
(3) *Serm.* 46. *c.* 15. *n.* 39.

totius hujus mali Numida haereticus fuit. his vero Donatus a Casis nigris designatur, nam ille, ut idem alibi affirmat (4), *Primus apud Carthaginem ipsum nefarium schisma commisit.* sed primum quidem non aperte, sed cuniculis Catholicos oppugnarunt, viamque sibi ad schisma falsis criminationibus muniverunt. nam Donatus et qui e Numidia submissi fuerant, Mensurium Episcopum et Diaconum ejus Caecilianum arguere apud vulgus atque insimulare caepere, illum codicum sacrorum traditione pollutum dictitantes, et immitem ac crudelem erga Martyres, Caeciliani opera usum, ut eos omni piorum ope ac subsidio privaret. quae in Actis Saturnini Martyris, Donatistae opera amplificatis, sic explicantur (5): *Hic tyranno saevior, carnifice crudelior, idoneum sceleris sui ministrum Diaconum suum elegit Caecilianum: idemque lora et flagra cum armatis ante fores carceris ponit, ut ab ingressu atque aditu cunctos, qui victum potumque in carcerem Martyribus afferebant, gravi affectos injuria propulsaret. et caedebantur a Caeciliano passim qui ad alendos Martyres veniebant, sitientibus intus in vinculis Confessoribus, pocula frangebantur ante carceris limina, cibi passim lacerandi canibus spargebantur, jacebant ante carceris fores Martyrum patres matresque sanctissimae, et ab extremo conspectu liberorum excussi, graves nocte dieque vigilias ad ostium carceris exercebant. erat fletus horribilis, et acerba omnium, qui adcrant, lamentatio, prohibere pios Martyrum complexus, et divelli a pietatis officio Christianos, Caeciliano saeviente tyranno et crudeli carnifice.* quod nempe in Mensurio prudentiae, in Caeciliano diligentiae fuerat, cavere, uti Cyprianus quoque praescripserat, ne Christiani gregatim ad Confessorum carcerem confluerent, Ecclesiaeque periculum turbis crearent, neve suppetias, quae Diaconorum ministerio illis ferendae erant, ipsi manibus suis ac praeter modum praeberent; hoc Numidae illi discordiae cupidi exaggerantes, facile apud vulgus effecerunt, ut furoris impetu quodam et immani crudelitate gestum putaretur. itaque jamtum nonnulli fuere, qui factum detestantes, a Mensurio et Clero ejus recederent, communionemque plane aversarentur. hos vero Donatus primum probare et fovere, deinde in partes quoque suas recipere ac regere coepit: quocum et Secundus Tigisitanus et ceteri e Numidia Episcopi sentiebant, qui anno superiore Cirtense Concilium celebraverant. haec sectae Donatistarum quasi incunabula fuere: quae deinde, Caeciliano in Mensurii locum suffecto, caput extulit, et Carthagine primum, deinde tota Africa pessimo publico quam diutissime dominata est. ceterum illud minus compertum habemus, quae caussa Episcopos Numidas impulerit, ut tantum bellum contra Mensurium excitarent. at suspicari tamen licet, gravi eos metu commotos esse, ne forte, tranquillis jam rebus, Concilium a Mensurio Carthaginem vocaretur, cujus sententia, ob codicum sacrorum traditionem, pontificatu se abdicare cogerentur. propterea, opinor, par illi crimen exprobrare primum ausi sunt, ut a

(4) *Retract. lib. I. c. 21.* (5) post Optat. Pinii *p.* 156.

dimicatione deterrerent: mox rati criminationem illam irritam futuram, scelus ipsi suum obtegere coeperunt, Mensurium crudelitatis accusarunt: ut ejus demum nulla apud suos gratia, nulla auctoritas esset, quem ipsi superbia elatum, immisericordem erga Martyres, inhumanum in omnes fuisse ostendissent.

ANNUS CHRISTIANUS CCCVI.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. Variant hoc anno in Fastis Consules, quod Principes inter se discordes Consulatum, pro arbitrio quisque suo, adripuerint, et in provinciis, quas obtinebant, Consules appellari voluerint. sed a Galerio Aug. designati putantur M. Aurelius Severus Aug. et Maximinus Caesar. Romae vero processisse existimandi sunt, qui tum in urbe versabantur, Herculius VIIII. et Maxentius Augusti: quamquam deinde Herculii nomine sublato, Fl. Valerius Constantinus in Fastis scriptus est. eodem anno Severus Aug. Ravennae ab Herculio obsessus et in fidem receptus, quum Romam captivus venisset, paullo post via Appia ad tres Tabernas necatus dicitur. eo autem exstincto, Africa ad Maxentium pertinere coepit. verum hujus Imperium nondum firmatum erat, Herculio patre ab eo alienato, qui ad Galerium profectus, ad quem Diocletianus se contulerat, C. Flavium Licinianum Licinium Severi loco Augustum dixerat.

II. Sub anni finem, postquam Imperii res pacatae esse caeperant, imagines suas Maxentius, ut mos erat, in Africam misit (1), quam honoris sui fautricem fore speraverat. at milites Galerio magis studebant, ad quem Severo amisso, se spectare existimabant: itaque jam arma sumpserant, praelio vim repulsuri, nisi eos Maxentii exercitus viribus major deterruisset. sic demum Carthagine Maxentii imago recepta, eique Africa aliquamdiu parere visa est. hos autem motus Ecclesiae profuisse crediderim, ne quid majus Donati factio adversus Mensurium moliretur. quamquam illi pacem praetendebant, ejusque se studiosissimos esse jactabant: quam utique si amassent, numquam tot, Carthagine in primis, turbas excitassent. nam de Secundo Tigisitano agens Augustinus, *Tanto magis*, inquit (2), *timere debuit, ne pax unitatis violaretur, quanto erat Carthago civitas ampla et illustris, unde se per totum Africae corpus malum, quod ibi esset exortum, tamquam a vertice effunderet: erat etiam transmarinis vicina regionibus, et fama celeberrima nobilis; unde non mediocris utique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, quum se videret et Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus, et ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum.*

(1) Zosim. *lib. II. p.* 675. (2) Aug. *epist.* 43. *n.* 7.

ANNUS CHRISTIANUS CCCVIII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. RURSUM in Fastis dissensio est: alii Cousules praeferunt Maximianum Herculium x. et Maximianum Galerium vII. alii Diocletiannm x. et Galerium vII. sed ante diem vII. kal. Majas suffecti Maxentius Aug. iterum et Romnlus Caesar Augusti filius. eodem anno Maximinus etiam Augustus dici voluit. sic Augusti uno tempore sex fuere, Herculius, Galerius, Maxentius, Constantinus, Licinius, Maximinus.

II. Enimvero et septimus repente exstitit, isque iu Africa (1). habebat Carthago a Diocletiani temporibus (2) praeter Proconsulem, qui a Senatu designabatur, etiam Vicarium Africae, qui suberat quidem Praefecto Praetorio Italiae (3), sed idem praeerat et Consularibus et Praesidibus proviuciarum Africae, Proconsule excepto; cujus tamen auctoritati novus ille magistratus plurimum offecerat. porro Vicarius tum erat Alexander Phryx genere, invisus Maxentio, cui et filium obsidem petenti dare noluerat. hunc milites, qui fines Africanos tuebantur, quum Maxentii, cujus imagines repudiaverant, iram timerent, Augustum salutaverunt: satisque illi virium fuit, ut dignitatem, quam erat adeptus, triennium tueretur. regiam ei Carthago praebuit, in qua et purpuram sumpserat, et Nigrinianum filium Caesarem, ut creditur, appellavit. res autem Christianorum sub eo non admodum quietas fuisse, nec tuto passim sacros conventus esse celebratos, Optatus non obscure significat (4), qui demum post devictum Alexandrum, *indulgentiam mittente Maxentio*, Christianis libertatem restitutam scribit.

III. At Romae pacis plus aliquid et tranquillitatis hoc anno fuisse videtur. quum enim annis amplius tribus Ecclesia rectore caruisset, Majo demum mense de Marcellini successore agi licuit, in cujus locum Marcellus Presbyter Pontifex maximus factus est.

(1) v. Bossuet. *in cap.* 13. *Apocalyps.*
(2) v. *sup. ad an.* 298. *n. II.*
(3) v. Pancir. *Not. Orid. c.* 65.
(4) *de Schism. Don. lib. I. c.* 18.

ANNUS CHRISTIANUS CCCVIIII.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM susceperunt Imp. Maxentius III. et Iunius Maximus, quibus Consulibus aedes Fortunae incendio absumpta est, et gravis ob id Romae seditio coorta: quam Maxentius aegre sedavit: quippe qui avaritia et crudelitate multorum jam animos offenderat. interea Constantinus in Galliis bene de omnibus merebatur, unus maxime ab omnibus dignus habitus, qui Romanum Imperium solus administraret. at Afri Alexandro non

inviti parebant, quod Maxentium oderant, et duce egebant, qui ei rursum ad Africam adspiranti bellumque molienti strenue adversaretur.

II. Ecclesiae autem quae vices fuerint, non accepimus. sed tamen Mensurii prudentia atque officiis impetratum puto, ut Clerus ille Numidicus, qui Carthagine dissidii auctor fuerat, ad Ecclesias suas rediret. ita factum est, ut dissensionibus sopitis, reducta concordia videretur.

III. Huic potius aut proximis annis adscribi par est celebratum e regione Africae Concilium Eliberitanum: nam et ipsum legibus suis Arelatensi, quae quinto post anno acta sit, synodo praeluxisse facile censeas; et multa etiam, quae in ipso constituta sunt, recentes ethnicorum furores et vexatam nupera insectatione Ecclesiam declarant. hujus autem fuit canon ille, qui interpretes adhuc angit, ordine tricesimus sextus: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.* quibus nimirum verbis ea Patres Eliberitani sanxisse putantur, quae postea Concilium Nicaenum secundum improbavit. atqui illud primum concedant, oportet, Iconoclastae, superioribus aetatibus Imagines in templis fuisse, quandoquidem eas tum removeri placuerit. deinde planum quoque est dicere, in eam Patres venisse sententiam, ut picturas in templis, nisi quae in tabulis essent, prostare nollent: quod impendente ethnicorum incursione tabulae amoveri possent, parietes non item: quorum picturas foedari et ludibrio esse hostibus maxime dedeceret. at vero apud Afros sacras in templis Imagines subinde mansisse, indicio est Augustinus, qui modum tantum in earum cultu quaerebat: *Novi*, inquit (1), *multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores.* hosque maxime a superstitione ac vino epulisque reprehendit, quibus coram luxuriosissime indulgebant. ante Augustinum autem Imaginum, quae in altaribus proponerentur, Optatus mentionem fecerat (2), quum narraret, rumorem a Donatistis disseminatum, *Venturos Paullum et Macarium, qui interessent sacrificio, ut, quum altaria sollemniter aptarentur, proferrent illi Imaginem*, (Augustorum nempe) *quam primo. in altari ponerent*, (id est mediam inter ceteras) et *sic sacrificium offerretur.*

(1) *Lib. I. de mor. Eccl. Cath. c.* 34. v. Trombell. *de cultu sanct. Diss.* 8. *c.* 9.

(2) *de Schism. Donat. lib. III. c.* 12. v. Buonarr. *Osserv. sui vetri p.* 258.

ANNUS CHRISTIANUS CCCX.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM solus Romae gessit Maxentius III. at Galerius designaverat Andronicum et Probum, qui hunc annum per Orientem notasse putandi sunt. XVII. kal. Februarias Ecclesia Romana Pontificem suum multis meritis clarum amisit: cui Eusebium suffecit, haud diu tanti viri virtute fruitura: is enim quinto post mense decessit. at in Galliis Herculius, postquam insidiae, quas Constantini generi sui vitae paraverat,

detectae sunt, mori jussus, collo in laqueum inserto, finem vivendi fecit: statuaeque ejus et imagines cum inscriptionibus eversae ac deletae sunt.

II. Inter haec Afri Alexandro suo plus aequo fidebant, otioque diffluentes, rationibus suis minime providendum arbitrabantur. multi etiam Maxentium contemnere, et in eum dicta dicere soliti, perinde quasi nihil ab eo periculi inferri posset. ex his fuit Felix Diaconus Ecclesiae Carthaginiensis, qui officii sui oblitus, epistolam famosam in Maxentium scripsit emisitque; ob quam postea quaesitus ad necem, in capitis discrimen venit, ac Mensurium, qui eum domi abditum servavit, gravi calamitate affecit (1).

(1) Optat. *de Schism. Donat. lib. I. c.* 17.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXI.

Mensurio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. C. Galerius Valerius Maximianus VIII. Imp. Maximinus iterum. sed Galerius jamdiu aeger mortifero morbo urgebatur, quem fuse describens Lactantius (1), horrore perfundit, qui legat. ita ille malis domitus, et Deum confiteri coactus, edictum denique illud emisit, quo indulgebatur, ut denuo Christiani essent, et conventicula sua componerent. propositum id est Nicomediae pridie kal. Majas, nec multo post horrenda ipse tabe consumptus decessit. ceterum Maximino veteri Christianorum hosti edictum illud ingratum invisumque fuit (2), nec deinceps a caedibus eorum et sanguine abstinuit, quacumque Imperium ejus porrigebatur: et Asia modo accesserat, quam Galerius obtinuerat; nam Licinius occupare non potuit, a Maximino praereptam, qui ex Oriente anteverterat.

II. At Maxentius Romae bellum contra Alexandrum parabat, exercitumque in expeditionem educi jubebat. Rufus Volusianus praeesse jussus, qui tum Praefectura Praetorii Italiae fungebatur (3). vix militem in Africa hic exposuerat, quum praelium commissum est; nec multo sanguine victoria Volusiano stetit: prima illa pugna Alexandri acies disjecta, captus ipse necatusque est. quare bellum quidem uno die confectum; sed belli calamitas diuturna fuit. mandata enim Maxentii persequi opus fuit, qui Carthaginem totamque provinciam diripi vexarique jusserat. Numidia ipsa ab ea clade libera non fuit, ac Cirta in primis prope eversa est (4). multae vero opes undique in unum congestae, et Romam ad Maxentium delatae, quas ille in triumpho, quem meditabatur, populo Romano ostentaret.

III. Inter haec nomen Felicis, qui libellum contra Maxentium anno superiore vulgaverat, ad Praefectum delatum est. id Felix ut rescivit, ad Mensurium confugit, rogans atque obsecrans, ut se morti eriperet,

(1) *de mort. pers. c.* 33.
(2) Lactant. *ibid. c.* 36.
(3) Aur. Vict. *de Caes. in Constant.*
(4) *Paneg. v. c.* 16. Zozim. *lib. II. etc.*

et angulum sibi aliquem domi ostenderet, ubi tutus latere posset. quod ille quum impetrasset, nec diu post nunciatum Praefecto esset, Felicem apud Mensurium degere, imperatum Mensurio est, ut Felicem redderet: si recusaret, Romam ad Augustum rationem redditurus, proficisceretur. ille vero ne Diaconum suum proderet, negavit se redditurum, et quamquam senio jam confectus erat, Ecclesiamque suam magno in discrimine versari videbat, mare sibi transmittendum, iramque victoris Augusti subeundam duxit. jamque in illa trepidatione, rebus Ecclesiae, quoad licuit, compositis, ornamenta quamplurima ex auro et argento, quae nec defodere in terram, nec secum portare poterat; ea, inquit Optatus (5), *quasi fidelibus senioribus commendavit, commemoratorio facto, quod cuidam aniculae dedisse dicitur, ut si ipse non rediret, reddita pace Christianis, anicula illi daret, quem in Episcopali Cathedra sedentem inveniret.* exinde Romam, quo proficisci jubebatur, navigavit.

IIII. Porro eodem, opinor, tempore in Numidia Episcopi alterius diligentia et fide periclitanti subventum, nec levi, sed maximo ejus incommodo, qui servabat. *Fecit hoc*, ut Augustini utar verbis (6), *Episcopus quondam Thagastensis Ecclesiae, Firmus nomine, firmior voluntate. nam quum ab eo quaereretur homo jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia, quanta poterat, occultabat, respondit quaerentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere: passusque tam multa tormenta corporis, nondum enim erant Imperatores Christiani, permansit in sententia. deinde ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret.*

V. Par vero et Mensurii exitus fuit. nam dicta apud Maxentium caussa, jussus est reverti; sed *ad Carthaginem*, inquit Optatus, *pervenire non potuit:* itaque peregre mortuus, honoris sui sedem vacuam reliquit, quo tempore, pacata denique Africa, et Maxentii furore exstincto, res quidem publica recreata revixerat; sed Ecclesia, schismaticis otio abutentibus, turbari rursum agitarique caeperat. Mensurium autem Romae adfuisse, quum Melchiades, qui et Miltiades ab antiquis appellatur, in Eusebii locum creatus, Pontificatum maximum suscepit, veri omnino simile est: nam hunc renunciatum esse scimus VI. nonas Iulias, nec Mensurium nisi anno vertente ab urbe profectum putare licet. porro Melchiadem ortu Afrum fuisse, liber Pontificalis testatur.

(5) *de Schism. Donat. lib. I. c.* 17. (6) *de mendac. c. XIII. n.* 23.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXII.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hoc anno fuere Imp. Fl. Valerius Constantinus II. Imp. C. Valerius Licinius II. atque ambo quidem procul ab urbe consularia

ornamenta sumpserant, hic nempe in Illyrico, ille in Gallis: sed Constantinos jam in Italiam properabat adversos Maxentium, aperte bellum molientem, et militaria inter signa Crucem extulerat, Romam brevi non tyranno solum, sed impia etiam superstitione liberaturus. hanc enim ipse, viso edoctus, exuerat, et Christianam religionem toto animo amplexos, propognator Ecclesiae, amplificator nominis nostri, decus et columen Christiaoorom futurus erat.

II. At vero Carthaginem certi jam de Mensurii morte nuncii perlati fuerant: cooveniebantque vicinis ex urbibus Episcopi, qui iodictum populi conventum prudentia et gravitate moderarentur, eumque demum, qui Episcopus designatus esset, ritu sollemni consecrarent. duo erant e Clero Carthaginiensi, qui se hoooris illius candidatos profitebantur, Botrus et Caelestius. hi e re sua ambo fore putabant, si ante comitia haberentur, qoam Episcopus e Numidia Carthaginem ullus perveniret (1). et quia lex nulla eos exspectari jubebat, facile impetrarunt, ut commoni consensu ad suffragia ferenda maturius cooveniretur. sed neutri tamen ea festinatio profuit, et ambitus ipse omnium animos offendit. eo potius honore dignum populus censuit Caecilianum, qoi jamdiu Archidiaconus operam suam Mensurio diligenter navaverat. itaque is, inqoit Optatos (2), *suffragio totius populi eligitur, et manus imponente Felice Autumnitano Episcopus ordinatur: Botrus et Caelestius de spe sua dejecti sunt.* atque haec quidem omnia ordine gesta, nec quidqoam nisi legitime peractum fuerat. exinde tamen eae Carthagine torbae exstitere, quas longa aetas sedare vix potuit: et unde illud discordiarum velut incendium exortum est, quo tota Africa conflagravit.

III. Rem totam Optatus presse dilocideque exposuit, ut ejus omnino verbis referenda sit. *Brevis*, inquit (3), *auri et argenti sedenti Caeciliano, sicuti delegatum a Mensurio fuerat, traditur adhibitis testibus. convocantur supramemorati seniores, qui faucibus avaritiae commendatam ebiberant praedam. quum reddere cogerentur, subduxerunt communioni pedem. non minus et ambitores, quibus et ordinari non contigit: nec non et Lucilla, quae jamdudum ferre non potuit disciplinam, cum omnibus suis, potens et factiosa femina, communioni misceri noluit. sic tribus convenientibus caussis et personis factum est, ut malignitas haberet effectum. schisma igitur illo tempore confusae mulieris ira peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit.* hactenus Optatus, qoi deinde reliquos factionis conatus persequitur: nam illi quidem, quum se aliosque, quotquot potuerant, a Caeciliani communiooe abduxissent, primum caussas confingere caeperunt, ob qoas eum vitio creatom ostenderent, atqoe adeo pontificatu spoliarent: tum, qoia Ecclesia Caeciliano adhaerebat, eomque a se divelli oon patiebator, Episcopum contra illum e factione sua coostituere ausi suut. *Ad Secundum Tigisitanum*, pergit

(1) Optat. *de Schism. Don. lib. I. c.* 18. (3) *ibid. et c.* 19.
(2) *de Schism. Donat. ibid.*

Optatus (4), *missum est, ut Carthaginem veniretur. proficiscuntur omnes supra memorati traditores, suscepti hospitio ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis: non a Catholicis, quorum petitione Caecilianus fuerat ordinatus. interea ad Bnsilicam, ubi cum Caeciliano tota civica frequentia fuerat, nullus de supradictis accessit. tunc a Caeciliano mandatum est, Si est, quod in me probetur, exeat accusator, et probet. illo tempore a tot inimicis nihil in eum potuit confingi; sed de Ordinatore suo, quod ab iis falsa Traditor diceretur, meruit infamnri. iterum a Caeciliano mandatum est, ut si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tamquam ndhuc Dinconum ordinnrent Caecilianum. tunc Purpurius solita malitia fretus, quasi et Caecilianus filius sororis ejus esset, sic ait: Exeot huc, quasi imponatur illi manus in Episcapatu, et quassetur illi caput de poenitentia.* quoniam nempe Caecilianus, non minus snae, quam Felicis Aptungitani innocentiae conscius, si crimen Felicis probaretur, paratum se ostendebat aliorum Episcopornm manibus caput supponere, quo eum tandem rite consecratum faterentur; idcirco Limatensis Episcopus tamquam traditionis reum arguere Caeciliannm voluit, opus esse significans, ut ei manus imponerentur, non ut Episcopus fieret, sed nt in Ecclesiam et ad poenitentiam et ad necem reciperetnr. dictum tamen ejus omnes offendit, et bonorum stndia in Caecilianum vehementius excitavit. *His rebus compertis,* inqnit Optatus(4), *tota Ecclesia Caecilianum retinuit, ne se latronibus tradidisset. conferta erat Ecclesia populis, plena erat Cathedra Episcopnlis: erat altare loco suo, in quo pacifici Episcopi retro temporis obtulerant, Cyprianus, Lucianus et ceteri. sic exitum est foras, et altare contra altare erectum est: et ordinatio illicite celebrata est, et Majorinus, qui Lector in Diaconio Caeciliani fuerat, domesticus Lucillae, ipsa suffragante Episcopus ordinatus est a Traditoribus, qui in Concilio Numidiae, ut superius diximus, crimina sua sibi confessi sunt, et indulgentiam sibi invicem tribuerunt.*

IIII. Acta haec esse constat in Concilio septuaginta Episcopornm, sed praeside Secunda Tigisitano, unaque Purpurio et ceteris ejusmodi notae Episcopis dominantibus, instante Lucilla, ut Augnstinus ait (5), *odiis accensa furialibus*: quae et ingentem pecuniam Episcopis divisit, nt Caeciliano depulso, Majorinum suum in Cathedra Carthaginiensi collocarent (6). primus autem manus imposuisse Majorino totamque initiationem peregisse putandus est, qui et sectae nomen dedit, Donatns Episcopus Casarum Nigrensium. nam Augustinus sic de haeresis origine scribit (7). *Hujus haeresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, et contra Coecilianum Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopum.* sectae subinde angendae omnes adseclae diligentem

(4) *ibid. c.* 19.

(5) *contra Cresc. lib. II. c.* 28. *et* Hieron. *epist.* 133. *ad Ctesiphotem.*

(6) *Act. purg. Caecil. in fine.*

(7) *de haeres. n.* 69.

operam contulerunt, epistolis per omnem Africam missis, ut incautos deciperent, et in sententiam suam partemque pertraherent. *Adhuc Carthagine positi,* inquit Optatus (8), *praecesserunt se epistolis suis, ut rumoribus falsis cunctorum auribus insererent mendacium, sparsa fama per populos: et dum de uno celebrata sunt falsa, supradictorum verissima crimina sub silentio latuerunt.* ipsa autem secta *Pars Donati* ab auctoribus appellari coepit: asseclae eorum, qui *Donatiani* Latino more dicendi erant, *Donatistae* audierunt: quam appellationem Catholici per contemptum induxisse videntur, Graecorum sequuti consuetudinem, qui alios Haereticos a duce Bardesanistas, Apollinaristas, Iovinianistas quandoque nominarunt. eaque ratio placuit, nec alio usquam nomine designati sunt.

v. Interea Constantinus Aug. alpes emensus, ter fusis Maxentii exercitibus, Italiam in fidem suam receperat: mox jam urbi proximus, quum ad Milvium pontem Maxentius in Tiberim actus interiisset, IIII. kal. Novembres Romam victor ingressus est, populumque universum omnemque Senatum non praesentia solum, sed modestia etiam et humanitate beavit. sed quibus magis adventus ejus jucundus optatusque accidisse putandus est, quam Melchiadi Pontifici maximo sanctaeque Ecclesiae, quae tum primum solatorem propugnatoremque suum post tot clades totque hostes Augustum accepit?

(8) *de Schism. lib. I. c. 20.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXIII.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. Fl. Valerius Constantinus III. Imp. C. Valerius Licinius II. quibus Consulibus Indictio prima decurrebat, a Septembri mense anni superioris incohata, quam sequentes aetates notandorum temporum caussa celebraverunt. jam vero in Africam quoque nuncii de victoria Constantini pervenerant, incredibili omnium laetitia, quam et auxit missum illuc tyranni caput, ut quam maxime vivus afflixerat, laceratus expleret (1). accessere etiam Principis beneficia, quae antiquum ejus (2) erga Afros studium rursus testarentur: quamobrem arcus ei et statuae a civitatibus decretae (3), item veteri more Sacerdotium Flaviae genti (4), Cirtaeque oppido jam restituto nomen *Constantina* inditum. sed haec ethnicorum officia fuere: nam horum e numero erant etiamtum Magistratus et Decuriones plerique omnes, quorum haec suffragiis arbitrioque singulis in civitatibus decernebantur. quaedam scilicet veluti compedes animorum semper fuere honorum ambitio et divitiae, ne Christianae professionis sanctitatem constanter ac libere amplecterentur.

(1) Nazar. *Paneg. vI. c. 32.*
(2) v. Maff. *M. V. p. 459. n. 7. et 8.*
(3) *ibid. p. 458. n. 3. et p. 460. n. 1.*
(4) Vict. *de Caes. in Constant.*

II. Inter haec vero Constantinus Ecclesiam prae omnibus et Christianorum felicitatem in oculis ferebat. itaque Anulinum Proconsulem et Patricium Vicarium Praefecti Praetorio Carthaginem missurus, ad se accitos admonuit (5), ne, si qui sanctissimae et Catholicae Ecclesiae populum improba atque adulterina falsitate corrumpere auderent, facinus eorum negligentes, inultum impunitumque dimitterent. subinde quum illi jam in Africam pervenissent, edoctus, de antiquis Ecclesiarum bonis quaedam esse, quae sibi Decuriones multis in civitatibus per vim vindicassent, mandata Anulino dedit (6), ut instantia ejus atque opera, sive horti sive aedes, seu quodcumque aliud ad jus earundem Ecclesiarum pertineret, cuncta illis quamprimum restituerentur. nec tamen hoc illi satis visum est, nisi et sacrum Ecclesiae ministerium foreusibus curis et molestia omni publica liberaret. exstat ejus ad Proconsulem eundem epistola, in qua praefatus, plurimum interesse reipublicae, ut religio illa, in qua summa divinae majestatis reverentia custoditur, sancte studioseque retineatur, placere sibi significat (7), Vt homines illi, qui cum debita sanctimonia et adsidua hujus legis observantia ministerium suum divinae religionis cultui exhibent, laborum suorum mercedem ferant. *Quocirca*, inquit, *eos homines, qui intra provinciam tibi creditam in Ecclesia Catholica, cui Caecilianus praeest, huic sanctissimae religioni ministrant, quos Clericos vocare consueverunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari: ne errore aliquo aut casu sacrilego a cultu summae divinitati debito abstrahantur, sed ut potius absque ulla inquietudine propriae legi deserviant.* jamvero Ecclesiis ab optimo Principe recreatis, Clerus tamen restabat, cujus inopia liberalitate ejus levaretur. neque ille munificentiae suae fontes huic interclusos esse diu passus est. nam quum Hosius Episcopus Cordubensis, cujus consiliis plurimum utebatur, rationem ei quamdam pecuniae distribuendae proposuisset, scripsit ipse ad Caecilianum (8), placere sibi, ut per omnes provincias Africae, Numidiae et utriusque Mauretaniae certis quibusdam legitimae et sanctissimae religionis Catholicae ministris ad sumptus necessarios aliquid praeberetur: propterea litteras a se missas ad Ursum Rationalem Africae, quibus tria millia follium ei numerare jubebatur, id est scutatorum nummorum millia amplius septuaginta. *follem* enim tum appellabant ἀϑροισμα sive summam milliarensium nummorum CXXV. sacculo uno conclusorum, qui argenteum didrachmum singuli prope aequabant (9). eam autem pecuniam ex Hosii praescripto distribui se velle addebat; ac si plus aliquid opus esset, ab Heraclide Procuratore praediorum ejus ut peteret, hortabatur; nam ei mandata dederat, ne quid Caeciliano petenti denegaret.

III. Haec prima Constantinus amoris studiique sui erga Ecclesiam Africanam documenta dederat; quae sane Donatistas ad meliorem frugem

(5) Euseb. *H. E. lib. x. c.* 6.
(6) Euseb. *ibid. c.* 5.
(7) *apud eund. ibid. c.* 7.
(8) Euseb. *ibid. c.* 6.
(9) v. Petav. *in Epiph. T. II. p.* 431.

revocare debebant, quum perspicuum jam esset, nihil Principi antiquius esse, quam ut dissidio sublato omnes in Catholica Ecclesia censerentur, quam solam ipse fovebat, et decretis amplissimis honestabat. at illi contra acerba odii invidiaeque offensione vehementius incitati, Caecilianum mendaciis impudentissimis onerare coeperunt: conventu etiam habito, libellos binos conscripsere, quos Proconsuli publice traderent, ut ad Augustum transmitteret (10). continebat primus crimina Caeciliani, titulumque praeferebat hujusmodi, *Libellus Ecclesiae Catholicae criminum Caeciliani traditus a Parte Majorini.* se nempe Catholicos jactabant, ut Augusti gratiam aucuparentur. alter epistola erat, qua Constantinum rogabant, ut judicibus datis Africanae Ecclesiae controversias dirimeret. cujus summam Optatus bis verbis refert (11): *Rogamus te, Constantine optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter ceteros Imperatores persequutionem non exercuit, et ab hoc facinore immunis est Gallia. nam in Africa inter nos et ceteros Episcopos contentiones sunt: petimus ut de Gallia nobis judices dari praecipiat pietas tua. Datae a Luciano, Digno, Nasutio, Capitone, Fidentio et ceteris Episcopis Partis Donati.* in Galliis scilicet tum versabatur Augustus, eo profectus, ut Francos, qui rebellaverant, bello coerceret: atque illic libellos Donatistarum ab Anulino missos accepit. quamquam vero plurimum indignabatur, tantum discordiarum exsistere inter Episcopos, quos Deus pacis auctores conciliatoresque esse vellet, morem tamen factioni illi gessit, insignesque Galliarum Episcopos tres, Maternum Agrippinensem, Reticium Augustodunensem, Marinum Arelatensem designavit, qui Romam ad Melchiadem pergerent, et quindecim aliis cum Episcopis, quos eodem convenire jusserat (12), de tota caussa cognoscerent. scripsit et ad Melchiadem (13), apud quem judicium illud institui debebat, se jam statuisse, ut Caecilianus una cum decem Episcopis, qui eum accusare viderentur, et cum decem aliis, quos ipse ad suam caussam necessarios esse judicasset, Romam navigaret: tres vero e Galliis Episcopos a se delectos, qui simul judices sederent; libellos etiam Donatistarum missos, ut de controversia quisque ante ipsum judicium edoceretur. rogabat autem, ut meminisset, tantam a se reverentiam sanctissimae Ecclesiae Catholicae exhiberi, nihil ut magis cuperet, quam dissidium nusquam esse, et omnes discordiarum fontes praecludi.

III. Jamvero quotquot adesse jussi fuerant, *Convenerunt,* inquit Optatus (14), *in domum Faustae in Laterano, Constantino tertium et Licinio tertium Consulibus, sexto nonas Octobris die, sexta feria.* consedisse autem dicuntur hoc ordine, Melchiades Episcopus urbis Romae, et Reticius et Maternus et Marinus Episcopi Gallicani et Merocles a Mediolano: tum Florianus a Siuna, Zoticus a Quintiano, Stennius ab

(10) Aug. *epist.* 88. *n.* 2.
(11) *de Schism. Don. lib. I. c.* 22.
(12) Optat. *ibid. c.* 23.
(13) Eus. *H. E. lib.* x. *c.* 5.
(14) *de Schism. Don. c.* 23. *et* 24. v. Cason. *de libert. Eccl. Gall. lib.* v. *c.* 4.

Arimino, Felix a Florentia Tuscorum, Gaudentius a Pisis, Constantius a Faventia, Proterius a Capua, Theophilus a Benevento, Sabinus a Terracina, Secundus a Praeneste, Felix a tribus Tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Ursino, Donatianus a Foro Claudii. ceterum nonnulla urbium nomina vexata esse apparet. *His decem et novem consedentibus Episcopis*, pergit Optatus, *caussa Donati et Caeciliani in medium missa est:* quam tribus diebus agitatam, aliunde novimus (15). *a singulis in Donatum sunt hae sententiae latae: Quod confessus sit rebaptizasse, et Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est. testes inducti a Donato confessi sunt, se non habere quod in Caecilianum dicerent. Caecilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronunciatus, etiam Miltiadis sententia, qua judicium clausum est his verbis: Quum constiterit, Caecilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit: suae communioni Ecclesiasticae integro statu retinendum merito esse censeo.* meminit hujus judicii Augustinus (16), *Et qualis*, inquit, *ipsius beati Melchiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica! qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, et Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandae optionem liberam ceteris fecit: paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret; ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior: alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur.* quam quidem Melchiadis regulam Africana Ecclesia sequuta est, honore Episcopatus iis omnibus conservato, qui secundi in Ecclesia inventi essent, quamdiu alias sedes vacare comperisset, in quibus eos collocaret.

v. Ab hoc tempore nec Majorini, quem Donatistae Carthaginiensem Episcopum appellatum Caeciliano opposuerant, nec Donati Casarum Nigrensium Episcopi, qui secessionis auctor sectam inchoaverat, mentio ulla apud veteres occurrit. quare veri mihi simile videtur, utroque demortuo, actum hoc anno esse a Donatistis de successore Majorini designando: placuisse autem vel ipso nomine Donatum Carthaginiensem, ut appellationem, quae jam adriserat, retinerent: atque hunc demum esse designatum, quo duce bellum contra Catholicos susceptum aliquando conficeretur. certe unum hunc Donatum Carthaginiensem Optatus exinde memorat, et perpetuum Caeciliani adversarium demonstrat, qui se primum Episcoporum jactabat, tantum de Episcopis suis, teste Optato (17), exigere ausus, *ut eum non minori metu omnes venerarentur, quam Deum.* porro et nomine ipso antesignani illius sui e Numidia delectatos Donatistas,

(15) *ex capit. Coll. Carth. diei III. n.* 323.

(16) *epist.* 43. *n.* 16.

(17) *de Schism. lib. III. c.* 3. v. Noris. *T. III. p.* 632.

Episcopi eorum declarant eadem appellatione insignes, qui consulto nomen illud sibi adscivisse putandi sunt, ut apud suos gratiam inirent. plures enim eo nomine cientur, quam ut casu aliquo id omnes a pueris invenisse videri possiot.

vI. Donatum denique alterum commemorare liceat summis laudihus quam dignissimum, id temporis senescentem, qui olim ex Africa cum Lactantio Nicomediam concessisse videtur, et ibidem postea praeclaris confessionihus inclaruisse. sic enim eum Lactantius in libro *de mortibus persequutorum*, quem ei post alterum *de ira Dei* dicaverat, familiariter adloquitur (18): *Verum quid opus est illa narrare, praecipue tibi, Donate carissime, qui praeter ceteros tempestatem turbidae persequutionis expertus es? nam quum incidisses in Flaccinum Praefectum non pusillum homicidam, deinde in Hieroclem ex Vicario Praesidem, qui auctor et consiliarius ad faciendam persequutionem fuit, postremo in Priscillianum successorem ejus, documentum omnibus invictae fortitudinis fuisti. novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosa confessione vicisti, novem proeliis Zabulum cum satellitibus suis debellasti: novem victoriis saeculum cum suis terroribus triumphasti.* et quae deinceps.

(18) *c.* 16. *n.* 3.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXIIII.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. **Annum** incoharunt Consules C. Cejonius Rufius Volusianus II. et Annianus: hisque Consulibus duo Christiani nominis hostes interiere, Diocletianus et Maximinus, quum jam Religio Christiana, quam ipsi delere conati erant, non modo pulcrius floreret, sed etiam in Imperatoria domo atque in Principe ipso dominaretur. Romae vero Melchiades, quum tertium pontificatus sui annum ageret, et confectam Ecclesiae pacem vidisset, ad aevi sempiterni tranquillitatem translatus, IIII. idus Ianuarias, honoris sui sedem Silvestro vacuam reliquit, qui in ejus locum pridie kal. Februarias Pontifex maximus renunciatus est.

II. At qui Romam ad Concilium anno superiore convenerant, ad Ecclesias quisque suas reversi jam erant. ceterum in Africa quamquam, ut ad Ianuarium Donatistam scribebant olim Clerici Hipponenses (1), *post pacificum moderamen judicii Episcopalis, omnis contentionis et animositatis pertinacia debebat exstingui;* Donatistae tamen nihil tum minus, quam modestiam et concordiam cogitabant. ac primum ut Melchiadis judicium infirmarent, ipsum etiam Traditionis insimulare caeperunt (2): deinde, quum nihil evincere possent, et Caecilianum tamen perdere vellent, aliam viam iniere. dictitare enim ausi sunt, Concilium illud Romanum celeri-

(1) apud Aug. *epist.* 88. *n.* 3. (2) Aug. *Brevic. Coll.* 3. *c.* 18.

tatis et festinationis plenum fuisse (3), nec Patres omnia adseqoutos esse, quae ad caossam pertinerent. nibil magis compertnm haberi, quam Caecilianum ab eo initiatum fuisse, qui olim sacra volumioa prodidisset, eamqne ob canssam ab tali Episcopo esse secedeodum. haec vero omnia ad Constantinum perferebantur. quio etiam a Donatistis noonulli submissi sunt io Gallias usque, ut eum a Caeciliaoo alienatum factioni suae conciliarent (4). neque hi omnem operam perdiderunt: nam urgeodo instandoque impetrarunt, ut Coostantinus in Felicem Aptuogitaoum publico judicio inquiri juberet. successerat Anulino Proconsuli Aelianos, Patricio Vicario Verus: huic maodatum ab Augusto, ut de Felicis caussa cognosceret. sed quum ille in morbum incidisset, eam deinde coram Aelianos Procoosul suscepit, judiciumque incohavit XV. kal. Martias (5). *Sedit*, inqoit Optatus (6), *is, cui erat indictum: inducti sunt Claudius Saturianus Curator Reipublicae, qui fuit tempore persequutionis in civitate Felicis, et Curator praesentis tunc temporis, quando caussa flagitabatur, Callidius Gratianus, et Magistratus Alfius Caecilianus, sed et Superius stationarius perductus, et Ingentius scriba publicus pependit sub metu imminentium tormentorum. responsis omnium nihil tale inventum est in vita Felicis Episcopi, propter quod ordinare non potuisset.* manebat antem Optati aevo integrom volnmen Actorom, qood ad nos maocum pervenit, sed tamen ejusmodi, ut et adversariorum fraus appareat, et somma Aeliani diligeotia prodator. eoim vero jndicio absoluto, ea sententiae pars, quae Felicem respiciebat, sic a Procoosole pronunciata dicitur (7), *Felicem autem religiosum Episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum Deificorum manifestum est, quum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit. omnium enim interrogatio suprascripta manifestata est, nullas scripturas Deificas vel inventas vel corruptas vel inceusas fuisse. hoc Actis continetur, quod Felix Episcopus religiosus illis temporibus neque praesens fuerit, neque conscientiam accommodaverit, neque tale aliquid fieri jusserit.* hic judicii exitns fuit, Felix vero, nt oit Optatus, *pulsa atque extersa infamia, cum ingenti laude de illo judicio recessit.*

III. Post haec Aelianus Augustum de tota caussa certiorem fecit: isque, qoum jam Aeliano successorem misisset Probianum, ad hnoc scripsit, ut Ingentium scribam pnblicum, qoi litteras magistratns Aptungitani adnlteraverat, ad se transmitteret, eo nempe coosilio, ut Donatistas, qoi molestiam ei quotidianam exhibebant, testimonio ejusmodi coërceret, atque ad coocordiam deoique revocaret: *Vt illis*, inqoit (8), *qui in praesentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt, audientibus et coram adsistentibus apparere et intimari possit, frustra eos Caeciliano Episcopo invidiam comparare, atque adversus eum violenter*

(3) Euseb. *H. E. lib. x. c.* 5. *etc.*
(4) Aug. *epist.* 105. *n.* 8.
(5) Aug. *post Coll. c.* 33.
(6) *de Schism. Don lib. I. c.* 27.
(7) *in Gest. purg. Fel. in fin.*
(8) apud Aug. *epist.* 88. *n.* 4.

insurgere voluisse. ita enim fiet, ut. omissis, sicut oportet, ejusmodi contentionibus, populus sine dissensione aliqua religioni propriae cum debita veneratione deserviat. verum non is erat in illis pudor, quem Constantinus putabat, neque veritatis studium aut religionis cura, sed ambitio, odium, invidia dominabatur. quare nihil eo consilio profecit, et clamoribus eorum querelisque eo adductus est, ut judicium rursus de Caeciliano institui pateretur. vocati undique ex Occidente in Gallias Episcopi, atque Arelate convenire jussi ante kalendas Augustas, qui dies Concilii primus futurus erat. scripsit ipse Constantinus ad Ablavium, qui Vero Vicario successisse creditur, ut Caecilianum cum iis, quos socios delegisset, item adversarios ejus, et e singulis Africae provinciis singulos Episcopos, et quos ipsi comites sibi adscivissent, data evectione publica per Africam et Mauretaniam transmittere in Hispanias juberet, ut inde Arelate contenderent (9). scripsit etiam Episcopis, ut apparet, singulis eodem exemplo, quamquam unam tantum epistolam refert Eusebius, quae Chresto Episcopo Syracusanorum missa fuit (10). nam caussa iudicendi Concilii exposita, haec subnectit: *Quoniam igitur plurimos ex diversis ac prope infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intra kalendas Augusti jussimus convenire; tibi quoque scribendum esse censuimus.* unicuique autem significatum jure duxeris, a quo evectionem petere deberet: Chresto enim sic scriptum est: *Vt accepto publico vehiculo a viro clarissimo Latroniano Correctore Siciliae, adjunctis tibi duobus secundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis, qui in itinere vobis ministrare possint, intra eumdem diem ad praedictum locum occurras.* quae caussa Silvestrum, ne eodem proficisceretur, in urbe retinuerit, ignoramus: at missos ab eo fuisse novimus Claudianum et Vitum Presbyteros, Eugenium et Cyriacum Diaconos. de omnium Episcoporum numero incerta feruntur: nam in Actis, quae nec integra nec emendata accepimus, ne quinquaginta quidem cientur: at plures fuisse, Constantini litterae ad Episcopos satis declarant: nec tamen cum Isidoro sexcenti, aut cum aliis ducenti convenisse putandi sunt: quum Augustinus tantum Episcoporum numerum Donatistis non opposuerit, qui Concilium LXX. Episcoporum a suis celebratum contra Caecilianum saepe jactabant. ipsae vero temporis angustiae obfuisse videntur, ne plurimi adesse possent: neque enim conventum illum ante kalendas Majas indictum crediderim, quum de Concilio Augustus non ante deliberaverit, quam Ingentius scriba a Probiano Proconsule ad eum missus esset.

IIII. Iam quid de Caeciliani caussa Patres judicaverint, etsi Acta periere, ipsius sub scriptio declarat. tum in epistola, quam ad Silvestrum scripsere, Donatistas a se damnatos diserte ostendunt. *Communi*, inquiunt (11), *copula caritatis et unitate matris Ecclesiae Catholicae vinculo inhaerentes, ad Arelatensium civitatem piissimi Imperatoris voluntate ad-*

(9) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 259. v. Baron. *ad an.* 314.

(10) *H. E lib. x. c.* 5.

(11) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 261.

ducti, inde te, gloriosissime Papa, commerita reverentia salutamus: ubi graves ac perniciosos legi nostrae atque traditioni, effrenataeque mentis homines pertulimus. quos et Dei nostri praesens auctoritas, et traditio ac regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus aut probatio conveniret. ideo judice Deo et matre Ecclesia, quae suos novit et comprobat, aut damnati sunt aut repulsi. iidem porro cum alias leges, quas Ecclesia omnis servaret, tum duas etiam condiderunt, quae ad Afros potissimum pertinerent, et paci confirmandae prodesse plurimum possent. nam quum inter Donatistas vetus sententia revixisset, haereticos qui ad Ecclesiam venirent, baptismo esse abluendos, Patres hunc canonem edidere (12): *De Afris autem, quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut ad Ecclesiam si aliquis haereticus venerit, interrogent eum symbolum: et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus tantum ei imponatur. quod si interrogatus symbolum, non responderit Trinitatem hanc, merito baptizetur.* lex altera fuit, qua Episcoporum securitati consulebatur, ne delatorum licentia honoris auctoritas impune perfringi posset. sic enim statuerunt (13): *De his, qui Scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa Dominica vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, ut quicumque eorum ex Actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine Cleri amoveatur. nam si iidem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, et de his, quos or... verint ratio subsistit, non illis obsit ordinatio. et quoniam multi sunt, qui contra Ecclesiasticam regulam pugnare videntur, et per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere, omnino non admittantur, nisi, ut supra diximus, Actis publicis docuerint.*

V. His in Concilio peractis, quosdam e Donatistis, qui aderant, resipuisse, ex Constantini litteris ad Patres Arelatenses manifestum est. quum enim ab his litteras accepisset, quae Concilii Acta continebant, ad eos rescribens ait: *Gaudeo igitur equidem specialiter, gaudeo, quod tandem habita justissima dijudicatione, eos ad meliorem spem fortunamque revocastis, quos malignitas Diaboli videbatur a praeclarissima luce legis Catholicae sua persuasione avertisse* (14). sed idem etiam nos docet, multos fuisse, qui pertinaces obdurescerent, et Concilii sententiam animo obfirmato respuerent. *Et hoc quidem*, inquit, *sanctissimi fratres, sperabam etiam in eis, quibus ingenita est maxima durities animi, posse deprehendi. sed non profuit apud eos recta dijudicatio, neque in eorum sensus ingressa est divinitas propitia.* ac subinde ausos quoque esse testatur, a Concilio ad Imperatorem appellare. *Meum*, inquit, *judicium postulant, qui ipse judicium Christi exspecto. dico enim ut se veritas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare,*

(12) *ibid. can. VIII. p.* 264.
(13) *ibid. can. XIII. p.* 265.
(14) Hard. *Concil. T. I. p.* 268.

nisi quod Christi magisterio sunt edocti. quid igitur sentiunt maligni homines, officia, ut vere dixi, Diaboli? perquirunt saecularia, relinquentes caelestia: o rabida furoris audacia! sicut in caussis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. ceterum Princeps optimus idemque mitissimus atque humanissimus, quum impudentissimam nefariae factionis pertinaciam agnosceret, auctor tamen Patribus fuit, ut discedere etiamtum supersederent, si forte invitati rursum, ad concordiam denique reverterentur. *Equidem*, ajebat, *fratres carissimi, licet haec in ipsis videantur deprehensa, nihilominus vos, qui Domini Salvatoris sequimini viam, patientiam adhibete, data his adhuc optione, quid putent deligendum: ac si eos in iisdem videritis perseverare, protinus cum his, quos Dominus dignos cultu suo judicavit, proficiscimini et redite ad proprias sedes.* demum ut fiduciam Donatistis adimeret, furoremque eorum, qui diuturna impunitate alebatur, terrore poenae comprimeret, haec simul adjecit: *Ceterum direxi meos homines, qui eosdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, ut ibi degant, ibi sibi mortem pervideant. dedi quoque litteras competentes ad eum, qui Vicariam praefecturam per Africam tuetur, ut quotquot hujus insaniae similes invenerit, statim eos ad comitatum meum dirigat: ne ulterius sub tanta claritate Dei nostri ea ab ipsis fiant, quae maximam iracundiam caelestis providentiae possint incitare.* haec ille: sed spes ejus fallaces, et cogitationes inanes fuerunt. Patres vero post omnia officia ad Ecclesias suas, egregie quidem navata opera, sed pace ob adversariorum contumaciam infecta, rediere.

VI. Consularis provinciae Byzacenae fuisse hoc anno videtur, qui deinde Proconsul Africae factus est, Aconius Catullinus. ad eum enim missam legem accepimus (15), qua sanciebatur, ne quem judex capitali poena puniendum ante pronunciaret, quam aut sua confessione, aut certe omnium, qui tormentis vel interrogationibus fuissent dediti, in unum conspirantem concordantemque rei finem convictus esset. in quo sane Constantini aequitas et clementia elucet. proposita ea lex dicitur Adrumeti XV. kal. Maii.

(15) *Cod. Theod. lib. VIIII. Tit. XI. L. 1.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXV.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM Augusti susceperunt, absentes ambo, Imp. Fl. Valerius Constantinus IIII. Imp. C. Valerius Licinius IIII. pertinet ad hunc annum Constantini lex ad Eumelium, quem jam Ablavio suffectum, Africae Vicarium constituerat, de stigmatis poena in facie damnatorum in ludum aut in metallum deinceps omittenda, traducendaque ad manus et suras,

Quo facies, inqnit (1), *quae ad similitudinem pulcritudinis caelestis est figurata, minime maculetur.* data lex dicitur XII. kal. Apriles, Cabillooo, quod Cabalis Thraciae oppidum esse putatur: hoc quippe anoo in Pannonia ille et finitimis in regionibus versatus est. eodem tempore Crucis quoqoe supplicium sustnlisse creditur (2): quo dictum pertioet Augustioi de leso Domioo (3): *Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus saeculi, prius honoravit crucem in hoc saeculo; ut terrarum Principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi.*

II. Ioterea Donatistae propositum urgebant, atqoe ab Augusto efflagitabant, nt in Caeciliani caussa judex ipse sederet, ipse controversiam aliqoando dirimeret: quod et in Episcopos, qui jure optimo senteotiam jam tulerant, contumeliosom erat, et Coostantino ipsi vanum atque inutile videri debebat; qoi saepe jam expertus fuerat, omoia illis potiora esse, qoam pacem, oec aliud jodicium probari posse, qoam quo Caeciliaous damoaretur. haec tameo oblitus, et eorom fraude deceptns, quos poenae loco apud se habere voluerat, quartum Dooatistis se dedidit, moremque gessit, seotentiam ipse de iis prolaturus, quos duo jam Coocilia anditos rejecerant. *Atque utinam* scribebat postea Augustinus (4), *saltem eis ipse ipsius judicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque ut cessit, ut de illa caussa post Episcopos judicaret, a sanctis antistitibus postea veniam petiturus; dum tamen illi quod ulterius dicerent, non haberent, si ejus sententiae non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt, sic et illi aliquando cederent veritati!* jamvero iu Africa ipsa per arbitros a se delectos de hac caussa cogoituros erat Constantinus, eoqoe e Galliis remittendos cnraverat Donatistas Episcopos, qui post Arelatense Concilium Treviros adducti fuerant (5). sed qunm reditum io urbem pararet, Romae, motato coosilio, se eos auditoros edixit: itaque et Caecilianum et adversarios eo proficisci jussit. tantam autem de Caeciliani integritate atque innocentia opioionem habebat, ut polliceri non dubitaverit, si praesente ipso de uno tantnm crimine vel facioore ejus aliqnid illi coram probavissent, id apud se fore, ac si nniversa, quae illi objiciebant, probata esse videreotur. gratae porro eae litterae Donatistis fueront, et accusatione adoroata, mature Romam parati atqae iostructi advolarunt. at Caeciliaous sive morbo implicitus, sive oavigatione usos parum secunda, serius, quam opus erat, ad Italiam appulit. jam eoim Augostus Roma digressus Mediolaoum pergebat, eoqne Caeciliani accnsatores subsequi jusserat vel iovitos. *Interpellatus ab eis*, ioquit Aogustinos (6), *praecepit, ut Mediolanum sequerentur. tunc se aliqui eorum subtrahere caeperunt, fortasse indignati, quia non est eos imitatus Constantinus, ut jam statim atque velociter Caecilianum damnaret absentem.*

(1) *Cod. Theod. lib.* VIII *tit.* XL. *L.* 2.
(2) Vict. *de Caesar. in Constant.* v. Lipss. *de Cruce lib.* III. *c.* 14. Sozom. *H. E. lib. I. c.* 8.
(3) *Serm.* 88. *c.* 9.
(4) *epist.* 43. *cap.* 7. *n.* 20.
(5) *ex epist. Constant.* post Optat. *Pin. p.* 187.
(6) *ibid. c.* 7. *n.* 20.

quod ubi cognovit providus Imperator, reliquos ab officialibus custoditos fecit Mediolanum pervenire. ampliata igitur Caeciliani caussa est, litteraeque in Africam ad Celsum Eumelii successorem ab Augusto missae contra eos, qui aufugerant; quo turpissimo facto confessi videbantur, ut ipse ait, *ad ea se redire properare, quae et ante fecerant, et tunc agere perseverarent.* quia vero Caecilianum ex Africa nondum solvisse putabat, sibique demum ad tollendam discordiam eo transmittendum censebat, de adventu quoque suo illa adjecit: *Verum lecta hac epistola, tam Caeciliano, quam iisdem palam facias, quod quum favente pietate divina Africam venero, plenissime universis, tam Caeciliano, quam his, qui contra eum agere videntur, lecto dilucido judicio, demonstraturus sum, quae et qualis summae divinitati sit adhibenda veneratio.* tum et minatus est, omnia se crimina singulorum indagaturum, poenasque de iis sumpturum, qui religionem perverterent, et Martyrum honores contra fas sectae suae vindicarent.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXVI.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Signant hunc annum Consules Fl. Rufius Cejonius Sabinus, Q. Aradius Rufinus Proculus. his Consulibus jam Italiam ingressus Caecilianus Mediolanum contendebat, ubi Donatistae eum accusaturi consederant. sed Constantinus dudum in Gallias excurrerat, ac Treveris degebat. illic enim legem ab eo III. idus Ianuarias promulgatam novimus (1), quae ad Domitium Celsum Vicarium Africae missa fuit, de matrefamilias e domo sua in publicum non protrahenda. aliae item leges eum in Galliis usque ad mensem Augustum mansisse ostendunt. tum vero et binae illae leges ab eo conditae, ut Ecclesiis jus esset manumittendi: quarum altera Protogeni Episcopo Sardicensi, altera Hosio Episcopo Cordubensi inscripta est (2).

II. Interea Donatus Mediolani reditum in Africam cogitabat, et Philumeno suffragatore impetraverat, ut Caecilianus Brixiae consistere juberetur (3). sed illi quidem Mediolano pedem efferre vetitum est; in Africam vero ex iis, opinor, Episcopis, qui Arelate biennio ante judices consederant, bini sunt missi, Eunomius et Olympius, non ut novum Episcopum Carthaginiensibus darent, Caeciliano et Donato rejectis et Pontificatu abire jussis: id enim contra Melchiadis judicium et Arelatensis Concilii decretum plane fuisset; verum ut concordiae auctores essent, atque, factionum ducibus absentibus, feroces dissidentium animos ad studia pacis revocarent. *Venerunt*, inquit Optatus, *et apud Carthaginem fuerunt per dies quadraginta, ut pronunciarent, ubi esset Catholica. hoc sedi-*

(1) *Cod. Theod. lib. I. Tit. x. L. 1.*
(2) *Cod. Just. lib. I. Tit. XIII. L. 1. et 2.*
(3) Optat. *de Schism. lib. I. c. 26.*

tiosa pars Donati fieri passa non est: de studio partium strepitus quotidiani sunt habiti: novissima sententia eorundem Episcoporum Eunomii et Olympii talis legitur, ut dicerent illam esse Catholicam, quae esset in toto orbe terrarum diffusa, et sententiam decem et novem Episcoporum jamdudum datam dissolvi non posse. sic communicaverunt Clero Caeciliani, et reversi sunt. jam vero Septembri mense Mediolanum reversus Constantinus, et quae in Africa dudum contigerant, edoctus, animum denique induxit criminationes Donatistarum audire: ut qui de caussa sua apud Principem quoque experti essent, omni jam exitu intercluso, capti quodammodo ac revincti, quo effugerent aut quid molirentur, non haberent. igitur Caeciliano Brixia accito, et Donatistis admissis, judicium Octobri extremo incohatum est (4). sedebat ipse Augustus, arbitris omnibus remotis, audiebat, interrogabat: datum cuique, ut quae attulisset, exponeret; eaque omnia patientissimis auribus excepta, accurateque examinata. judicio tandem peracto, *cognitaque*, ut Augustinus ait (5), *caussa, qua diligentia, qua cautela, qua provisione, sicut ejus indicant litterae, Caecilianum innocentissimum, illos improbissimos judicavit.* eae autem litterae sunt, quas ad Eumalium Vicarium, Celsi successorem, in Africam scripsit IIII. idus Novembres (6), e quibus haec Constantini verba excerpsit nobisque servavit ille idem, quum Cresconium refutaret (7): de judicio nempe scribens Augustus, quod paullo ante reddiderat, *In quo*, inquit, *pervidi, Caecilianum virum omni innocentia praeditum, ac debita religionis suae officia servantem, eique ita, ut oportuit, servientem: nec ullum in eo crimen reperiri potuisse, eidem apparuit, sicut absenti fuerat adversariorum suorum simulatione compositum.*

III. Iamvero Donatistae se perculsos et abjectos esse sentiebant: sed non ideo animum desponderant, aut de factione, quam in Africa reliquerant, penitus desperaverant. ac Donatus quidem illuc adspirans, exsiliique, ut opinor, metuens poenam, Mediolanum reliquit, et *ultro prior*, ut Optatus scribit (8), *Carthaginem rediit:* quo scilicet sectam suam praesens tueretur, ac defectionem cogitantes in officio contineret. id vero ut rescivit Caecilianus, sibi quoque eodem properandum existimavit, quo adversarium reprimeret, Ecclesiamque suam invicto animo ac summa fide defenderet. *Hoc modo*, addit Optatus, *iterum renovellatae sunt partes.* nec dubito, jamtum a Donato opuscula illa emitti coepisse, quae Hieronymi aevo multa exstabant (9) ad haeresim illius pertinentia, quibus tota pene Africa, et maxime Numidia decepta est. quamquam sectae ille suae commenta aliis erroribus cumulavit; et scripta ejus memorabat postea Augustinus (10), ubi appareret, eum etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam; *Sed quamvis ejusdem substantiae,*

(4) Aug. *post Coll. Carth. c.* 33.
(5) Aug. *epist.* 43. *c.* 7. *n.* 20.
(6) Aug. *post. Coll. Carth. c.* 33.
(7) *lib. III. c.* 71. *n.* 82.
(8) *de Schism. lib. I. c.* 26.
(9) Hier. *de vir. illustr. c.* 93.
(10) *de haeres. n.* 69. v. Noris. *Hist. Donat. P.* 2. *c.* 3. *et* 4.

minorem tamen Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum sanctum. verum, inquit, *in hunc, quem de Trinitate habuit, errorem, Donatistarum multitudo non intenta fuit, nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur.* ut autem judicii ejus vim infringeret, quo a Principe etiam et ipse damnatus, et Caecilianus absolutus fuerat, Constantinum quoque in invidiam vocare ausus est, eumque gratia corruptum criminari (11). Hosius simul in primis accusabatur, qui apud eum plurimum gratia valebat, idemque Caeciliani studiosus erat (12). his artibus firmata factio latius in dies invaluit, et Catholicis omnibus terrori esse coepit.

(11) *Aug. contra epist. Parm. lib. I. c. 6.* *Diss. 1. p. 10.*
(12) *Aug. ibid. c. 5. et 8. v.* Macedae Hosium

ANNUS CHRISTIANUS CCCXVII.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Ovinius Gallicanus, Septimius Bassus. Augustorum filii hoc anno Caesares appellati sunt, Constantini quidem Crispus et Constantinus, Licinii vero Licinianus. Proconsulem Africa habuit Aconium Catullinum, ad quem xv. kal. Majas data Sardicae lex est de vi publica et privata (1): ut qui manifestam violentiam commisisset, capitali supplicio plecteretur, nec ei appellandi jus esset. eodem, opinor, anno Constantinus, quum nuncii ad eum de Donatistarum audacia conatibusque venissent, leges eas promulgavit, quas memorat Augustinus (2), ut iis Basilicae auferrentur, utque (3) res convictorum et unitati pervicaciter resistentium fisco vindicarentur.

II. Enimvero Donatistae, legibus iis in Africa propositis, tanto in Catholicos odio exarsere, ut vim palam et caedem minitarentur (4). qui Basilicas retinere non potuerant, novas aedificare coeperunt: qui nondum amiserant, armis defendere ausi sunt. atque inde ortum habuere Circumcelliones, furiosi illi Donatistarum satellites, perditissima fex populi et agrestium latronum multitudo ad omne facinus congregata: quos impune per Africam diu nimium debacchatos aegre tandem immissi exercitus sustulerunt. nam quum fraudibus et fallaciis nihil factio adsequuta esset, nec criminationibus et judiciis locus restaret ullus; ne victa succumberet, arma demum sumenda duxit, atque in apertum latrocinium erupit.

(1) *Cod. Theod. lib. VIII. Tit. X. L. 1.*
(2) *contra litt. Petil. lib. II. n. 205.*
(3) *epist. 93. c. 4. n. 14.*
(4) *Opt. de Schism. lib. III. c. I.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXVIII.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi hoc anno Imp. C. Valerius Licinius v. Fl. Valerius Crispus Caesar. at Constantinus Sirmii de republica bene merebatur, praeclaris legibus conditis, e quibus binae in Africam missae, altera ad Catullinum Proconsulem de dilatione a procedente judice non postulanda (1), altera ad Verinum Vicarium de parricidarum poena veteri repetenda (2). ceterum in cohibendis Donatistis infelix opera ejus et studium erat. nam hi, contemptis legibus, Caecilianum, quique cum eo sentiebant Catholicos, rursus tamquam proditorum atque idololatrarum progeniem aversabantur; tum, quod schisma tantum videbatur, jam haeresim fecerant, sectamque diversa sequentium. Catholicos enim, qui ad eos transibant, auso improbo baptizabant. unde Augustinus Cresconium refutans haereticos eos demonstrabat (3): *Sed quoniam*, inquit, *nec nullum est, nec aliquid parvum, quod diversum sequimini, quum ab unitatis vinculo separati, etiam de repetitione Baptismi dissentitis a nobis; fit, ut secundum istam ipsam definitionem tuam, qua dixisti, Haeresis est autem diversa sequentium secta, et haeretici sitis, et victi appareatis: haeretici quidem, quod non tantum divisi, verum et in rebaptizando diversum sequimini: victi autem, quia datum per nos baptismum, tamquam non ipsum, vel tamquam nullum sit, iteratis, quod unum atque idem nec diversum esse fatemini. tua quippe verba sunt, quod Nobis vobisque sit una religio, eadem sacramenta, nihil in Christiana observatione diversum.* quamquam alia insuper scelera Donatistarum sectam nomenque dehonestabant. mitto insitum in Catholicos odium atque infinitam calumniandi licentiam, infamem libidine vitam, ebriositates, foenus et usuras, alia hujusmodi, quae passim in Augustino occurrunt; incredibile dictu est, quantum in vi facienda audaces, injusti, crudeles fuerint: postquam nempe Episcopi eorum plerique armigeros stipatoresque circa se habere, et cohortes illas Circumcellionum conscribere coeperunt. *Quis non dominus*, inquit Augustinus (4), *servum suum timere compulsus est, si ad illorum patrocinium confugisset? quis eversori minari saltem audebat? quis consumptorem apothecarum, quis quemlibet poterat exigere debitorem, auxilium eorum defensionemque poscentem? timore fustium et incendiorum mortisque praesentis, pessimorum servorum, ut liberi abscederent, tabulae frangebantur: extorta debitoribus chirographa reddebantur. quicumque dura illorum verba contempserant, durioribus verberibus quod jubebant facere cogebantur. innocentium, qui eos offenderant, domus aut deponebantur ad solum, aut ignibus cremabantur.*

(1) *Cod. Iust. lib. III. Tit. XI. L. 4.*
(2) *Cod. Theod. lib. VIII. Tit. XV. L. 1.*
(3) *lib. II. c. 7. n. 9.*
(4) *de correct. Donat. epist.* 185. *c.* 4. v. *etiam* Optat. *lib. III. c.* 4. et Noris. *Hist. Donat. P.* 2. *c.* 2.

quidam patresfamilias honesto loco nati, et generoso cultu educati, vix vivi post eorum caedes ablati sunt, vel vincti ad molam, et eam in gyrum ducere tamquam jumenta contemptibilia verbere adacti sunt. quod enim de legibus auxilium a civilibus potestatibus adversus eos aliquid valuit? quis in praesentia eorum officialis anhelavit? quis, quod illi noluissent, exactor exegit? hactenus Augustinus, qui saepe id genus alia a Donatistis adversus Catholicos patrata commemorat.

II. Illa vero effrenati ac praecipitis furoris plena, quae hoc ipso tempore insana Donatistarum multitudo ad contemptum Catholicorum, quos metu mortis sacra olim volumina tradidisse, et tura Diis libasse arguebant, novo exemplo agere coepit, ut vitam sponte profunderet, et gloriam sibi quaereret Martyrum. *Quando adhuc cultus fuerat idolorum*, Augustini utor verbis (5), *ad paganorum celeberrimas sollemnitates ingentia turbarum agmina veniebant, non ut idola frangerent, sed ut interficerentur a cultoribus idolorum. nam illud si accepta legitima potestate facere vellent, si quid eis accidisset, possent habere qualemcumque umbram nominis Martyrum: sed ad hoc solum veniebant, ut integris idolis ipsi perimerentur. nam singuli quique valentissimi juvenes cultores idolorum, quis quot occideret, ipsis idolis vovere consueverant. quidam etiam se trucidandos armatis viatoribus ingerebant, percussuros eos se, nisi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. nonnumquam et a judicibus transeuntibus extorquebant violenter, ut a carnificibus vel ab officio ferirentur. unde quidam illos sic illusisse perhibetur, ut eos tamquam percutiendos ligari, et dimitti juberet, atque ita eorum impetum incruentus et illaesus evaderet. jam vero per abrupta praecipitia, per aquas et flammas occidere seipsos, quotidianus illis ludus fuit. haec enim eos tria mortis genera Diabolus docuit, ut mori volentes, quando non inveniebant quem terrerent, ut ejus gladio ferirentur, per saxa se mitterent, aut ignibus gurgitibusque donarent.* haec omnia Augustinus: quae simul Optatus aliique confirmant: ut furorem quidem hominum mirari possis, rem ipsam in dubium vocare non possis.

III. Sed haec plebis et agrestium praedonum facta erant. ipsi proceres Donatistarum hoc anno singulare facinus aggressi sunt. jactare hi jam coeperant, se illam esse Ecclesiam sacris in litteris praenunciatam, cui nulla ruga, nulla macula foret: qui cum ipsis non sentirent, eos extra Ecclesiam versari, atque adeo nullum iis aditum ad caelum patere. at norant, Ecclesiae, quam Iesus Dominus noster condidisset, fundamentum Romae esse, illic centrum, unde Africana Ecclesia deducta esset, illic Cathedram Petri constitutam, ex qua oracula peterentur: itaque nullam Ecclesiae suae auctoritatem futuram, nisi constaret, hanc illi conjunctam esse, quae Romae foret; ut una simul Romanae atque Africanae Ecclesiae societas, unum corpus esse videretur. consilium igitur initum est, ut Episcopum e secta sua Romae collocarent. verum qui ne Carthagine

(5) *ibid. c. 3. n. 12.* et apud Philastr. *haeresi* 85.

quidem Caecilianum expellere potuerant, multo minus se Roma Silvestrium ejecturos esse intelligebant. quare satis hoc visum, quum jam in urbe etiam Donatistae aliquot habitarent, si ad eos Episcopum mitterent, a quo regerentur. hoc pacto vere se praedicaturos existimarunt, Ecclesiam Romanam secum sentire. ergo Victor Garbensis eligitur, qui unus fuerat ex Episcopis praeclarae illius synodi Cirtensis, quae antesignanos nefariae factioni suffecit: hic in urbem mittitur, hic Ecclesiae Romanae Donatistarum praeficitur. de quo egregie Optatus (6), *Erat ibi*, inquit, *filius sine patre, tiro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, episcopus sine populo. non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta et quod excurrit Basilicas locum, ubi colligerent, non habebant.*

IIII. Habes splendida Donatistarum in urbe initia, id est eorum, qui a loco, in quem convenire, et ubi clandestinos coetus celebrare solebant, rursum *Montenses* fere appellati sunt (7). nam his pro Basilica spelunca fuit in uno aliquo e septem urbis montibus, in Exquiliis, opinor, uti adhuc qui tractum illum habitant, Montenses audiunt: atque illic septum sibi construxerunt, quo externorum aditum intercluderent: ea regia eorum fuisse videtur, quamdiu consistere in urbe licuit. nam neque Romanus in eo grege erat ullus, qui sedes iis ampliores parare posset, et ipsi Episcopi ex Africa, alter post alterum, submittebantur; qui umbram illam Ecclesiae, seu potius egentium turbam furtim aleret ac tueretur. quapropter Optatus levitatem Donatistarum redarguens Romae quoque se Ecclesiam habere gloriantium, *Sed et habere*, inquit (8), *vos in urbe Roma partem aliquam dicitis. ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis.* tum et Episcopi eorum quam longe a Cathedra Petri essent, ostendens, ait: *Denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat, numquid potest dicere, in Cathedra Petri? quam nescio, si vel oculis novit, et ad cujus memoriam non accedit quasi schismaticus, contra Apostolum faciens, qui ait,* Memoriis Sanctorum communicantes (9). *ecce praesentes sunt ibi duorum Memoriae Apostolorum: dicite si ad has ingredi potuit, aut obtulit illic, ubi Sanctorum Memorias esse constat. ergo restat, ut fateatur socius vester Macrobius, se ibi sedere, ubi aliquando sedit Encolpius: si et ipse Encolpius interrogari posset, diceret, se ibi sedere, ubi ante sedit Bonifacius Vallitanus: deinde si et ipse interrogari posset, diceret, ubi sedit Victor Garbensis, a vestris jamdudum de Africa ad paucos erraticos missus. quid est hoc, quod pars vestra in urbe Roma Episcopum civem habere non potuit?* et addit idem subinde, *Si Victori diceretur, ubi sederit,*

(6) *de Schism. Don. lib. II. c. 4.*
(7) Hieron. *in Chron. ad an.* 360. *etc.* v. Baron. *ad an.* 254. *n.* 38.
(8) *de Schism. lib. II. c. 4.*
(9) *ad Rom. c. XII. n.* 13. *sequitur Optatus codicum lectionem, qui habent* ταις μνειαις *pro* ταις χρειαις.

nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec Cathedram aliquam, nisi pestilentiae ostenderet. porro ex Episcopis Dooatistis, qui post Macrobium io nrbe fueroot, tres novimus, Luciaoum, Claodianum et Felicem, qui Collationi Carthaginiensi interfuit anno CCCCXI. et urbis Romae Episcopum se dicere ausus est (10): ac fortasse praeter hos septem nemo dein alius foit. nec jam de his plura, quos semel commemorasse satis superque est.

(10) *Cogn. I. n.* 157.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXVIIII.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gesseruut Imp. Fl. Valerius Coostantions V. Licinius junior Caesar. sed Constaotioom booam aoni partem in Illyrico traduxisse, leges demonstrant, quas iode Romam et in provincias misit. ex his apparet, io huoc qooque anoum Vicariam Verino praefecturam prorogatam esse, at Catollino Procoosoli successorem datum Proculum, cui inscripta lex est, qoa saociebatur, Emphyteuticarios a viarnm munitione immones non esse (1).

II. Hoc anno Ariana haeresis emersisse putator (2), qnae saeculo iosequenti Africam armata pervasit, et Donatistarum furorem poteotia barbarorum suffulta superavit. quid ioterea Donati factio adversus Catholicos moliretur, certis indiciis tradi non potest. qoievisse taoien eam pacis studio, aut Caeciliano honorem habuisse ne credas. illud potios credibile est, postquam Episcopum Romae constituerat, dedisse operam, ut alibi quoque extra Africam sectae soae patrociuatores essent: quod illis saepe cooantibus nunquam successisse constat. nam praeter Victorem Garbensem, qnem Romam miserant, nnom alium Episcopum nescioquem in Hispaniam legasse dicuntnr: sed qui domui praeesset unios mulieris, Lucillae nempe, quam sectae suae matrem appellare jure poteraot (3). tom ne in Africa quidem, quae Patriarchae Alexaodrino parebat, vestigium imprimere Donatistae potueront. nam de provincia Cyrenaica, quae Tripolitanae proxima erat, haec olim inculcabat Augustinus (4), quum Donatistae Simooem illom Cyreoaeum in Evaogelio memoratum ioter majores suos recenserent: *Vbi sit Cyrene, forte nescis: Lybia est, Pentapolis est, contigua est Africae, ad Orientem magis pertinet: vel in distributione provinciarum Imperatorum cognosce: Imperator Orientalis mittit judicem ad Cyrenen. breviter respondeo, ubi est pars Donati, non invenitur Cyrene; ubi est Cyrene, non invenitur pars Donati .... manifestum est enim, fratres, in Pentapoli Ecclesiam esse Catholicam, partem Donati ibi non esse.*

(1) *Cod. Theod. lib. XV. Tit. III. L.* 1.
(2) v. Tillem. *M. E. T. VI. p.* 737.
(3) Aug. *contra litt. Petil. c.* 108. *n.* 247.
(4) *serm.* 46. *c.* 17. *n.* 41.

III. Contra vero e Catholicis ultra Cyrenen transgressi quidam id temporis, in Aegyptum ipsam ac Palaestinam pervenere, solitariae vitae amore capti, qui diu inter anachoretas vixere, ac sanctitatis laude floruerunt. Afer enim erat Stephanus ille magno Antonio cognitus, quem patientia in primis et mira in adversis constantia insignem fecit (5). Afer item huic non impar Moyses, cujus et mansuetudo et humanitas celebratur (6). quibus adde militem illum Draconarium e proelio sospitem, quod cum Mauris commissum fuerat: qui ex voto in Palaestinam atque in Lauram Coprathensem quum venisset, ibi annos triginta quinque in spelunca transegit (7).

(5) Pallad. *Hist. Laus.* c. 31.
(6) Pallad. *ibid.* c. 90.
(7) apud Coteler. *M. E. G. t. II. p.* 365.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXX.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules in Fastis cientur Imp. Fl. Valerius Constantinus VI. Fl. Constantinus junior Caesar. Proculo autem Proconsuli Africae Helianum successisse, constitutio de famosis libellis huic inscripta declarat, qua securi esse jubebantur, qui nullo certo auctore accusati fuissent (1): Catholici, opinor, in primis, quos Donatistae omni ratione infamare pergebant. ea kalendis Martiis Carthagine proposita dicitur: itaque Helianus initio anni proconsulatum suscepisse putandus est. non multo serius praeclaram Constantini legem eodem perlatam crediderim, quam pridie kal. Februarias ediderat, de infirmandis poenis coelibatus et orbitatis (2). hunc nempe Virginitati honorem pientissimus Princeps tribuendum existimavit, ne quis ejus servandae caussa poenas metuere deberet, quae lege Iulia Papia adversus coelibes sancitae fuerant, aut commodis careret, quae orbis adempta constabat.

II. Eodem tempore Consularis Numidiae erat Zenophilus vir clarissimus, apud quem hoc anno insignis caussa agitata est, in qua multae Donatistarum fraudes patefactae, multa eorundem scelera in veritatis lucem prolata sunt. manent vero adhuc publica Acta, quae memorans Augustinus (3), *Exstant*, inquit, *gesta apud Zenophilum Consularem, ubi Nundinarius quidam Diaconus a Silvano Cirtensi Episcopo, quantum ipsis gestis intelligitur, degradatus, quum ei satisfacere per aliorum Episcoporum litteras frustra conatus esset, multa patefecit iratus, et in judicium publicum protulit: inter quae id quoque commemoratum legitur, quod Lucillae pecunia corruptis Episcopis, in Carthaginiensi Ecclesia, in Africae capite altare contra altare levatum est.* omnia pariter tum manifestata, quae superius Cirtae contigisse scripsimus sub

(1) *Cod. Theod. lib. VIIII. Tit. XXXIIII. L.* 2.
(2) *ibid. lib. VIII. Tit. XVI. L.* 1.
(3) *epist.* 43. *c.* 6. *n.* 17.

Paullo Episcopo, quum Silvanus successor ejus Hypodiaconus esset; quaeque deinde in Cirtensi Concilio et Silvani consecratione admissa fuerant: eaque, inquit Augustinus (4), *certis documentis et responsionibus testium et recitatione gestorum et multarum epistolarum, luce clarius constiterunt.* post quae Zenophilus pronunciasse dicitur (5), *Et Actis et litteris, quae recitatae sunt, Traditorem constat esse Silvanum.* nec minus constitit multorum testimoniis, Silvanum cum aliis de fano quodam Serapidis res, quae fisci erant, furto avertisse, eundemque pecunia accepta Victorem inter Presbyteros adlegisse. ob quae demum sententia in Silvanum dicta est, qua ei aqua et igni interdicebatur, et Vrsacio Duci militum ea cura data, ut ille in exsilium ageretur (6). ceterum Donatistae, quibus illud judicium permolestum fuit, quod jam manifestum esset, ipsos, non Catholicos, divinorum librorum rerumque sacrarum proditores fuisse; dictitare exinde, ut infamiam fugerent domesticae turpitudinis, et passim queri coeperunt, Silvanum, quod Vrsacio et Zenophilo persequentibus communicare noluisset, idcirco in exsilium actum esse. contra quae Augustinus, *Imo,* ajebat (7), *qui jam traditor fuit, permanere etiam haereticus voluit, ut falsum honorem in ipsa parte Donati haberet, qui habere in Catholica nullum posset, tam manifestis traditionis suae gestis publico judicio reseratis.* acta haec idibus Decembribus Cirtae, quae jam Constantina dicebatur, litterisque mandata: quare eorum exemplum postea Optatus facile libris suis subjecit; quamquam id ad nos vexatum nonnihil, et extrema etiam parte mancum pervenit (8).

III. Ad hunc item annum pertinere videtur tumultus ille Carthaginiensis, quem in veteri anonymi scriptoris sermone (9) descriptum accepimus, iis plane coloribus, qui Donatistam odio iraque in Catholicos flagrantem repraesentent. *Res,* inquit (10), *apud Carthaginem gesta est Caeciliano Eudinepiso tunc instante, assentiente Leontio Comite, Duce Vrsacio, Marcellino tunc Tribuno, Diabolo tamen omnium istorum consiliatore existente.* multas autem per ambages hoc tradit, in Basilica coortum tumultum, atque inde fustibus exactos Donatistas, et Honoratum Donatistarum Sicilibbensium Episcopum gladii acie punctum: quem propterea Martyrem praedicat; simul alios necatos, quorum anniversariam memoriam eo die, qui erat IIII. idus Martias, merito celebrari: *Est enim,* inquit (11), *honorandus dies iste, in quo et omnis Ecclesia Dei confessa, et post ejus Christi Domini aeterni judicis dextera coronata est.* ceterum Tribuni ope implorata, et cohorte ejus inducta, pugnam illam sedatam apparet, et Basilicam in Catholicorum potestate mansisse. quid autem in ore Donatistarum sonaret *Eudinepisus,* obscurum incertumque est: sed vel id Caeciliani cognomen erat, vel contumeliosa potius

(4) *epist.* 53. *c.* a. *n.* 4.
(5) v. Aug. *in Cresc. lib. III. c.* 29.
(6) Aug. *ibid. c.* 30.
(7) *contra Crescon. ibid. n.* 34.
(8) *in edit. Pin. p.* 167.
(9) v. post Opt. Pin. *p.* 190.
(10) *ibid. n.* 2.
(11) *ibid. n.* 9.

appellatio de Pnnico sermone sumpta, et ad invisi Episcopi contemptum usurpata.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXI.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi hoc anno Fl. Valerins Crispns Caesar iterum, Fl. Valerius Constantinus junior Caesar iterum. provincia Byzacena Praesidem habuit Q. Aradinm Valerium Proculnm, quem hoc anno duae Coloniae ejus provinciae Adrumetina et Thaenitana, Municipinm Civilitanum et Civitas Faustianensis patronum sibi, liberis posterisque suis cooptaverunt (1). jamvero nonis Martiis opportnna temporibus lex ab Augusto promulgata, quae sollemnem Christiani moris observantiam juvaret, *Vt omnes judices, urbanaeque plebes, et cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescerent* (2). nec multo post alia emissa, qnam Romae propositam discimus (3) nonis Iuliis, *Vt haberet unusquisque licentiam sanctissimo Catholicae venerabiliqne Concilio decedens bonorum quod optasset relinquere.*

II. At Donatistas alia id temporis cnra mordebat, quam nihil providentissimi Principis singulare erga Ecclesiam studium, nihil liberalitas ejns et indulgentia levabat. dolebant enim, nec ferre poterant, Silvanum aliosque Episcopos snos exsulare, qnnm tuto in patria Catholici Episcopi versarentur, iidemque aliquid apud Augustum et anctoritate et gratia valerent. jamque libello ad eum misso efflagitabant, ut exsules revocaret, graviter se ab eo vexari questi (4), frustraque ad id cogi, quod nnmquam facturi essent: se enim *nullo modo communicaturos Antistiti ipsius nebuloni:* sic enim Caecilianum designabant; *paratosque esse perpeti, quidquid ei facere voluisset* (5). qnid vero Constantinns tam impudenter lacessitns adversns Donatistas constitnere poterat, in quo severitas ejns et acerbitas reprehendi posset? nihil tamen minus, qnam de poena eornm cogitavit; sed pertinaciam hominum detestatus, *Domini judicio*, inquit Augustinus (6), *qui jam in eos caeperat vindicare, dimittens, ignominiosissima indulgentia de exsilio relaxavit.* cnjus qnidem consilium fuisse videtur, nt quos legibus et terrore coërceri non posse existimabat, mansnetudine saltem ac lenitate placaret. verum cnm iis res erat, quos jam ad audendum projectos clementia Principis non modo non cohiberet, sed etiam vehementius incitaret.

III. Vix sane exsules redierant, qnnm Donatistarnm furor et petnlantia crevit, magna Catholicorum molestia; quos Constantinns opis ejus indigos

(1) Grut. p. 362. et 363. 1. 3.
(2) *Cod. Just. l.* 3. *tit. xII. L.* 3.
(3) *Cod. Theod. l.* 16. *tit. II. L.* 4.
(4) Aug. *epist.* 142. *n.* 9.
(5) Aug. *in Brev. Coll. c.* 21. v. Noris. *H. Don. P.* 1. *p.* 238. *et* 266.
(6) *post Coll. c.* 32. *n.* 54.

et patrocinio tutelaque boni Principis dignos, ad mansuetudinem, quod mirere, atque ad patientiam hortatus est, litteris ad universam Africae Ecclesiam missis, quales a Silvestro Pontifice maximo expectare potius, quam ab Imperatore par erat, quem non modo orbis Romanus, sed barbarae etiam nationes tot jam bellis confectis potentissimum reverebantur. nam quaedam de studio suo praefatus, quo res ad concordiam adducere conatus fuerat, haec adjecit (7): *Verum dum caelestis medicina procedat, hactenus sunt consilia nostra moderanda, ut patientia percolamus, et quidquid insolentia illorum pro consuetudine intemperantiae suae tentant et faciunt, id totum tranquillitatis virtute toleremus. nihil ex reciproco reponatur injuriae: vindictam enim, quam Deo servare debemus, insipientis est manibus usurpare: maxime quum debeat fides nostra confidere, quidquid ab hujusmodi hominum furore patietur, martyrii gratia apud Deum esse valiturum.* haec ille: quae Donatistis, opinor, multo jucundiora, quam Catholicis fuerunt, utque horum animos abjecisse, sic illorum audaciam et omnes cupiditates erexisse putanda sunt.

(7) post Optat. Pin. *p.* 188.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXI.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Fl. Petronius Probianus, Anicius Iulianus. victi hoc anno multis proeliis Sarmatae, quorum caussa multos menses Constantinus in Illyrico versatus est. nec tamen maximis ille curis distentus, Africam nostram, unde boni laetique nihil afferebatur, tamquam ingratam invisamque neglexit. nam ut Romam reversus est, legem toti Africae salutarem pridie nonas Iulias promulgavit, quae Menandro Praefecto Praetorii Italiae inscripta est, his verbis (1): *Provinciales egestate victus atque alimoniae inopia laborantes liberos suos vendere vel obpignorare cognovimus. quisquis igitur hujusmodi reperietur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quique liberos suos aegre ac difficile sustentet, per fiscum nostrum, antequam fiat calamitati obnoxius, adjuvetur, ita ut Proconsules Praesidesque et Rationales per universam Africam habeant potestatem, et universis, quos adverterint in egestate miserabili constitutos, stipem necessariam largiantur: atque ex horreis substantiam protinus tribuant competentem. abhorret enim nostris moribus, ut quemquam fame confici, vel ad indignum facinus prorumpere concedamus.* haec scilicet officia misericordis animi et alienam vicem dolentis pientissimum Principem Christiana religio docebat, cujus in tutela praesidioque calamitosi semper ac miseri latuerunt.

II. Hoc anno pridie kal. Apr. Coloni Coloniae Aeliae Hadrianae Augustae Zamae Regiae, quae in Numidia erat, ex veteri formula Q. Ara-

(1) *Cod. Theod. l.* 11. *tit. xxvii. L.* 2.

dium Valerium Proculum, qui Legatus pro Praetore Provinciae Numidiae fuerat (2), ipsum, liberos posterosque ejus sibi, liberis posterisque suis patronum cooptaverunt: ipse autem Proculus, ut mos ferebat, ipsos Colonos, liberos posterosque eorum sibi, liberis posterisque suis in clientelam recepit (3).

(2) Grut. *p.* 363. *n.* 2. (3) Grut. *p.* 364. *n.* 1.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXIII.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUM incoharunt Consules Acilius Severus, Iunius Rufinus, quo anno Lucrius Valerius Verinus, qui diu Vicaria praefectura in Africa functus fuerat, Praefectus Vrbis factus est. at Constantinus, Gothis ex Illyrico ejectis, Licinium novis rebus studentem aggressus, primum ad Hadrianopolim fudit: deinde a Crispo Caesare navali proelio victum, in Asiamque transgressum persequutus, ad Chrysopolim debellavit; ex eoque tempore unus in orbe Romano Augustus, rempublicam maximo Ecclesiae bono solus administrans, nomen Christianum late longeque diffudit.

II. At vero in Africa Donatistae non tam Augusti victoriis, quam suis laetabantur. nam hoc designare Optatus videtur, quum nepotes eorum adloquens ait (1): *Prius est ostendere erubescendam laetitiam vestram, et gaudia criminosa, quod vobis pristini erroris libertatem factam esse contigerit..... redeat in memoriam Constantinus Imperator Christianus, quem famulatum exhibuerit Deo, quae habuerit vota, ut remotis schismntibus, intermortua omni dissensione, sub toto caelo filios suos gaudens in uno videret sancta mater Ecclesia.* ceterum qui spem optimi Principis frustrati sunt, numquam tamen efficere potuerunt, ut Ecclesia ulla extra Africam Caeciliani communionem repudiaret: cui sane Augustinus (2) *Apostolicam Sedem, totumque orbem communicantem* agnovit: et ipsum Constantini judicium per Christianos Imperatores, qui subsequuti sunt, firmissime custoditum testatus est (3): ut Caeciliano vel mortuo (4) idem semper et rectae fidei et summae innocentiae testimonium tributum sit. de cujus etiam virtutibus rebusque gestis, etsi quae veteres scripta reliquerant, vetustas nobis eripuit, praeclare tamen sentiendum est: neque enim leve de eo praeconium videri debet, Donatistis displicuisse, quaeque in eum vulgata ab his fuerant, falsa omnia esse reperta.

(1) *de Schism. Don. l. II. c.* 15.
(2) *epist.* 43. *c.* 9. *n.* 26.
(3) *epist.* 105. *c.* 2. *n.* 9.
(4) *Coll. Carth. diei* 3. *n.* 230.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXIII.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. **Consulatum** susceperunt Fl. Valerius Crispus Caesar III. Fl. Constantinus junior Caesar II. his Consulibus Proconsulem Africae fuisse Hilarianum, Constantini lex de Decurionibus huic inscripta prodit (1), qua cautum, ne ante quis ad Principem proficisceretur, quam a rectore provinciae discedendi licentiam impetrasset. interea Augustus provinciis reliquis pacatis, Africam respiciebat, quam Donatistarum seditionibus turbari in dies magis scindique norat. consilium autem jam ceperat (2), quum Thessalonicae esset, ut nonnullos e clarissimis Orientis Episcopis illuc mitteret, qui auctoritate sua controversias dirimerent, et pacem ipsi confirmarent, quae ab eo nondum conciliari potuisset. sed totam illam deliberationem Ariana factio intervertit, quae multas jam in Ecclesias pervaserat, extremamque Catholicae religioni perniciem minitabatur. quare huic ante malo occurrendum ratus, Nicaenum Concilium indixit, quod anno insequenti, maxima Ecclesiae universae utilitate celebratum est.

(1) *Cod. Theod. lib. XII. tit. I. L.* 9. (2) Euseb. *in vit. Const. lib. II. c.* 66.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXV.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. **Consules** prodiere Anicius Faustus Paullinus, P. Cejonius Iulianus. at sub ipsum anni initium Augustus Nicomediae erat, atque inde circa mensem Majum Nicaeam se contulit, quo jam Patres ex orbe Christiano convenerant, in tanta illa controversia facem Ecclesiae praelaturi, quo Arianorum scopulis evitatis, tranquillum in portum reduceretur. aderat inter eos Caecilianus quoque, quem et decretis subscripsisse constat (1), et mandata item a Concilio accepisse, ut ea Carthaginem reversus, per Africam et Numidiam et Mauretanias promulganda curaret. nec dubium est, Caeciliani nomen jamdiu ob calamitates ejus et Donatistarum inimicitias clarum, viri quoque virtute atque sapientia Nicaeae magis inclaruisse; quum eum Athanasius illos inter Episcopos recenseat (2), quorum scripta nihil ambiguum haberent, et ob doctrinae integritatem et candorem quemdam plane Apostolicum commendarentur. finem porro sanctissimo illi Concilio Patres fecerunt VIII. kal. Septembres, Nicaeaeque dies praeterea aliquot substitere, in aedes Augustas invitati, ut faustum tot laborum suorum exitum gratulationibus et gratiarum actionibus celebrarent. quare Caecilianus post kalendas Septembres Nicaea decedens, Novembri extremo aut Decembri mense in Africam appulisse dicendus est.

(1) Gelas. Cyzic. *apud Hard. Conc. T. I. p.* 423. (2) *Orat.* 1. *in Arian. p.* 291. *ed. II. Paris.*

II. Quo statu res in Africa essent, quum eam redux Caecilianus revisit, compertum non habemus. sed ejus reditu Catholicos recreatos esse, credibile est: quum eum ipsa conventus illius, in quo adfuerat, dignitate honestatum recepissent, et gloriari vere possent, se per eum tamquam praesentes communionem summorum Patrum et totius Catholicae Ecclesiae usurpasse. at Caecilianus ut Carthaginem pervenit, nihil antiquius habuisse putandus est, quam ut Episcopos Catholicos de Concilio Nicaeno absoluto certiores faceret, indictaque in annum proximum synodo, Carthaginem convenire legatosve mittere juberet, quo decreta, quae ad universam Ecclesiam pertinebant, singulis, ut praescriptum fuerat, Episcopis nota fierent, eorumque in omnes provincias perferrentur exempla, quae deinde rursum descripta ad omnes pervenirent. haec postea memorarunt Patres Concilii Carthaginiensis VI. sub Aurelio Episcopo, sic appellantes (3), *Exemplaria fidei et statuta Nicaenae Synodi, quae ad nostrum Concilium per beatae recordationis olim praedecessorem tuae sanctitatis, qui interfuit, Caecilianum Episcopum adlata sunt.*

(3) apud Hard. *ibid. p.* 866.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXVI.

Caeciliano Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Imp. Fl. Valerius Constantinus VII. Fl. Constantius Caesar. at Proconsul Africae Tertullus erat, ad quem missa hoc anno lex de falsa moneta (1), ut si quis nummum falsa fusione formasset, universae ejus facultates fisco addicerentur, ipse severitate legitima coerceretur. ut litteras Caeciliani ad synodum invitantis accepere Episcopi, et conventus habendi caussam gravissimam legitimamque cognoverunt, frequentes Carthaginem advenisse creduntur. nec dubitandum est, decretis Concilii Nicaeni promulgatis, ac formula Catholicae professionis recepta, controversias quoque aliquas, quae in Ecclesia Africana ortae essent, propositas fuisse, et leges nonnullas sancitas, quae ad mores emendandos et veteres consuetudines revocandas aut retinendas idoneae visae essent. sed tamen nulla de his Acta ad nos pervenere: quae Arianorum maxime opera periisse crediderim, quum ex ea secta Principes in Africa dominari coeperunt.

II. Enimvero nec de Caeciliano Episcopo quidquam post haec tempora accepimus. erat hic annus Episcopatus ejus decimus quintus: eundemque postremum fuisse, facile admiserim. hominem certe diuturnis pressum aerumnis, multorumque itinerum laboribus defatigatum, non admodum longo vitae curriculo, maturius decessisse, veri utique simile est. erit autem fortissimi viri nomen in aeterna laude, quod ejus maxime opera Catholica apud Afros Ecclesia steterit, nec Donatistae, quod conabantur,

(1) *Cod. Theod. lib. VIIII Tit XXI. L.* 3.

efficere unquam potuerint, ut ipsi Africana Ecclesia esse, ac soli regnare viderentur. at caelestes Caeciliano honores decretos non esse, indicavit postea Augustinus in Collatione Carthaginiensi, quum Petilianum Donatistam refutaret (2). *In Ecclesia*, inquit, *sumus, in qua Caecilianus Episcopatum gessit et diem obiit. ejus nomen ad altare recitamus, ejus memoriae communicamus, tamquam memoriae fratris, non tamquam patris aut matris.* et paullo post, *Si autem judicium de illo meum vis audire, etiam innocentem credo, appetitum falsis criminationibus existimo, sed tamquam homo de homine existimans, non tamquam certum aliquid credens.* idcirco nomen ejus in Fastis Carthaginiensibus non apparet.

III. Quod reliquum est, Constantinus reversus dudum ex Asia in Illyricum, Iulio mense Romam pervenit, ibique vicennalia Imperii sui celebravit. sed ea plane funesta fuere ob caedem illam miserabilem Crispi Caesaris, Licinii Caesaris, Faustae Augustae, quos ipse Constantinus, humanitatem omnem exuisse visus, necari jussit.

(2) *Die III. c.* 230.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXVII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum hoc anno gessere Fl. Valerius Constantinus, Fl. Valerius Maximus Basilius, quorum primus *Constantius* quoque dicitur, et Augusti frater putatur. quis hoc anno Proconsul Africam administraret, quis Vicaria praefectura fungeretur, ignotum est: fortasse etiam neuter advenerat: nam lex de Decurionibus (1), quae XI. kal. Martias Carthagine proposita fuit, ad Annium Tiberianum Comitem Africae missa perhibetur. at vero Augustus in Illyricum redierat, urbem in posterum non revisurus: Thracia subinde lustrata, in Bithyniam concessit, ubi Helenopolin condidit.

II. Interea Carthagine, postquam justa Caeciliano demortuo persoluta fuere, de successore creando agebatur. quinam in Clero Carthaginiensi tum essent eo honore digni, in tanta temporum illorum obscuritate frustra requiras: neque ego alium ciere possum, quam Sperantium Diaconum, quem Caecilianus ad Concilium Arelatense proficiscens, sibi socium adsciverat (2). sed tamen in Caeciliani locum factum esse Rufum, Concilii Romani, quae habemus, Acta declarant. diserte enim inter Episcopos, qui anno CCCXXXVII. synodum Romae cum Iulio Pontifice maximo celebraverunt, Rufus Episcopus Carthaginiensis recensetur, primus post Aquilejensem, et ante Episcopum Ravennatium (3). nisi quod mendum in anni notis esse apparet, et alterius Consulis nomen vexatum

(1) *Cod. Theod. lib. XII. Tit. I. L.* 15.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 267.
(3) apud Hard. *ibid. p.* 567.

est (4): scriptum enim *Feliciano et Maximiano Cos.* quum eo anno Consules fuerint Felicianus et Titianus. tum ipse orationis contextus indoctum scriptorem praesefert, qui pauca quaedam ex Actis antiquis excerpserit, reliqua temere praetermiserit. quidquid tamen de ea synodo sentiendum sit, ad quam Episcopi CXXII. convenisse dicuntur, cur nos Rufum repudiemus, qui veteri illi Actorum concinnatori multo notior, quam nobis esse potuit? praesertim quum in Episcoporum Carthaginiensium serie locum vacare videamus, nec alius praesto sit, quem inter Caecilianum et Gratum collocemus.

(4) v. Baron. *ad an.* 337.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXVIII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus Fl. Magnum Ianuarium, Fabium Iustum. de rectoribus provinciarum Africae nihil compertum. Augustus partim in Illyrico, partim in Bithynia versatus est. ad hunc annum spectare videtur synodus magna Donatistarum, in qua de Catholicorum transfugarum Baptismo egerunt. viderant nempe ante proximum annum, qua frequentia Catholici Episcopi undique convenissent Carthaginem, ut Concilii Nicaeni Decreta a Caeciliano adlata communi consensu reciperent promulgarentque. ergo conventum ipsi etiam suum indixerunt, et apud Donatum suum congregati sunt numero CCLXX. docet haec nos e Tichonio Donatista Augustinus (1): *Scribit*, inquit, *ille Tichonius, homo, ut dixi, vestrae communionis, a ducentis et septuaginta Episcopis vestris Concilium Carthagini celebratum: in quo Concilio per septuaginta et quinque dies, postpositis omnibus praeteritis, limatam esse sententiam atque decretam, ut traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur.* haec scilicet Augustinus Vincentio Donatistae Rogatiano opponebat, qui neminem in sectam suam, nisi iterato baptismo admittendum censeret. scripserat autem Tichonius Theodosii Comitis temporibus circa annum CCCLXXV (2). et viventes adhuc multos affirmaverat, *per quos*, inquit Augustinus (3), *haec certissima et apertissima esse ostenderentur.* unde liquet Concilium illud ad haec tempora pertinere. quin et ipsa Donatistarum securitas persuadet, quam ipsis per hos annos Constantini Aug. patientia praestabat. nec mirum videri debet, tantum eos auctoritatis sibi sumpsisse, qui et pari iure cum Catholicis certare se posse arbitrarentur, et homines armatos haberent, quorum opera obsistentes magistratus terrere, vimque vi possent repellere.

(1) *epist.* 93. *c.* 10 *n.* 43.
(2) Gennad. *de vir. illustr. c.* 18.
(3) Aug. *ibid. n.* 44.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXVIII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM susceperunt Imp. Fl. Valerius Constantinus VII. Fl. Valerius Constantinus filius Caesar. proposita hoc anno Carthagine lex Augusti de recipiendis appellationibus a judicibus, quae missa dicitur *ad Concilium provinciae Africae* (1), id est ad conventum civium, quos civitates Carthaginem rei publicae caussa legabant, quoties ille indictus esset. Concilium ejusmodi a Proconsule convocatum esse non est ambigendum: sed quis tum provinciam regeret, ignoramus.

II. At vero Donati synodus jam dimissa fuerat, et ad gregales suos praeclari illi Patres redierant. ex iis Deuterius Episcopus Donatistarum Macrianensium in Mauretania Sitifensi, quum ad sedem suam pervenisset, synodi modo absolutae doctrinam sequutus, multos Catholicos in sectae suae societatem, praetermissa iterandi baptismi consuetudine, adscivit. tradita haec a Tichonio testatur Augustinus his verbis (2): *Deuterium etiam Macrianensem Episcopum communionis vestrae dicit traditorum plebem congregatam Ecclesiae miscuisse, et secundum statuta illius Concilii a ducentis et septuaginta Episcopis vestris facti, fecisse cum traditoribus unitatem: eique Deuterio post hoc factum jugiter communicasse Donatum, nec solum huic Deuterio, sed etiam universis Mourorum Episcopis per quadraginta annos, quos dicit usque ad persequutionem per Macarium factam, traditoribus sine baptismo communicasse.* illa nempe Deuterii et ceterorum facilitas Catholicis fraudi fuit, et resipuisse Donatistae visi sunt, quod baptismum Catholicorum se ratum habere significarent. quos tamen appellans Augustinus ajebat (3): *Nobiscum estis in baptismo, in symbolo, in ceteris Dominicis sacramentis: in spiritu autem unitatis et vinculo pacis, in ipsa denique Catholica Ecclesia nobiscum non estis. haec si accipiatis, non tunc aderunt, sed tunc proderunt quae habetis.*

(1) *Cod. Theod. lib. II. Tit. XXX. L.* 25. (3) *ibid. c.* 11. *n.* 46.
(2) *epist.* 93. *c.* 10. *n.* 43.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXX.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES processerunt Ovinius Gallicanus, L. Aurelius Symmachus. Numidiam hoc anno Valentinus Consularis regebat: qua in provincia Donatistae quum plurimum possent, hanc quoque molestiam Catholicis Episcopis exhibebant, ut ministros eorum a Curiae muneribus immunes esse non paterentur, Constantini constitutionem sic interpretati, quasi Episcopos tantum atque Presbyteros ea cura liberasset. itaque ad Valen-

tinum missa lex, quae data Sardicae dicitur nonis Februariis, ut jure illi suo uti possent. *Lectores divinorum apicum*, inquit Augustus (1), *et Hypodiaconi, ceterique Clerici, qui per injuriam haereticorum ad Curiam devocati sunt, absolvantur: et de cetero ad similitudinem Orientis minime ad Curias devocentur, sed immunitate plenissima potiantur.* Sardicae autem non diu moratus, Byzantium se contulit Constantinus, ut eam urbem, quam restitutam ampliatamque omni cultu exornabat, rite denique dedicaret.

II. Ceterum litterae quoque Sardica datae sunt nonis Februariis, quae deinde ad Episcopos Numidas ab Augusto pervenere, quibus pro Basilica, quae Constantinae a Donatistis occupata fuerat, aliam Catholicis impensa sua aedificari jubebat (2). Cirta nimirum ab eo restituta et Constantina appellata, quum illic Donatistae sacra omnia sibi vindicassent, ne Catholicis templum deesset, quo soli convenirent, hanc sibi curam pientissimus Princeps susceperat, ut Basilicam ipse ad Catholicorum coetus celebrandos exstrueret. verum eam quoque, quum vix exaedificata esset, in potestatem suam Donatistae redegerant, nec ab Augusto et a magistratibus admoniti ac loco abire jussi, Catholicis reddere, animum induxerant. Zenzius autem Cirtensium Episcopus, et cum eo Antistites vicinarum urbium Gallicus, Victorinus, Sperantius, Iannarius, Felix, Crescentius, Pantius, Victor, Babbutius, Donatus, quum et Catholicorum Cirtensium vicem dolerent, nec tamen vim Donatistis inferendam existimarent, consilium inierunt, ut litteris ad Constantinum missis enixe peterent, ne poenas de Donatistis sumeret, et Catholicis Cirtensibus locum publicum adsignaret, in quo ipsi templum stipe collata sibi conderent. enimvero tam lene tamque moderatum Episcoporum consilium vehementer probavit Augustus: nisi quod Catholicos sumptibus parcere voluit, et munificentia ipse sua opus illud absolvi jussit. sic enim ad eosdem Episcopos rescribens, postquam de Donatistarum perfidia et seditionibus gravissime questus esset, rem idem totam exposuit: *Accepta igitur epistola sapientiae et gravitatis vestrae, comperi haereticos sive schismaticos eam Basilicam Ecclesiae Catholicae, quam in Constantina civitate jusseram fabricari, solita improbitate invadendam putasse, et frequenter tam a nobis, quam a judicibus nostris ex nostra jussione commonitos, et reddere quod suum non erat, noluisse; vos tamen imitatores patientiae Dei summi, eorum malitiae placida mente ea, quae vestra sunt, relinquentes, et potius locum vobis invicem alium fiscalem scilicet poscere. quam petitionem more instituti mei libenter amplexus sum, et statim ad Rationalem competentes litteras dedi, ut domum bonorum nostrorum transgredi faciat cum omni jure suo ad dominium Ecclesiae Catholicae, quam prompta liberalitate donavi, ac vobis tradi protinus jussi: in quo tamen loco sumptu fiscali Basilicam erigi praecepi.* hoc

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L.* 7.
(2) post Optat. Pin. *p.* 189. v. Ciamp. *de sacr. aedif. Const. c.* 56.

pacto Augustus et Catholicis cumulatissime satisfecit, et Donatistarum turbas ac violentiam declinavit. divinam, opinor, sententiam sequutus videri voluit, qua monemur, ei, qui tunicam nobis auferre velit, ut et pallium concedamus (3). quam in rem apud Afros proverbium erat Punicum, Augustino teste (4), hujusmodi: si pestilentia ad ostium accedens nummum peteret, duos illi dandos, ut abiret: eo quippe nomine malum illi hominem et litigiosum designabant.

(3) *Matth. c.* 5. *n.* 40.

(4) *serm.* 167. *n.* 4.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXI.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Signant hunc annum Consules Annius Bassus, Ablavius Aegyptius: quo anno Augustus Constantinopoli degens templa ibidem magnificentissima exstruebat, et alia item per Orientem aedificanda curabat. Cirtae vero ejusdem jussu surgebat Basilica, quam anno superiore Catholicis a Consulari Numidiae adtribui perficique praeceperat. eodem anno edictum ab Augusto promulgatum, ne ulla haereticorum conventicula uspiam essent (1), sive in publico loco, sive in privato. in eoque id etiam praescriptum, ut quas illi aedes sacras habuissent, eae addicerentur Ecclesiae Catholicae: cetera loca, in quae illi convenire consuevissent, in publicum redigerentur. ceterum in edicti exordio cientur Novatiani, Valentiniani, Marcionistae, Paulliani, et quibus Cataphrygum nomen inditum, denique qui haeresim utcumque profiterentur: Donatistae nominatim non indicantur: quos quidem legibus ille revinxerat, sed jam de spe dejectus, patientia placare nitebatur.

(1) Eus. *in vit. Const. lib.* III. *c.* 64. *et* 65.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Ovinius Pacatianus, Maecilius Hilarianus. binas hoc anno leges edidit Constantinus, quae ad Concilium Byzacenorum missae, et in Colonia Adrumetina propositae dicuntur, altera de inofficioso testamento, altera de libertis (1): utiles ambae ad domos familiasque conservandas, ne servilibus fraudibus extenuatae languerent.

II. Hoc autem anno nata est Monnica (2) Augustini mater, qui se vitam ab ea bis accepisse fatebatur, ut et luce hac inter homines frueretur, et caelesti quoque spiritu recreatus aeternam adspiceret. solum ejus natale Thagasta fuisse videtur Numidiae oppidum, ubi et Patricius, qui

(1) *Cod. Theod lib.* II. *Tit.* XXI. *L.* 8. *et lib.* III. *Tit.* VIII. *L.* 1.

(2) Aug. *Confess. lib.* VIII. *c.* 8. *et c.* 11 *n.* 28.

eam postea in matrimonium duxit, natus erat. domus Monnicae tota Christiana erat, parentes vero ea etiam pietate, quae plurimum ad institutionem ejus prodesse posset.

III. Consularem hoc anno habuit Numidia Alfenium Cejonium Iulianum Kamenium (3), quod e statuae ejus aereae titulo didicimus, in quo multae etiam superstitionis ejus notae eminent: nihil ut ab eo res Christiana juvari posset.

(3) apud Oderic. *p.* 137. *et* 141.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXIII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi hoc anno Fl. Valerius Iulius Dalmatius, M. Aurelius Zenophilus. provincia Africa Felici Proconsuli mandata est, ad quem lex his Consulibus missa (1), quae tutorum et curatorum diligentiam fidemque poenae metu vallabat. ipse autem Augustus pacatis Imperii rebus et quieta ab hostibus republica, praeclaris religionis ac pietatis monumentis splendorem Ecclesiae augebat, fana inanium Deorum claudenda curabat, sanctissimos quosque viros, quorum tunc copia erat, summo honore prosequebatur (2).

(1) *Cod. Theod. lib. III. Tit. XVIII. L.* 3. (2) *Eus. in vit. Const. lib. III. c.* 16. 18. *etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXIV.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere L. Ravius Acontius Optatus, Anicius Paullinus junior. pergebat Augustus in tanta illa tamque varia rerum administratione partem aliquam in Africam derivare curae et cogitationis suae. nam hoc anno Felici Proconsuli praescripsit, ut in provinciis Africanis eos, qui ad annos ferme duodeviginti nati liberales litteras degustassent, ad Architecturae studium impelleret. *Quibus*, inquit (1), *ut hoc gratum sit, tam ipsos, quam eorum parentes ab his, quae personis injungi solent, volumus esse immunes: ipsisque, qui discent, salarium competens statui.* nec mirum videri debet, quaesitos tum ab Africa Architectos: florebat enim id temporis Africa hujusmodi artibus. ipsum aquilegium, scribit Cassiodorius (2), Romam venisse de partibus Africanis: picturae vero professores ibidem minime vulgares habitos esse, multae, quibus donati sunt, immunitates declarant (3).

II. Sed dum artes fovebantur, et reipublicae consulebatur, non leve Ecclesia detrimentum faciebat, pluribus in dies Catholicis Donatistarum

(1) *Cod. Theod. lib. XIII. Tit. III. L.* 1. (3) *Cod. Theod. lib. XIII. Tit. III. L.* 4.
(2) *Variar. L. III. epist.* 53.

fraude deceptis, qui novos ubique Episcopos constituebant. tanta autem id temporis fuit horum licentia, tanta impunitas, ut saeculo hoc vertente Episcopos demum factionis suae amplius trecentos numerarent (4).

(4) v. comm. ad Eccles. Tigillabens.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXV.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules in Fastis cientur Fl. Valerius Constantius, C. Cejonius Rufus Albinus. erat autem Constantius Constantini Aug. frater, qui et Patricius et Nobilissimus appellatus fuerat. idem Galli et Iuliani Caesarum pater fuit, quorum primum ex Galla, alterum ex Basilina secunda uxore susceperat. his Consulibus Augustus tricesimum Imperii sui annum VIII. kal. Aug. incohavit, quem diem Constantinopoli summa omnium laetitia celebratum esse, tradit Eusebius (1). eodem anno provincias Imperii filiis divisit, itaque Africa cum Illirico atque Italia ad Constantem, qui tertius erat, pertinere coepit. qui autem illic rectores provinciarum forent, non reperio: Felicemque Proconsulem hoc anno Praefectum Praetorii Italiae factum esse, veterum legum tituli ostendunt (2).

II. Vltimus hic annus Pontificatus Silvestri vitaeque fuit, postquam duos et viginti ferme annos Ecclesiam caste integreque administrasset. pridie kal. Ianuarias obiisse, vetusta Martyrologia miro consensu testantur.

(1) in vit. Const. lib. III. c. 40. (2) Cod. Theod. lib. XI. Tit. I. L. 21. etc.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXVI.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus Fl. Popilium Nepotianum et Facundum. Ecclesiae autem XV. kal. Februarias praeesse coepit Marcus, in Silvestri locum suffectus, qui tamen nono post mense decessit. at Praefectus Praetorio post Felicem renunciatus est Gregorius, quem leges a Iulio mense ciere incipiunt. hujus jussu coercitos Donatistas, et poena aliqua affectos, litterae ad eum Donati Carthaginiensis significant, quas memorat Optatus (1): ad eum scilicet *Sic*, inquit, *scribere minime dubitavit: Gregori macula Senatus, et dedecus Praefectorum, et cetera talia: cui Donato praefatus patientia Episcopali rescripsit. harum epistolarum exemplaria multorum ore ubique cantantur. jam tum meditabatur contra praecepta Apostoli Paulli potestatibus et Regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat.* post quae Optatus multa alia de intoleranda Donati superbia aduectit, quae nobis alio loco proferenda sunt.

(1) de Schism. Don. lib. III. c. 3.

II. Commemoranda vero lex est, quae hoc anno Carthagine proposita fuit adversus Iudaeos, qui servos Christianos a se emptos circumcidebant. *Si quis Iudaeorum*, inquit Augustus (2), *Christianum mancipium vel cujuslibet alterius sectae mercatus circumciderit, minime in servitute retineat circumcisum; sed libertatis privilegiis, qui hoc sustinuerit, potiatur.* plus aliquid a Constantino adversus Iudaeos constitutum esse, auctor est Eusebius (3): qui vetitum iis tradit servum habere Christianum. sed lex ejusmodi non exstat: nec tamen latam esse negaverim, quum eam diserte junior Theodosius (4) indicare videatur.

(2) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. VIII. L.* 1. (4) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. VIII. L.* 22.
(3) *in vit. Const. lib. III. c.* 27.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXVII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt Tib. Fabius Titianus et Felicianus. legatos hoc anno ex provinciis Africanis reipublicae caussa Carthaginem convenisse, lex Augusti ostendit *ad Concilium provinciarum Africae*, quae proposita dicitur XIII. kal. Iunias (1), id est biduo ante, quam Constantinus ex hac vita decederet. obiit nempe hic in Nicomediae suburbanis XI. kal. Iunias, quum annum ageret sexagesimum quartum, Imperiique sui annum primum et tricesimum numeraret. exinde tres Augusti esse coeperunt, Constantinus, Constantius et Constans, quos Senatus V. idus Septembres eo nomine appellavit. Vicarium Africae a Constante creatum Aconium, lex de honorariis codicillis nos edocet, ad quem V. kal. Decembres data dicitur: etsi ea sero in Africam perlata, et Thamugadi proposita est XVII. kal. Iunias anni insequentis (2).

II. At vero Romae in Marci locum suffectus jam fuerat Iulius, qui Pontificatum maximum suscepit VIII. idus Februarias. atque idem mense Septembri celebrasse Romae Concilium dicitur, ad quod Episcopi centum sexdecim convenerint: quos inter Rufus Carthaginiensis cietur. ceterum Acta quae supersunt, quod jam monuimus, contextum exhibent informem ac plane absurdum: ut culpandi non videantur (3), qui ea sublestissima habent. illud tantum extra controversiam puto, synodum revera a Iulio coactam: nam ipse in pulcherrima illa epistola, qua Athanasii adversarios refutavit (4), quum de litteris loqueretur, quibus Eusebio Nicomediensi responderat, Concilium sic memorat: *Nam tametsi*, inquit (5), *solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, et omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. ego autem omnes nolui scribere, ne a multis gravarentur. certe ad constitutum*

(1) *Cod. Theod. lib. XII. Tit. I. L.* 2. (4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 610
(2) *ibid. lib. VI. Tit. XXII. L.* 2. (5) *ibid. p.* 618.
(3) v. Till. *M. E. T. VIII. p.* 702.

tempus convenere Episcopi, et ejus sententiae fuere, quam vobis iterum significo. Episcopos demum ex ipsa Africa inter Athanasii fautores recenset: *Quin et Episcopi*, inquit (6), *ex Aegypto et Africa in suis scriptis affirmarunt, ordinationem Athanasii legitimam et ecclesiasticam fuisse, et omnia, quae a vobis adversus eum dicta sunt falsa esse.* itaque de Iulii synodo constat, quamquam eam paullo serius actam esse fatendum est: quippe ille eas litteras ad Eusebium misit anno CCCXXXX.

(6) *ibid. p.* 619.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXVIII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM iniere Vrsus et Polemius, hic quidem Constantinopoli, ille vero Romae. Catullinum Vicarium Africae fuisse leges testantur (1). nova hoc anno lege firmata sunt, quae jam Constantinus pater adversus famosos libellos constituerat (2). sic enim ad Afros Augusti scripsere: *Libellis* (3), *quos famosos vocant, si fieri possit abolendis inclytus Pater noster providit, et hujusmodi libellos ne in cognitionem quidem suam vel publicam jussit admitti. non igitur vita cujusquam, non dignitas concussa his machinis vacillabit: nam omnes hujusmodi libellos concremari decernimus.* hac vero lege Donatistas in primis perstringi, non immerito statuas: nam et odium eorum in Catholicos, malaeque nocendi artes insignes sunt, et de Augustis compertum habemus, perpetuos eos Donatistarum osores fuisse. unde Augustinus, quum severissimam legem contra partem Donati a Constantino datam dixisset, adjecit (4), *Hunc imitati filii ejus talia praeceperunt.* et rursus (5), *Defunctus est Constantinus; sed judicium Constantini contra vos vivit.*

(1) *Cod. Theod. lib. XI. Tit. I. L.* 24. *et* 26.
(2) *v. an.* 320. *n.* 1.
(3) *Cod. Theod. lib. VIIII. Tit. XXXIIII. L.* 5.
(4) *epist.* 105. *c.* 2. *n.* 9.
(5) *ibid. n.* 10.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXVIIII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. IPSI Augusti hoc anno Consules fuerunt Imp. Fl. Constantius iterum, Imp. Fl. Constans. lex utriusque nomine data IIII. kal. Septembres ad Catullinum Vicarium Africae contra adulteros, ne provocatio eorum admitteretur (1). unde etiam discimus, hanc crimini poenam tum constitutam, ut qui confessi convictive essent, tamquam parricidae manifesti, culleo vivi insuerentur, vel exurerentur.

(1) *Cod. Theod. lib. XI. Tit. XXXVI. L.* 4.

II. At Ecclesia Catholica quo statu in Africa esset, quinam id temporis florerent Episcopi, qui mores obtinerent, qui templorum splendor, quae Cleri dignitas, quae religionis incrementa forent, ea quidem litteris olim consignata fuisse, ambigendum non est: sed quae consequutae sunt aetates neque scripta servarunt, neque earum rerum historiam nobis tradiderunt. de concordia tamen Ecclesiae Africanae cum reliquis Catholicorum totius Orbis Ecclesiis haec habet Optatus, quae ad hoc tempus fortasse pertinent (1): *Quum, inquit, Africanos populos et Orientales et ceteros transmarinos pax una conjungeret, et ipsa unitas repraesentatis omnibus membris corpus Ecclesiae coagularet; dolebat hoc Diabolus, qui semper de fratrum pace torquetur. illo tempore sub Imperatore Christiano desertus, in idolis inclusus, jacebat in templis.* nullus scilicet aditus Arianis in Africam apertus tum erat, et Christianorum numerus in dies augebatur, superstitione ad interitum ruente, quod et Principes adversarios haberet, et religionis veritate oblata, carere publico, atque in pagis exsulare cogeretur.

(1) *de Schism. Don. lib. II. c. 15.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXX.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hoc anno dedit Oriens Fl. Septimium Acyndinum, Occidens L. Aradium Valerium Proculum. ex hujus porro gente Proculum alterum habuit hoc item anno Proconsulem Africa (1), Vicarium vero Petronium (2). his Consulibus gravis de finibus discordia duos Augustos commisit, Constantinum et Constantem. pugnatum prope Aquilejam est, ceciditque Constantinus: cujus morte Constantis Imperio accessit quidquid ante provinciarum sub illo erat: namque Constantius Oriente contentus, Occidentem totum Constanti fratri parere passus est. hujus lex non multo post victoriam prodiit Aquilejae III. kal. Majas, his verbis (3): *Publicus ac noster Inimicus diversis immunitates dederat, jugorum capitationibus et professionibus amputatis. jubemus ergo, ut omnibus omnina haec privilegia derogentur.* provincias nemque immunitatibus attritas allevare voluit Constans, Africam etiam, quo Constantinus adspiraverat (4), et beneficiis ejusmodi proceres illic, opinor, multos sibi devinxerat. ea lex data dicitur ad Marcellinum Comitem sacrarum largitionum: cujus sub dispositione Africa habebat Comitem aerarii et Rationales plures.

II. Synodos nonnullas per haec tempora a Catholicis celebratas in Africa esse contra eos, qui sacrum Baptismum iterabant, docet nos Gratus in Concilio, quod anno CCCXXXXVIII. Carthaginem convocavit. nam canone XIII. quum praesentes Episcopos postremo adloqueretur, *Sane*,

(1) *Cod. Theod. lib. XI. Tit. XXX. L. 21.*
(2) *ibid. lib. II. Tit. VII. L. 1.*
(3) *ibid. lib. XI. Tit. XII. L. 1.*
(4) *Zosim. lib. II. c. 41.*

inquit (5), *credo vos retinere, multis Conciliis a Patribus nostris et traditionem temerariam esse damnatam, et rebaptizationis impietatem esse puniendam.* atque haec, plerisque Donatistarum frementibus, peracta fuisse, nemo inficiabitur, qui doctrinam eorum moresque meminerit.

(5) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 688.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXI.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt, Constantinopoli Fl. Antonius Marcellinus, Romae Caelius Probinus. insignem hunc annum fecit lex Augustorum adversus sacrificia, ex qua liquet, quam late longeque Christiana religio dominaretur: siquidem hanc provinciis omnibus legem Augusti imponere non dubitarunt. *Cesset*, inquiunt (1), *superstitio, sacrificiorum aboleatur insania. nam quicumque contra legem Divi Principis Parentis nostri, et hanc nostrae Mansuetudinis jussionem ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta, et praesens sententia exeratur.* et tamen plus aliquid Romae ausus putatur Constans: nam et Aram Victoriae e Curia sustulisse creditur: quo spectant Symmachi verba ad Valentinianum et collegas Augustos (2), *Merito Divi Constantis factum diu non stetit: omnia vobis exempla vitanda sunt, quae mox remota didicistis.* nam Iulianus, opinor, eam aram postea restituerat. quamquam Iulius Firmicus Maternus, qui librum suum de errore profanarum religionum utrique Augusto dicavit, utrumque delendae idololatriae deditum facit, et ab utroque templa Deorum eversa esse significat: *Tollite*, inquit (3), *tollite securi, sacratissimi Imperatores, ornamenta templorum: Deos istos aut monetae ignis, aut metallorum coquat flamma. donaria universa ad utilitatem vestram dominiumque transferte. post excidia templorum in majus Dei estis virtute provecti: vicistis hostes, propagastis Imperium.*

II. Ceterum ardui ac diuturni laboris opus fuit omnia veteris superstitionis vestigia ubique obliterare. in Africa ipsa, in qua Christianum nomen id temporis quam latissime patebat, non modo Idololatrae multi usque ad Augustini aetatem obfirmato animo perdurarunt (4), sed ritus etiam eorum, et fana ac delubra mansere, quae leges everti jusserant.

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. X. L.* 2.
(2) *lib. X. epist.* 61.
(3) *de err. prof. relig. n.* 29.
(4) *Aug. epist.* 47. *et saepe alibi.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXII.

Rufo Episcopo Carthaginiensi

I. Ipsi rursum Augusti simul Consules processerunt, Imp. Fl. Constantius III. Imp. F. Constans iterum, quum ille in Syria, hic in Galliis ver-

saretur. Ariani hoc anno Eusebianique, quum jam Constantium Aug. ad partes suas pertraxissent, Constantem quoque, legatione ad eum missa, labefactare conati sunt. verum fraudibus eorum mendaciisque detectis, tantum laborem frustra se suscepisse intellexerunt: Athanasius autem, quem ipsi perdere volebant, egregium in Constante patronum atque acerrimum sui defensorem invenit.

II. Non parum tamen turbae illae Arianorum Ecclesiae Africanae nocuerunt. nam suspensis metu Principibus, et controversiarum varietate distentis, subsidio adversus Donatistas carebat, quorum licentia tamdiu impunita ac libera confirmabatur. tantum sane crevit horum audacia, tantasque molestias exhibuere Catholicis, ut Augustorum denique opem implorare necesse fuerit, quo vim vi repellerent, et quam illi armis injuriam inferebant, armis pariter propulsarent. interea Rufum Episcopum Carthaginiensem, longa patientia probatum, decessisse statuendum est. nam Gratus, qui Concilio Sardicensi interfuit, non multo post hunc annum creatus videtur.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXIII.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES Roma ambos suffecit, M. Moecium Memmium Furium Placidum, Fl. Pisidium Romulum. his Consulibus Persae a Constantio devicti; Constans expeditionem in Britanniam suscepit. lege autem Constantii plus hoc anno datum Ecclesiae (1), quam ab eo accipere par esset. quippe non solum plures Clericis immunitates concessae, ne novis collationibus obligarentur; sed illud quoque permissum, ut ne hospites susciperent, atque ii, qui alimoniae caussa negotiationem exercere vellent, nihil fisco dependerent. quos quidem Ecclesia tum quoque, quum exiguae etiamtum opes ejus, et ministris omnibus alendis impares essent, tamen improbabat (2).

II. Grati Episcopi consecrationem huic anno adnectimus, indicia sequuti Concilii Carthaginiensis, quod ille quinquennio post convocavit. multa enim commemorat ante gesta, quorum ipse pars fuerat, et de Ecclesiae incommodis plura se didicisse ostendit, quam quae novus Episcopus nosse posset: qui praesertim Concilii Sardicensis caussa annum fere abesse ab Ecclesia debuerit. comitia autem libera fuisse, et aditum ambitioni interclusum, ipsa viri, qui designatus est, merita virtutesque declarant. ea enim vitae sanctitate Gratus fuit, ut nomen ejus postea in Fastos Ecclesiae Carthaginiensis relatum sit (3), et in Concilii ejus exemplaribus passim *sanctum* appellatum (4) videamus. ad annum eundem aut proximum

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L.* 8.
(2) Sulp. Sev. *S. hist. lib. I. c.* 23. *etc.*
(3) apud Mabill. *Anal. T. III. p.* 398.
(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 683. v. Mabill. *Mus. Ital. T. I. p.* 13.

pertinere videtur Fortunatiani Episcopi Aquilejensis designatio: quem natione Afrum tradit Hieronymus (5), et inter Presbyteros Aquilejensis Ecclesiae jamdiu cooptatum, credibile est. hujus initia in pontificatus laudantur, exitus infamia laborat (6).

(5) *de vir. illustr. c.* 97. (6) *infra ad annum* 357. *I.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXIII.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Sallustius, et Dometius Leontius, qui hoc anno praefectura Praetorii Orientis fungebatur. Africa autem Vicarium habebat Enbolidem, ad quem missa ab Augustis lex fuit de concussionibus advocatorum (1), ne judices injurias inultas transirent, quae Afris provincialibus a Scholasticis inferebantur: qui in defensione caussarum honorariis ultra modum acceptis, annonas praeterea et sumptus exigebant.

II. In hunc annum referre licet Concilium Adrumetinum, cujus mentionem intulit in Concilio Carthaginiensi Abundantius Adrumeti Episcopus. nam quum alii Episcopi post Gratum sententiam quisque suam exposuissent, et quae emendanda ducerent, brevi oratione explicassent; Abundantius quoque interloquutus sic est (2): *In nostro Concilio statutum est, ut non liceat Clericis fenerari. quod si etiam sanctitati tuae et huic Concilio videatur, praesenti placido designetur.* Adrumeti autem potius, quae provinciae Byzacenae metropolis erat, quam in alia urbe apud Primatem coactam eam synodum crediderim, quod illic totius consistere Patres possent, Consularis auctoritate praesidioque freti, qui Donatistas in officio continere facile poterat. nam quo illi tempore armatos homines alebant, et licentia quadam bellica improvisi in oppida irruentes, omnia turbabant; nihil Catholicis tutum erat, nisi copiae militares adessent, quae incursionem eorum atque impetum reprimerent. Abundantium certe provinciae Byzacenae Primatem id temporis non fuisse, ordo Episcoporum, quos Gratus (3) in praefatione Concilii Carthaginiensis recenset, aperte ostendit. Fortunatianum enim Capsitanum Abundantio praeposuit. quin et Cassianus Usulensis sententiam ante hunc dixit. ceterum Acta ejus Concilii penes Primatem fuisse, consensuque ejus Abundantium loquutum esse, compertum habeo. id enim apud Afros teste Augustino (4) obtinebat, ut contradicente Primate nemo Acta Concilii in potestate habere posset.

(1) *Cod. Theod. lib. VIII. Tit. X. L.* 2.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 688. *n. XIII.*
(3) *ibid. p.* 685.
(4) *epist.* 43. *n.* 9.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXV.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Postumius Amantins, Cejonins Rufius Albinns, hic Romae, ille Constantinopoli. tristes hoc anno nuncios ex Oriente Ecclesia accepit, Christianos Persas a Rege Sapore crudelissime vexari coeptos, edictis propositis, quibus ad necem omnes destinabantur at praeclara illic Martyrum seges fuit, qni vetera constantiae fideique exempla reddidere.

II. Interea Carthagine Catholicornm pietas plurimum sub Grato enituisse pntanda est. quid enim non efficit ejus, qui praesit, exemplum? aut quis morem duci non gerit, qui virtutem factis magis, quam verbis nos doceat? quamquam et cohortationibus saepe illi utendum fuit, ut animos Donatistarnm injuriis incitatos ad mansuetudinem revocaret, et quae illi in Catholicos disseminabant, ferenda patienter, ac contemnenda etiam ostenderet. nullam enim hi occasionem non arripiebant ad maledicendum, ut ne in templis quidem sacrisque conventibus sibi temperarent. *Nullus vestrum est*, ajebat Optatns (1), *qui non convicia nostra suis tractatibus misceat: qui non aliud initiet, aliud explicet. lectiones Dominicas incipitis, et tractatus vestros ad nostras injurias explicatis: profertis Evangelium, et facitis absenti fratri convicium, auditorum animis infunditis odia, inimicitias docendo suadetis.* magna vero Grati auctoritas fuisse videtur; qnum a Catholicis impetrare potuerit, ut a vi abstinerent. quod Optatus testatur, tumultum, qui deinde Carthagine fuit, exstitisse affirmans (2), *provocantibus atque impellentibus caussis et personis, quas Donatus Carthaginis levitate sua constituit, dum magnum se videri contendit.* nam Catholici quidem tam longe ab armis fuere, ut ne legati quidem Augusti, qui de pace concordiaque acturi erant, milite uterentur: quum tamen ea saepe ferre cogerentur, quae ne hostes quidem crudelissimi ab iis, quos vicerint, tolerari jubeant. nam quid magis inauditum, quam quod per id tempus Hippone Regio Episcopus Donatista Faustinus contra Catholicos excogitavit? qui scilicet edicere suis ausus est, ne panem pro Catholicis coquerent, et furnarium adegit, panem Diaconi, apud quem habitabat, incoctum abjicere, ne haberet Catholicus, unde famem explere posset. vivebant autem Augustini jam Episcopi aevo, ut ipse testatur, qui talia vidissent ac meminissent (3): nec veri absimile est, multa hujusmodi a Donatistis alibi perpetrata, ubi maximus eorum numerus esset, et Catholicorum exiguus, ut Hippone tum fuisse accepimus (4).

(1) *de Schism. Don. lib. III. c.* 5.
(2) *ibid. lib. III. c.* 5.
(3) *contra litt. Petil. lib. II. c.* 83.
(4) August. *ibid. n.* 184.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXVI.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM Augusti inierunt, Imp. Fl. Constantius IIII. Imp. Fl. Constans III. recentem in Africa seditionem, hostilemque pugnam designat lex Constantis Aug. data idibus Iuniis (1), ad Iuvenalem Rationalem Numidiae. *Quamvis*, inquit, *plurimis petentibus facultates eorum, qui sub hoste publico egerunt, atque in proelio poenas debitas pependerunt, liberalitas nostra largita sit; tamen volumus, ut aurum, argentum et mancipia urbana et vestes ceteraque mobilia petitores habeant, qui jam meruerunt, vel postea impetraturi sunt: mancipia autem rustica et possessiones et domos ad fiscum pertineant, Officii tui instantia.* nec dubium est, de Circumcellionum caede sermonem hic esse, quam a Taurino Comite, Episcoporum Donatistarum rogatu, factam constat. quum enim furor eorum factioni ipsi intolerabilis videretur, eorumque Episcopis invidia fieret, *Taurino tunc Comiti*, inquit Optatus (2), *scripsisse dicuntur, hujusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse: mandaverunt, ut a supradicto Comite acciperent disciplinam. tunc Taurinus ad eorum litteras ire militem jussit armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat. in loco Octavensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi: quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras aut mensas potuerunt numerari. ex quorum numero quum aliqui in Basilicis sepeliri coepissent, Clarus Presbyter in loco Subbulensi ab Episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam.* ergo de his edoctus Constans, gregales Donatistas occisorum patrimoniis ditari noluit, eorumque bona iis cedere jussit, quibus jam data fuerant, quaeque excepta essent, in fiscum redigi.

II. Alia jam cura Constantem exercebat, ut Arianorum conatus reprimeret, et Catholicos Episcopos factionis violentia in exsilium ejectos, ad sedes suas reducendos curaret. itaque saepe a fratre Augusto petierat, ut tantae rei caussa Concilium magnum celebrari pateretur. at hoc tandem anno impetravit, ut litterae ad Episcopos per omnes provincias mitterentur, quibus Concilium in annum proximum indicebatur, et Sardicam in Illyricum convenire undique jubebantur. eae vero litterae in Africam quoque perlatae sunt: quibus acceptis Gratus aliique Episcopi numero triginta quinque (3) res Ecclesiae suae quisque ordinarunt, ut prima navigatione transmitterent.

(1) *Cod. Theod. lib. x. Tit. VIII. L.* 4.
(2) Optat. *de Schism. Don. lib. III. c.* 4.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 670.

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXVII.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Fl. Rufinus Romae, Fl. Eusebius Constantinopoli. magna plane frequentia ex omnibus provinciis Episcopi Sardicam convenerant sub veris initium: itaque Concilium Majo extremo celebrari coeptum, in quo praeclarum innocentiae testimonium tributum est Athanasio Alexandrino, Marcello Ancyrano, Asclepae Gazensi; contra Eusebianorum primores loco moti, atque ex Ecclesia ejecti. litterae vero ad Augustos, atque ad Episcopos universos per orbem missae, quae sacri illius Concilii judicium sententiamque omnibus patefacerent. leges demum conditae, quae jura in primis et vitam Episcoporum moderarentur: quas inter ea hic commemoranda, quam Gratus Episcopus Carthaginiensis, de Episcoporum quorundam Africanorum ambitione questus, sanciendam curavit. rem totam is, qui Concilio praeerat, Hosius Cordubensis exposuit, et mali quoque remedium suppeditavit his verbis (1): *Importunitatis nostrae nimia frequentia, et injustae petitiones fecerunt, nos non tantam habere gratiam aut fiduciam, dum quidam non cessant ad Comitatum ire Episcopi, et maxime Afri, qui, sicut cognovimus, sanctissimi fratris et Coepiscopi nostri Grati salutaria consilia spernunt atque contemnunt; et non solum ad Comitatum multas et diversas Ecclesiae non profuturas perferunt caussas, ut fieri solet, aut oportet, ut aut pauperibus aut viduis aut pupillis subveniatur; sed et dignitates saeculares et administrationes quibusdam postulant. haec itaque pravitas olim non solum murmurationes, sed et scandala excitat. honestum est autem, ut Episcopus intercessionem suam his praestet, qui aliqua iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur: tamen et ista omnia, si justam habeant caussam et petitionem. Si vobis ergo, fratres carissimi, placet, decernite, ne Episcopi ad Comitatum accedant, nisi forte hi, qui religiosissimi Imperatoris litteris vel invitati fuerint vel vocati. sed quoniam saepe contingit, ut ad misericordiam Ecclesiae confugiant, qui injuriam patiuntur, et qui peccantes in exsilium vel insulas damnantur, aut certe quamcumque sententiam suscipiunt; ideo subveniendum est his, et sine dubitatione eis petenda per Ecclesiam indulgentia. si vero hoc vobis placet, statuatur. Universi dixerunt, placet et constituatur.*

II. At Eusebiani, qui Sardicam inviti accesserant, ut consensum tot Episcoporum viderunt, et nullum fraudi locum esse relictum, Philippopolim in Thraciam concesserunt: inde epistolam plenam veneni Ecclesiae universae scripsere, Concilii Sardicensis nomen mentiti. inter Episcopos autem, quos initio appellabant, Donatum quoque Carthaginiensem tertio loco ciebant (2): rati, opinor, hunc cum suis in eandem sententiam

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 641. *n.* 8. (2) apud Hard. *ibid. p.* 671. v. Hilarii *fragm. tertium.*

facile venturum, quod Gratus adversarius ejus pro Athanasio staret, quem ipsi omni studio perdere conabantur. verum divino beneficio factum est, ut eae litterae Donatistas minime commoverent. unde Augustinus postea, quum Sardicense Catholicorum Concilium ignoraret, Cresconio glorianti, quod Donatus suus litteras ab universo Concilio accepisset, sic respondit (3): *Disce ergo quod nescis: Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod totum jamdiu est, ut habemus in manibus, contractum maxime contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum, qui eorum errorem ex ipsa civitate ortum prae ceteris acriter arguebat et refellebat. non igitur mirum, si illi haeretici Donatum sibi adsciscere tentaverunt, quos per totum orbem Catholica damnabat Ecclesia.* subinde vero rem infectam designans, *Sed*, inquit, *Deo gratias, quod nec valuit, si tamen coepta est, illa conspiratio haereticorum Orientalium cum Afris haereticis praevalere.*

III. Concilio Catholicorum dimisso, Gratus in Africam rediens ad Constantem Aug. divertisse creditur, ut ei Africanam Ecclesiam commendaret, et quae Catholicorum conditio esset, qui Donatistarum dominatus, coram exponeret. plurimum autem apud eum et auctoritate et gratia valuisse, quae anno insequenti in Africa contigerunt, non obscure demonstrant.

(3) *contra Cresc. lib. III. c. 34.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXVIII.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gessere Fl. Philippus, Fl. Salia, hic apud nos, ille in Oriente. vix in Africam Gratus pervenerat, quum Ecclesiae illius vicem dolens Constans Aug. secum deliberare coepit, qua potissimum ratione praesentem illi opem afferret. plurimum autem ad animos demulcendos conciliandosque profuturum putavit, si egenorum in primis curam susciperet, et miserorum inopiam liberalitate levaret. viris igitur duobus, quorum fidem virtutemque spectatam habebat, Paullo et Macario delectis, atque his ingenti pecuniae vi tradita, placere sibi ait, ut in Africam proficiscerentur, et quos illic egestate oppressos invenissent, iis pecuniam dividerent, quam acceperant; unde, ut ait Optatus (1), *sublevata per Ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas.* atque hanc adventus sui caussam eos praeseferre voluit: sic tamen, ut placatis benignitate animis plebis, se pacis auctores profiterentur. enimvero acceptis Augusti mandatis, recta illi in Africam navigarunt, et Carthagine primum pecuniam large in egentium solatium erogare coeperunt. quum autem multorum domos obirent, ad Donatum etiam accesserunt (2), et quare venissent, indicarunt. nulla sane erat caussa, cur in odium ejus et offensionem vel Augustus, vel ipsi incurrerent. sed *ille*, inquit Optatus, *solito furore succensus in haec verba prorupit: Quid*

(1) *de Schism. Don. lib. III. c. 3.* (2) Optat. *ibid.*

est Imperatori cum Ecclesia? et de fonte levitatis suae multa maledicta effudit: oblitus scilicet, quid ipse cum suis ausus esset, quum Constantinum Aug. in Caeciliani caussa appellavit, et controversiae, quae omnino ad Ecclesiam pertinebat, judicem esse voluit.

II. At vero Paullus et Macarius triste nihil comminati, se per provincias singulas ire dixerunt, et volentibus accipere se daturos. quibus Donatus respondit (3), litteras a se in quamcumque partem praemissas esse, *ne id quod adlatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur.* illi vero, provincia Proconsulari sic peragrata, ut nemo usquam armatum militem viderit (4), in Numidiam subinde, quae biennio ante Circumcellionum sanguine redundaverat, et a Taurino Comite pacata fuerat, nulla terroris significatione ingressi sunt. *Veniebant*, ut Optatus ait, *Paullus et Macarius, qui pauperes ubique dispungerent, et ad unitatem singulos hortarentur.* nihil tamen ad demerendos Donatistas illa virorum profuit benignitas atque humanitas singularis. nam, Optato teste, *Quum ad Bagajensem civitatem proximarent, tunc alter Donatus ejusdem civitatis Episcopus impedimentum unitati, et obicem venientibus supra memoratis opponere cupiens, praecones per vicina loca et per omnes nundinas misit, Circumcelliones Agonisticos nuncupans, ad praedictum locum ut concurrerent, invitavit: et eorum illo tempore concursus est flagitatus, quorum dementia paullo ante ab ipsis Episcopis impie videbatur esse succensa.* quippe cohortes illae, quibus praeerant Axido et Fasir *duces sanctorum* appellati, post cladem Taurinianam se jam refecerant convaluerantque: *Sic*, pergit Optatus, *invenit Donatus Bagajensis, unde contra Macarium furiosam conduceret turbam. ex ipso genere fuerant qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant: inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes se praecipites dabant. ecce ex quali numero sibi Episcopus alter Donatus cohortes effecerat.*

III. Habes initium Macarianorum temporum, quae Donatistae postea exprobrare solebant Catholicis, perinde quasi horum caussa, non ipsorum culpa ad arma ventum esset. atqui tum primum, ut Optatus nos edocet, *metu deterriti qui thesauros ferebant, quos pauperibus erogarent, invenerunt in tanta necessitate consilium, ut a Silvestro Comite armatum militem postularent; non per quem alicui vim facerent, sed ut vim a Donato supra memorato Episcopo dispositam prohiberent. hac ratione factum est, ut miles videretur armatus.* nec sane periculi avertendi alia ratio suppetebat. ingens omnino Circumcellionum multitudo Bagaim confluxerat, utque ali ea posset, Basilicam ipsam horreum Donatistae fecerant. qui a Paullo et Macario hospitii parandi caussa praemissi fuerant, ejecti e civitate terga verterant; alii cum equis submissi, verberibus pulsi et male vexati ad numeros suos redierant, et hostilia omnia esse nunciaverant.

(3) Optat. *lib.* III. *c.* 3. v. Espen. *oper. post. P.* II. *Diss. in syn. Afr.* § II.

(4) *idem ibid. c.* 4. v. Ballerin. *in oper. Noris T.* III. *p.* 282.

jussi igitur milites a Silvestro Comite in oppidum irrumpere; quum et superioris seditionis meminissent, et recenti commilitonum injuria dolerent, rem strenue omnino gesserunt: tota illa Circumcellionum turba in fugam conjecta, necati quidam in pugna, alii capti relegatique: metu ceteris incusso, reducta quies, ac via ad concordiam munita est. ceterum Donatus Bagajensis et Marculus alter Numidiae Episcopus, quum se victos viderent, et praesidio sibi erepto, nihil audere se posse intelligerent, adeo indoluerunt, ut caussa suorum desperata, ille se in puteum abjecerit, hic se ex alto praecipitaverit. quos tamen Donatistae ejusmodi morte a Macario affectos tradiderunt, Martyres appellantes, Actis etiam de martyrio eorum conscriptis atque vulgatis, quae adhuc exstant (5). quo illa pertinent apud Augustinum (6): *Proferunt nobis nescioquos in persequutione suos Martyres. ecce Marculus de petra praecipitatus est; ecce Donatus Bagajensis in puteum missus est. quando potestates Romanae talia supplicia decreverunt, ut praecipitarentur homines? quid autem respondent nostri? quid sit gestum nescio; tamen quid tradunt nostri? qui ipsi se praecipitaverunt, et potestates infamaverunt. recordemur consuetudinem potestatum Romanarum, et videamus, cui credendum* sit. *dicunt nostri, illos se praecipitasse: si non sunt ipsi discipuli ipsorum, qui se modo de saxis nullo persequente praecipitant, non credamus: quid mirum, si fecerunt illi quod solent? nam potestates Romanae numquam talibus suppliciis usae sunt. num enim non poterant occidere aperte? sed illi, qui se mortuos coli voluerunt, famosiorem mortem non invenerunt.* porro in Actis Marculi ipsum etiam pseudomartyris funus et pompa describitur, qua cadaver in oppidum illatum est, quod Novam petram appellabant, et illic magno honore conditum (7): per quem postea et Donatum, teste Optato (8), tamquam per unicam religionem Donatistae jurare solebant. non hi tamen soli ab illis Martyres habebantur: duos alios iidem celebrabant, Isaacum et Maximianum, quorum item Acta vulgarant (9); sed qui ad provinciam Proconsularem pertinebant: quare ipsa Acta a Macrobio quodam ad plebem Carthaginis scripta dicuntur. si qua autem scriptori illi habenda fides est, post Marculum et ceteros Numidas, qui in proelio ceciderant apud Bagaim, Carthagine isti occubuerunt, a Proconsule supplicio affecti, cujus nomen siletur. poenam meriti capitalem videntur, quod quum de concordia atque unitate ageretur, seditionis auctores fuissent. capti enim dicuntur, quum *edictis propositis sacrilegae unitatis foedus celebraretur.*

IIII. Paullus sane et Macarius provinciis lustratis, et multorum animis liberalitate delinitis, Carthaginem, si Acta illa stant, mense Augusto rediisse videntur, ut Donatistis omnibus ad concordiam vocatis finem schismati imponerent. arduam illi quidem rem aggressi, sed tamen operam

(5) v. post Optat. Pin. p. 193.
(6) *in Ioan. Evang. c.* 3. *Tr. xI. n.* 15.
(7) v. *Comm. ad Episc. Novaepetr.*
(8) *de Schism. lib. III. c.* 6.
(9) v. post Optat. Pin. *p.* 197. et Aug. *contra Cresc. lib. III. c.* 49.

non perdiderunt. quum enim plebs universa ab Episcopis penderet, a quibus retinebatur, ne se Catholicae Ecclesiae dederet, pars eorum aliqua resipuit, alii fugam adripuerunt, quidam relegati sunt: ac plebs sibi reddita errorem suum sensit, lucemque veritatis facile adspexit: itaque multorum terrore, paucorum poena sublato schismate, Ecclesia Africana revixit, ac se unam repente ac solam esse mirata est. quippe integrae tum civitates errorem exuerunt, nedum privatorum domus aut collegia clericorum. testatur id de Thagasta patria sua Augustinus (10), *Quae, inquit, quum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium conversa est*: idemque *alias multas* pari modo tum resipuisse affirmat. quapropter Donatistas, qui velut a stirpibus foracius renati erant, aevo suo adloquens Optatus, sic postea scripsit (11): *Hoc eodem tempore duces et principes vestros merita relegaverant sua: in Ecclesia nulla fuerant schismata, nec Paganis licebat exercere sacrilegia: pax Deo placita apud omnes Christianos populos habitabat: Diabolus moerebat in templis, vos in regionibus alienis.* inter exsules autem primus recensendus est Donatus, quem maxime Carthagine abesse intererat: quod et in Chronico suo adnotavit Hieronymus. in insulam aliquam deportatum eum esse credibile est; eundemque procul ab Africa decessisse, testatur Optatus (12).

V. Inter haec vero, quum boni omnes laetitia exultarent, et gratias Deo acturus in Basilicam populus conveniret, parum abfuit, quin totam illam concordiam parva quaedam commutaret aura rumoris. sermo enim percrebuerat, Paullum et Macarium in idem templum venturos, ut sacrificio adessent, eosque in altari imaginem propondturos, Augusti, opinor, qualis in labaris praeferebatur, ut ante eam sacrum sollemne perageretur. nihil vero ea re tristius dici fingique poterat. *Hoc*, inquit Optatus (13), *quum acciperent aures, percussi sunt et animi, et uniuscujusque lingua in haec verba commota est, ut omnis, qui haec audierat, diceret: Qui inde gustat, de sacro gustat.* superstitione scilicet contaminatum fore illud sacrificium existimabant, ut qui ad altare accessisset, eorum crimine obligaretur, qui Paganorum Diis libata gustarent. verum brevi falsas eas voces eventus comprobavit. *At ubi*, pergit Optatus, *ventum est a supradictis, nihil tale visum est ex eo, quod fuerat paullo ante fama mentita: nihil viderunt oculi Christiani quod horrerent: nihil probavit adspectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. visa est puritas, et ritu solito sollemnis consuetudo perspecta est; quum viderent divinis sacrificiis nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum. pax a Deo commendata volentibus placuit. Quare*, adjungebat idem, Donatistas appellans, *nullus eorum debet argui, qui de collegio vestro ad pacem transitum fecit: qui fuerant sinistra opinione turbati, simplici ac pura veritate firmati sunt.*

(10) *epist* 93. *c.* 5. *n.* 17.
(11) *de Schism. Don. lib. II. c.* 15.
(12) *ibid. lib. III. c.* 3.
(13) *de Schism. lib. III. c.* 12.

VI. Tot demum laboribus periculisque defuncti Paullus et Macarius, ad Constantem Aug. propere laetos omnino atque exoptatos nuncios attulerunt. atque apud Augustum quidem magnam plane gratiam iniere: at apertas iidem easque aeternas simultates cum Donatistis a se susceptas experti sunt. numquam enim illi contra eos facere, invehi, oblatrare destiterunt: Macarium vero in primis omnibus contumeliis lacerarunt, quod is fortasse in eos acrior fuisset, et Paullum a mitioribus consiliis saepe revocasset. quem tamen Optatus egregie purgavit, et ab adversariorum criminationibus accurate defendit (14). nec illi usque ad Iuliani Imperium prodire e latebris potuerunt, ut umbram aliquam Ecclesiae repraesentarent, et qui Catholicis accesserant, ad partes suas impune adducerent: praesertim quum primores eorum exsularent, nec illis in Africam adspirare fas esset. quare ex his quidam ad scribendum se contulerant, quo et facilius exsilii molestiam tolerarent, et aliquid Catholicis de victoriae suae laetitia detraherent. ex horum autem numero fuit Vitellius quidam a Gennadio commemoratus, qui, ut idem ait (15), *Donatianorum schisma defendens scripsit De eo, quod odio sint mundo servi Dei. in quo*, inquit, *si tacuisset de nostro velut persequutorum nomine, egregiam doctrinam ediderat. scripsit et adversum gentes, et adversum nos, velut traditores in persequutione divinarum scripturarum, et ad regulam Ecclesiasticam pertinentia multa disseruit.* huic vero suppar Macrobius fuit, is, qui deinde Romae inter Montenses suos Pontificem egit: nam hoc tempore Presbyter moralem librum (16) *ad Confessores et ad Virgines* scripsisse fertur, et auctor idem Actorum fuisse putatur, quibus falsum illud martyrium Isaaci et Maximiani exponitur, de quibus paullo ante diximus.

(14) *ibid. lib. VI. c. 6. 7. et alibi.*
(15) *de vir. illustr. c. 4.*
(16) Gennad. *ibid. c. 5.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCXXXXVIII.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules Romae ambo processere, Aco Fabius Catullinus Philomianus et Vlpius Limenius. multum utique debebat Ecclesia Africana Paullo et Macario, multum Constanti Aug. cujus illi auctoritate atque ope tantas discordias sedaverant, et otium denique ac tranquillitatem reduxerant. sed recenti etiamtum calamitate velut aegra, malorum remedia quaerebat. excitanda tum erant, quae jacebant, discordiae ipsius impetu, quod necesse fuerat, perculsa atque prostrata, et quae disjuncta dilabebantur, severis legibus vincienda. haec vero ab Episcopis postulabat, quorum erat afflictis rebus succurrere, et consilio, cohortatione, praeceptis efficere, ut vetus sanctimonia rursum vigeret, et pace firmata, pietas ubique ac religio restituta effloresceret. nec sane Episcoporum

studium ac diligentiam ulla tum difficultas retardavit. Concilia statim per provincias indicta; atque haec celebrata fuere, ipse Gratus synodum magnam eadem de caussa Carthaginem convocavit: quod ex ejusdem Grati praefatione, qua Patres adloquutus est, compertum habemus (1). *Gratias*, inquit, *Deo omnipotenti et Christo Iesu, qui dedit malis schismatibus finem, et respexit Ecclesiam suam, ut in ejus gremium erigeret universa membra dispersa: qui imperavit religiosissimo Constanti Imperatori, ut votum gereret unitatis, et mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paullum et Macarium. Dei ergo nutu congregati ad unitatem, ut per diversas provincias Concilia celebraremus, et universae provinciae Africae hodierna die Concilii gratia ad Carthaginem venirent.*

II. Iamvero ceterorum quidem Conciliorum quae fuerint sanctiones, Actis deperditis, ignoramus; sed Carthaginiensis a Grato celebrati canones referre licet, quos a majoribus accepimus. eos partim Gratus partim alii Episcopi proposuere; quos demum Episcopi simul omnes subscriptionibus suis confirmarunt: quamquam hae ad nos non pervenerunt; itaque et numerum Patrum et nomina eorum pleraque subducta desideramus. primum porro de haereticorum Baptismo actum est, de quo tamen controversiam nullam esse voluerunt: *Absit*, dixere (2), *absit: Illicitas esse sancimus rebaptizationes, et satis esse alienum a sincera fide et Catholica disciplina.* exinde Gratus, ne in iis, qui nuper a schismate recesserant, erroris aliquid resideret circa eorum cultum, quos a Donatistis Martyres habitos esse constabat, poenam in eum constituendam censuit, qui Martyrum dignitatem infamaret, eo nomine appellans, qui aut insania praecipitati, aut aliquo tali pacto aut alia ratione peccati discreti essent: placuitque, si laicus esset, *ad poenitentiam redigi*, si clericus, *post commonitionem et post cognitionem honore privari.* tertio loco pudicitiae pari poena subventum est, cautumque, ne qui virginitatem nuptiis praetulissent, cum extraneis habitarent: et quarto canone addito praescriptum, ut vidui viduaeque eadem lege tenerentur.

III. Atque haec singula Grato auctore sancita. post eum surgens Privatus Episcopus Vegeselae e provincia Byzacena, *Suggero*, inquit (3), *sanctitati vestrae, ut statuatis, non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris Episcopi sui; neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est.* erat vero id plane novum, quod de laico praescribebatur. sed tamen Gratus annuens, *Haec*, inquit, *observantia pacem custodivit. nam et memini, in sanctissimo Concilio Sardicensi similiter statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet.* ceterum canon XVIII. Concilii Sardicensis non laicum quemcumque, sed ministrum sive clericum ex aliena paroecia invito Episcopo deduci vetabat (4). addidit autem Gratus, *Sed si forte erit necessarius ordinationi, petat*

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 685.
(2) *ibid. n.* 1.
(3) *ibid. p.* 686. *n.* 5.
(4) *ibid. p.* 651.

a collega suo, et per consensum habeat. qua in deliberatione illud sequuti Patres videntur, ut ad honores Ecclesiae aditum ignotis et nulla virtute spectatis intercluderent. jam Nicasius Episcopus Culcitanensis provinciae Proconsularis hortatus est, ut statueretur, ne qui Deo servirent et Clero adnexi essent, ad actus seu administrationem vel procurationem domorum accederent. et consensere omnes, Vt aut clerici essent sine actionibus domorum, aut auctores sine officio clericorum. probata deinde est sententia Cassiani Episcopi Vsulensis ex provincia Byzacena, sanctionem suadentis, Vt unusquisque clericus vel laicus non communicaret in aliena plebe sine litteris Episcopi sui: quo nihil tum salubrius esse poterat adversus fraudes Donatistarum, qui se Catholicos simulabant.

IIII. Canonem octavum proposuit Magnus Aptungensis Episcopus ex provincia Proconsulari. *Quid*, inquit, *dilectioni vestrae videtur? procuratores et actores, tutores etiam seu curatores pupillorum si debeant ordinari?* ad quae Gratus, nihil ab iis discrepans, quae Cypriani aevo decreta fuerant (5), sic respondit: *Si post deposita universa et reddita ratiocinia, actus vitae ipsorum fuerint probati in omnibus, debent et cum laude, cleri, si postulati fuerint, honore munerari. si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, Ecclesia infamatur.* his autem quum universi assensi essent, processit Metus, qui et Mettun, Episcopus Tacanensis, sive, ut arbitror, Taciae Montanae ex provincia Proconsulari, et *Recte*, inquit, *statutum est, ut obnoxii alienis negotiis non ordinentur. tamen dimissi et gratias referre debent, et a clericorum injuria temperare.* itaque decernendum censebat, ne cui liceret clericos eligere apothecarios vel ratiocinatores. hic vero Gratus sperandum ait, neminem fore, qui Concilii instituta non revereretur: praesertim quum Imperatoria quoque constitutione mandatum esset, ne clerici inquietarentur: quemadmodum superius indicavimus (6). nam si quid contra tentatum esset, nec defensionem Ecclesiasticam defuturam, et pudorem publicum vindicatum iri.

V. Digna quoque visa est, quae coerceretur, cupiditas quorundam Episcoporum, qui sua transcenderent, et invitis collegis fines alienos occuparent. quare, auctore Felice Episcopo Bajanensi e Numidia, canon decimus est conditus, quo praescribitur, *Ne quis alienos fines usurpet, aut transcendat Episcopum collegam suum, aut usurpet alterius fines, sine ejus petitu.* post Felicem Elpidephorus ex eadem provincia Episcopus Cuiculitanus statuendum censuit, ut ne impunita esset clericorum superbia vel contumacia, qui minores majoribus injuriam irrogassent. modum autem judicii sic Gratus definivit, ut si Diaconus esset reus, a tribus vicinis Episcopis audiretur, si Presbyter a sex, si Episcopus a duodecim. ex eadem Numidia Antigonus Episcopus Madaurensis querelam instituit adversus Optantium finitimum Episcopum, quod postquam ambo paroeciam propriam terminassent, et populum quisque suum, pacto in tabulas re-

(5) v. *an.* 256. *n. III.* (6) v. *an.* 330. *n. I.*

lato, accepisset in fidem, ille tamen contra fas plebes alteri adtributas circuiret, et populos sibi usurparet, qui jam eum patrem, Antigonum vero vitricum appellarent. displicuit ea res Patribus, et a Grato in primis improbata est: cujus demum sententia fuit, *Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus, si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam.* cui ceteri assensi, dixerunt, *Pax servetur, pacta custodiantur.* ultimus e provincia Byzacena Abundantius Adrumetinus retulit, in Concilio urbis suae statutum esse, Ne liceret clericis feuerari: quare censere se, si ita Patribus videretur, ut canon idem communi eorundem consensu confirmatus provinciarum omnium lex fieret. nec dubitatum est, quin in ejus sententiam iretur: *Quod in laicis*, inquit Gratus, *reprehenditur, id multo magis oportet in clericis praedamnari:* addidere reliqui: *Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo.*

VI. Haec Concilii summa fuit. sed ante quam Patres dimitterentur, curae fuit Grato, ut poena in eos decerneretur, qui ea decreta violarent. pronunciatum igitur in haec verba est: *Si quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione; si clericus est, honore privetur.* tum de more quotquot aderant Episcopi, Actis subscripsere: quos inter credibile est non paucos ex eorum numero fuisse, qui antea cum Donato senserant: quippe his a Miltiadis Pontificis maximi temporibus habita honoris ratio est, permissumque, ut pro Episcopis se gererent, iisque in urbibus, ubi senior Episcopus esset, secundi sederent, et si quae sedes ab aliis vacuae relinquerentur, ad eas ipsi optimo jure migrarent.

ANNUS CHRISTIANUS CCCL.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Sergius et Nigrinianus, ambo ex Occidente. magnum hoc anno praesidium Ecclesiae Africanae ereptum est: cecidit enim Constans Aug. a Magnentii factione, quum in Hispanias se reciperet, interemptus, in castro, cui Helenae nomen erat. illud etiam toti Africae triste, quod in tyranni dominatu esse coepit. nam qui eodem tempore Imperium adripuerunt, Veteranio in Illyrico, Nepotianus Romae, ille a Constantio in ordinem brevi redactus est, hic vero saeva multorum caede a Magnentio sublatus. conjuratum autem in Galliis fuerat Augustoduni XV. kal. Februarias, eodemque die praemissi milites in Pyrenaeos, qui Constantem fugientem opprimerent.

II. Interea Episcopi, qui anno superiore Carthaginem ad Concilium convenerant, canonum a se conditorum exemplum referentes ad Ecclesias redierant suas, et quae sancita fuerant, populo promulgabant. unde plurimum utilitatis derivatum in omnes apparet: pax enim et quies a Donatistis multos annos fuit.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLI.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES Romae habiti Magnentius Aug. et Fl. Gaiso. sed eos Oriens respuit, ut quae hoc anno contigere, ea facta dicantur *post Consulatum Sergii et Nigriniani*. Constantius Aug. quum bellum Magnentio inferret, ac de Persarum motibus certior factus esset, Constantium Gallum patruelem suum Caesarem dixit, et in Orientem contra Persas proficisci jussit: ipse in Pannoniam progressus, Magnentium ad Mursam magno proelio fudit, in Italiamque redire coëgit. ea pugna pugnata est IIII. kal. Octobres: itaque Constantii exercitus ultra alpes hiemavit.

II. Porro Africa in Magnentii potestate etiamtum erat, ut Gallia, Hispania, Sicilia, Italia, quibus provinciis, dum ipse aberat, in officio retinendis Decentium fratrem Caesarem appellaverat. milites vero et frumentum et pecuniam in bellum Afris imperata, credibile est. ceterum Ecclesiam securam fuisse, nec ullum religioni periculum creatum esse, pro certo habeo. Christianus enim erat Magnentius, iis licet moribus, qui tanto indignum nomine ostenderent. contigit autem, opinor, id temporis, quod Evagrius ex Athanasio tradit (1), Virginem Tripolitanae regionis ex civitate Busiri, quae inauditis plane miserandisque morbis laborabat, post longum iter, Antonii magni virtute peregre sanatam esse, antequam ad eum deduceretur, atque a Monachis, qui pro ea rogarant, subinde sospitem, et parentes laetos esse repertos.

(1) *in vita Antonii c.* 30.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLII.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM Romae aliquamdiu gessere hoc anno Decentius Caesar et Paullus: at in Oriente Imp. Fl. Constantius V. Constantius Gallus Caesar, quos subinde Occidens totus agnovit. nam sub veris initium transgressus alpes Constantius Magnentium ex Italia exegit. inter haec vero classis ejusdem jussu in Africam navigavit, quae eas provincias, Magnentianis ejectis, reciperet: ipse in Gallias perrexit, bellum brevi confecturus; nam Gallia ipsa, quo hostis concesserat, Constantium advenientem laeta suscipiebat. porro Africa id temporis Proconsulem habuisse videtur Memmium Vitrasium Orfitum (1): atque hoc auctore, Magnentii jugo excusso, se Constantio dedidisse. hic certe anno insequenti Praefectus Vrbis factus est, eundemque honorem in annum sextum raro exemplo gessit.

(1) Grut. *p.* 438. *n.* 1.

iI. At Romae Iulius, quum annum pontificatus sui decimum sextum incohasset, et magnis virtutibus clarus, optime etiam de Ecclesia meritus esset, aevum beatum vita hac caduca mutavit pridie idus Apriles: in ejusque locum factus est Liberius: quo tempore Ariana factio Romae etiam et in Italia plurimum posse incipiebat, quod fautor ejus Constantius Occidentis quoque Imperio prope jam potitus videretur.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLIII.

Grato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum suscepere Imp. Fl. Constantius vI. Fl. Constantius Gallus Caesar iterum. Carthaginienses hoc anno jam Constantio parebant, ad cujus Ordinem legem x. kal. Aug. dedit, qua statuebat, dignitatibus honorariis neminem curia liberari (1). Proconsul autem fuisse putatur Catullinus, cui lex altera (2) inscripta est vI. kal. Aug. in matrum solatium, quae filios puberes amisissent, ne successione eorum privarentur, quod tutores impuberibus non petiissent.

iI. At Magnentius jam ab omnibus desertus, postquam domum suam caedibus funestasset, vim sibi intulit circa idus Augustas: quem subinde fratres ejus imitati sunt. itaque ad reliquas Constantii provincias Galliae quoque accessere, et unus ille in orbe Romano Imperator esse coepit, magno utique Ecclesiae incommodo, quod Eusebianorum fraudibus deceptus, Arianos impense foveret, et ad sectam eorum Catholicos pertrahere conaretur.

iiI. Ceterum Ariana illa pestis Ecclesiam Africanam minime corripuerat, Grato Episcopo in primis prohibente, qui jam in Sardicensi Concilio Eusebianos optime norat: ac simul ceteris Episcopis operam navantibus, iis maxime, qui cum eo ibidem fuerant, et haereticorum doctrinam artesque didicerant. verum Grati pontificatus ultra hunc annum protendi vix potest. certe successor ejus Restitutus quinquennio post ad synodum Ariminensem vocatus est, ac deinde ad Augustum primus legatorum missus, Nicaeaeque in Thracia conventum ipse habuit Episcoporum, et auctoritatem praesetulit non mediocrem: ut Episcopus tum recentissimus fuisse non videatur. iiI. nonas Majas obiisse Gratum indicat Kalendarium Carthaginiense, in quo ad eum diem *Depositio* ejus enunciatur.

(1) *Cod. Theod. lib. xiI. Tit. I. L.* 41. (2) *Cod. Iust. lib. vI. Tit. xvI. L.* 3.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLIIII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodiere Imp. Fl. Constantius vII. Fl. Constantius Gallus Caesar iiI. novus jam Proconsul xv. kal. Februarias Carthaginem missus

fuerat Proclianus: nam eo die data ad illum lex dicitur (1), qua Constantius multam Proconsuli irrogabat, qui provocationem contra Fisci commoda suscepisset. eodem tempore Vicariam praefecturam agebat Magnus, uti lex sexta de cursu publico indicat (2). revocatum vero Proclianum ex Africa ante mensem Augustum, eique suffectum Olybrium, lex alia testatur, quae ad hunc data est III. non. Augustas (3). at eodem anno Gallus Caesar, Constantio jamdiu ob crudelitatem et superbiam invisus, primum honore spoliatus est, deinde in Histriam relegatus vitam quoque amisit.

II. E Grati schola prodiisse Restitutum, qui post eum Ecclesiam Carthaginiensem administrandam suscepit, non est ambigendum: quum Episcopus e collegio Presbyterorum legi soleret. quales autem ad pontificatum virtutes attulerit, honor, qui illi a morte habitus est, satis declarat. nam illam quidem maculam, quae illi inusta est, quum post synodum Ariminensem errore deceptus, Ursacio et Valenti adhaesit, celeris poenitentia et constans postea vitae ratio eluerunt. porro hic idem annus merito Africae universae faustus dicendus est: idibus enim Novembribus natum constat (4) Aurelium Augustinum, quem Deus jamtum Ecclesiae illi, post matris ejus lacrimas et Ambrosii curas, detractis omnibus vitiis, maximum ornamentum et clarissimum lumen destinaverat. atque hunc postea Ecclesia Carthaginiensis cum Restituto Episcopo suo in Kalendarium relatum IIII. kal. Septembres simul anniversaria memoria celebravit.

(1) *Cod. Theod. lib. XI. Tit. XXXVI. L.* 10.
(2) *ibid. lib. VIII. Tit. V.*
(3) *ibid. L.* 7.
(4) *ex* Prosp. *Chr. et* Possid. *c.* 31.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLV.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum Romae susceperunt Arbetio et Mavortius Lollianus. his autem Consulibus Constantius Aug. Iulianum Galli fratrem et patruelem suum Caesarem Mediolani dixit, et pro pallio, quo ille utebatur, purpura induit. eodem anno Africam respexit, et lege ad Taurum Praefectum Praetorio data (1) sanxit, exactiones provinciarum, quas Rectores aut Praefecti annonae aut Rationales per Africam exercerent, a majoribus judicibus, id est a Proconsule et Vicario usurpari non debere.

II. Donatus id temporis in exsilio mortuus putatur: et a gregalibus ejus, qui simul exsulabant, in ipsius locum suffectus Parmenianus, extra Africam natus, in Hispania, opinor, aut Gallia, et alia in secta educatus. nam haec ab Optato obiter indicantur. quum enim ille Catholicos in Evangelio notatos scripsisset, ubi legimus (2) *Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae: quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum; et quum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo*

(1) *Cod. Theod. lib. XI. Tit. VII. L.* 8.
(2) *Matth. c.* 23. *n.* 15.

quam vos: ad haec Optatus, *Tu quidem*, inquit (3), *cujus sectae fueris, nescio; tamen importune a te hoc dictum est: aestimo quod te jam hujus dicti poeniteat. numquid nos aliquas peragravimus terras? numquid nos aliqua circumivimus maria? numquid nos ad peregrinos accessimus portus? numquid nos aliquem adduximus Hispanum et Gallum? aut nos ordinavimus ignorantibus peregrinum?* abfuit tamen Parmenianus ab Africa, quamdiu reditus Donatistis interclusus fuit, quemadmodum Optatus idem litteris consignavit (4).

III. At vero plus Romae ausi Ariani, quibus Constantius Aug. turpiter serviebat. nam hoc anno abductus ab urbe est Liberius: qui postquam Mediolani coram Principe Catholicam professionem invicto animo summaque fide defendit, in Thraciam relegatus, spreto etiam recusatoque haereticorum viatico, exsilium libens omnibus honoribus antetulit. interea Romae in Liberii locum creatus Felix, populo repugnante, qui Liberium singulari studio prosequebatur.

(3) *de Schism. lib. II. c. 7.* (4) *ibid. lib. III. c. 3.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLVI.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Imp. Fl. Constantius VIII. Fl. Claudius Iulianus Caesar. Martyres hoc anno Ecclesiae Fastos in Aegypto potissimum auxerunt, ubi Catholicorum fides multis modis tentata est, Episcoporum in primis, quos Ariani, humana ac divina jura violantes, omni crudelitate vexare ac perdere nisi sunt. at Constantius, quo haec fautore fiebant, pius tamen et religiosus sibi videbatur, quod binis legibus hoc anno datis, altera (1) sacrificia et cultum simulacrorum, poena capitis constituta, sustulerat, altera vero (2) privilegia clericis Ecclesiae Romanae concessa firmiter custodiri praeceperat.

II. Africa id temporis pacata insignem Rhetorem in urbem miserat C. Marium Victorinum: qui, ut scribit Hieronymus (3), *Romae sub Constantio Principe Rhetoricam docuit, et in extrema senectute Christi se tradens fidei, scripsit adversus Arium libros more dialectico valde obscuros, qui nisi ab eruditis non intelliguntur, et commentarios in Apostolum.* libros Platonis ab eodem latine redditos se legisse testatur Augustinus (4), ac simul narrantem Simplicianum memorat, *Quemadmodum ille doctissimus senex, et omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quique philosophorum tam multa legerat et dijudicaverat et dilucidaverat, doctor tot nobilium senatorum, quique etiam ob insigne praeclari magisterii statuam in Romano foro meruerat, et acceperat; non erubuerit esse puer Christi et infans fontis ejus, subjecto collo ad*

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. X. L. 6.*
(2) *ibid. Tit. II. L. 13.*
(3) *de vir. illustr. c. 101.*
(4) *Confess. lib. VIII. c. 2.*

humilitatis jugum, et edomita fronte ad Crucis opprobrium. occupatum autem Victorinum eruditione saecularium litterarum Scripturas omnino sanctas ignorasse, ait rursum Hieronymus (5): itaque commentarios ejus in Apostolum infra alia, quae scripserat, esse putabat. plura autem his ab eo scripta constat, quae partim edita habemus, partim in antiquis Bibliothecis latent (6).

(5) *praef. in epist. ad Galat.* (6) v. Cavem *in script. Eccl. v. Victorin.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLVII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES rursum prodierunt Imp. Fl. Constantius VIIII. Fl. Claudius Iulianus Caesar II. Africam Proconsul rexisse creditur Flavianus, ad quem missa videtur hoc anno Constantii lex (1) de ornamentis unius civitatis ad aliam non transferendis. Romam idem Augustus Mediolano profectus, IIII. kal. Majas de Magnentio triumphavit, quem triennio ante vicerat. dum autem in urbe versaretur, multis ab eo precibus matronae Romanae petierunt, ut Liberium, qui etiamtum Beroeae exsulabat, urbi redderet. nec eum non reddidit Constantius; sed non ante redire passus est, quam illud animi robur fregisset, quod in Liberio omnes mirati fuerant. operam vero navasse in eo dicitur Fortunatianus natione Afer, Episcopus Aquilejensis: qui, ut scribit Hieronymus (2), *In hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanae urbis Episcopum pro fide ad exsilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem haereseos compulit.* quamquam ea formula a Liberio et aliis Catholica non immerito habita est. at ille eo etiam turpius se gessit, quod optimam vitae rationem repente deseruisse visus est; quum antea eum Hilarius Athanasiusque, quem hospitio aliquando acceperat, laudibus ornassent, et Liberius ipse in honore habuisset: opuscula quoque ejus multi commendarent.

II. Ariani interea varias in sectas abierant, et quae Semiarianorum appellata est, ceteris facta potentior, Principem in partes suas pertrahebat. quo autem latius dominaretur, Africanos quoque Episcopos hoc anno aggressa est, impetravitque, ut aliquot ex iis (3) Sirmium se conferrent. id Basilio Ancyrano in primis tribuitur, quem postea Acaciani accusarunt, quod Illyriis, Italis et Afris dissidii caussa fuisset, et Germinium, Vrsacium, Valentem apud Episcopos Africanos traduxisset, quibuscum se tamen sentire simularet.

III. Sub haec autem tempora tres ex Africa eximiae virtutis viri in Galliam transmisisse dicendi sunt, Marcellinus, qui postea ab Eusebio Vercellensi Ebreduni Episcopus factus est, Domninus, quem a Marcel-

(1) *Cod. Theod. lib. XV. Tit. I. L. 1.* *c. 6. n. 2.*
(2) *de vir. illustr. c.* 97. v. *Mon. Eccl. Aquil.* (3) Sozom. *lib. IIII. c.* 15. *et* 24.

lino ipso Diniae praepositum accepimus: Vincentius, qui Domnino successisse fertur (4). horum laboribus Inalpini potissimum exculti atque ad Christiana sacra traducti: ceterae gentes, quae jam ad Catholicam Ecclesiam pertinebant, ab Ariana peste servatae. magna vero Ecclesiae Africanae laus est, in communi illo Orbis periculo tantam virorum fortium habuisse copiam, ut per eos externis quoque populis salutem afferret.

(4) v. Tillem. *T. VII. p.* 561.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLVIII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum Romae susceperunt Tib. Fabius Datianus, Neratius Cerealis. his autem Consulibus Liberius ab exsilio rediit, et in urbem magno Senatus populique Romani studio receptus, pontificatum administrare iterum coepit, quo se Felix sponte abdicaverat. in Africa Flaviano Proconsuli successit Probus (1), Vicarius factus est Martinianus (2).

II. Quatuor ex Africa Episcopi, quorum Cathedras ignoramus, Sirmii, ubi Constantius Aug. erat, hoc anno versabantur, Athanasius, Alexander, Severianus et Crescens (3), quum eo pervenere legati Semiarianorum, qui synodum Ancyranam celebraverant, et novam Augusto formulam afferebant; quam ut subscriptione sua confirmarent Episcopi omnes, qui tum Sirmii essent, vehementer efflagitabant. Constantius, quem Arianorum sectae invicem certantes in sententiam suam facile adducebant, non invitus annuit, ac synodum ea de caussa cogi passus est. quare ipsi etiam, ne Augusti, qui primus subscripserat, exciderent gratia, datam Deo fidem violarunt, et nefaria subscriptione Filium Dei non jam Patri *ὁμοούσιον*, sed tantum *ὁμοιούσιον* confessi sunt. atque inde factum est, ut Semiariani gloriarentur, secum sentire omnem Africam (4), quam et litteris ad Episcopos missis pervertere conati sunt. quamquam subinde ea quoque formula ipsis displicuit (5); itaque quae jam didita exempla fuerant, revocanda curaverunt, interposita Principis auctoritate, poenaque edicto in eos promulgata, qui ejusmodi exemplum apud se retinuissent. cujus rei caussa certos homines in Africam quoque submissos, qui exempla illa ab Episcopis per vim auferrent, testatur Hilarius (6), strenuus ille Arianorum omnium exagitator, quem Deus Ecclesiae suae fidissimum propugnatorem his temporibus dederat.

(1) *Cod Theod. lib. XI. Tit. XXXVI. L.* 13.
(2) *ibid. lib. XII. Tit. I. L.* 44. 45
(3) Sozom. *lib. III. c.* 15.
(4) Mar. Vict. *lib. I. in Ar. B. PP. T. III. P.* 1.
(5) Socrat. *lib. II. c.* 30. *item* Sozom. *l. III. c.* 6.
(6) *lib. contra Constantium n.* 26.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLVIIII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES cientur in Fastis Fl. Eusebius et Hypatius fratres, iidemque ob Eusebiam Augustam sororem leviri Constantii Aug. his Consulibus Felix decessisse creditur, qui pro Liberio pontificatum in urbe gesserat, isque Martyr, quod Constantio damnato Arianos in necem suam concitasset (1). olim certe inscriptio in tumulo reperta, quae hunc illi honorem adsereret. ceterum longiorem ei vitam alii tribuunt (2).

II. Restitutus hoc anno ad Concilium Ariminense vocatus, multis ex Africa Episcopis comitantibus in Italiam navigavit. geminam enim synodum jam Constantius indixerat, ut Episcopi Orientis Seleuciam Isauriae proficiscerentur; qui ex Occidente erant, Ariminum convenirent. quadringenti autem illic adfuisse dicuntur, partim Catholici, partim Ariani, qui et binos in coetus ab ipso initio divisi congregabantur. inter Catholicos porro primae partes fuere Restituti et Musonii Byzaceni (3), cui aetas ipsa et canities auctoritatem afferebat: sed par ceterorum animus, mirusque in haeresi damnanda repudiandisque haereticis consensus omnium perdiu fuit. quare XII. kal. Aug. quo die, ut ait Hilarius (4), *statutum est nihil debere paternam minui traditionem*, simulque *Qui contra hanc veniebant, omnium in unum conspirantium spiritali voce sunt damnati;* optimo utique exitu absolutum Concilium videri poterat. verum legati ad Augustum mittendi erant, qui eum de rebus Arimini gestis certiorem facerent, reditusque eorum expectandus, qui abeundi potestatem ab Augusto datam significarent. igitur Episcopi decem ex omni numero delecti, qui ea de caussa Constantinopolim proficiscerentur, eorumque primus fuit Restitutus. at Ariani interea anteverterant, et primi animum Principis occupaverant. quare illi, quum eo pervenere, aditum sibi ad Constantium plane praeclusum invenerunt, ut quas afferebant litteras, officio tradere necesse fuerit. unde responsum denique accepere, multis distentum curis Augustum, et militari etiam expeditione retardatum, de legatione eorum cognoscere non posse: itaque commode eos Hadrianopoli reditum illius praestolaturos. ipse autem Constantius, qui Patres Ariminenses remeandi cupidos delassare vellet, eosque, rem procrastinando, de recta sententia dimovere, litteras ad Concilium scripsit, quibus eam moram excusabat, et expeditionem adversus barbaros reique publicae negotia praetexebat, quae sibi nec tempus nec eam tranquillitatem concederent, quam eorum legatio efflagitabat (5).

III. Iamvero Arimini quidem nihil turbatum, eoque in otio Patres de aliis Ecclesiae negotiis cogitationem curamque susceperunt. at legati,

(1) v. Baron. *ad an.* 357.
(2) v. *Dissert.* Paolin. *Romae ed.* 1790.
(3) Hieron. *adv. Lucif. n.* 18.
(4) *in frag. lib. II.*
(5) Theod. *H. E. lib. II. c.* 15. *etc.*

quum Hadrianopolim concessissent, animum abjecere: invitatique Nicaeam Thraciae, quum eis pericula intenderentur, minae jactarentur, Arianorum denique fraudibus victi, VI. idus Octobres synodum illic cum eis celebraverunt (6), in qua Restitutus ducem se auctoremque erroris praebuit, Acta Concilii Ariminensis rescindenda censuit, formulam denique Sirmiensi tertiae persimilem recepit, ac subscriptione firmavit: in qua Filius *similis Patri*, *qui eum genuit* tantummodo dicebatur; et sub finem haec addebantur: *Nomen autem substantiae, quod simplicius insertum est a Patribus, et a populo non intellectum scandalum pariebat, quoniam in Scripturis non exstat, tolli placuit, et de cetero nullam penitus fieri mentionem substantiae, maxime quum divinae litterae Patris et Filii substantiae nusquam meminerint. neque item in persona Patris et Filii et Spiritus sancti unam hypostasim nominari debere. similem vero Patri Filium dicimus, sicut et divinae Scripturae dicunt et docent. omnes autem haereses vel jam ante damnatae, vel si quae recens ortae sunt, quae expositae huic scripturae repugnent, anathema sint.* hoc pacto Restitutus et reliqui legati ad Vrsacii, Valentis, Germinii, Caji communionem accesserunt, et hac macula suscepta facile impetrarunt, ut Ariminum redire possent: quo jam Constantius perscripserat ad Taurum Praefectum Praetorio, ne Episcopum ullum inde abire ante pateretur, quam legatorum formulae subscripsisset: qui repugnarent, dum ne plures, quam quindecim numero essent, exsilio afficeret. atque epistolas idem ad Episcopos quoque miserat, quibus *substantiae* et *consubstantialis* vocabula aboleri jubebat, gravissimeque eos objurgabat, qui Arianos Episcopos loco movere ausi fuerant (7).

IIII. Post haec Arimini, quamquam multi fuerunt e Catholicis Episcopis, qui legatos suos detestarentur, ab iisque secederent; in illo tamen Arianorum triumpho, qui exinde Catholicorum templum sibi vindicaverant, animi sensim, fortium quoque, conciderunt, ac rerum etiam inopia, morae diuturnitate, Ecclesiarum suarum desiderio fracti, mitius primum agere coeperunt, tum formulam ipsam, quae proponebatur, levius improbare: quidam etiam probam et Catholicam ducere: praesertim quum Valens ipse Mursensis Arianum se esse negaret, et proposita a Musonio et Claudio Catholicis Episcopis errorum capita, aeque ac illi, rejiceret damnaretque. ita demum plerique omnes qua metu, qua fraude decepti formulae illi subscripsere. *His ita gestis*, addit Hieronymus (8), *Concilium solvitur: laeti omnes ad provincias revertuntur. idem enim Regi et bonis omnibus curae fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur. sed diu scelera non latent, et cicatrix male obducta incocto pure dirumpitur. ceperunt postea Valens et Ursacius ceterique nequitiae eorum socii, egregii videlicet Christi sacerdotes, palmas suas jactitare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem*

(6) apud. Hard. *Conc. T. I. p.* 719.
(7) Sulp. Sev. *lib. II. p.* 412. *ed. Sig. etc.*
(8) *advers. Lucifer. n.* 19.

ceteris creaturis. tunc Usiae nomen abolitum est: tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est: ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLX.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. **Consulatu** functi hoc anno Imp. Fl. Constantius x. Fl. Claudius Iulianus Caesar III. ille quidem Constantinopoli, hic vero in Galliis, ubi et Augustus, invito Constantio, appellatus est a militibus imperium hujus detrectantibus, quod eos in Orientem adversus Persas evocaret, et Gallias finitimis hostibus objiceret. synodo autem Ariminensi dimissa, Episcopos aliquot etiam ex Africanis ad Constantinum esse profectos, declarat ipse Augustus in ea constitutione, quam hoc anno emisit adversus immunitatem Ecclesiarum et Clericorum (1): se enim repulisse ait, quod illic Patres censuerant, *Vt juga, quae viderentur ad Ecclesiam pertinere, a pubblica functione cessarent, inquietudine desistente:* idque a se esse decretum, quod alii Episcopi ex Italia, et qui ex Hispania atque Africa commearant, probassent, id maxime justitiae convenire, *Vt praeter ea juga et professionem, quae ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia sustinenda, translationesque faciendas omnes clerici debeant adtineri.* nec dubium, hujusmodi Episcopos ex eorum numero fuisse, qui dedita opera ad Arianorum partes transierant, et magnam se apud Augustum gratiam iniisse existimabant.

II. Nam ceteri quidem, quos Ariana fraus deceperat, cognita adversariorum malitia, ad Ecclesias suas moesti redierant, et erroris sui remedia studiose quaerebant. *Alii,* inquit Hieronymus (2), *intra suam communionem remanere, alii ad eos Confessores, qui sub nomine Athanasii exsulabant, coeperunt litteras mittere.* in horum autem numero censendus omnino est Restitutus, quum huic postea ab Ecclesia Carthaginiensi caelestes honores, ut diximus, decreti fuerint, et Possidius praeterea, Tractatus Augustini recensens, sermonem ab eo habitum memoret *De depositione Restituti Episcopi Carthaginis:* qui tamen deperditus est (3). atque inde etiam liquet, multos ei vitae annos post synodum Ariminensem esse tribuendos, quibus sancte traductis infamiam suam deleverit, et quantum aliis pravo antea exemplo ad Ecclesiam Catholicam et rectam doctrinam deserendam incitamento fuerat, tantum suis postea veri auctor et fautor concordiae, contemptu periculorum, constantia animi et maximarum virtutum professione praeluxerit.

(1) *Cod. Theod. lib. XI. Tit. I. L.* 15.
(2) *advers. Lucifer. n.* 19.
(3) *in Indic. Opusc. Aug. c.* 8.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXI.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES prodiere, Romae Fl. Taurus, Constantinopoli Fl. Florentius. Proconsulem Africa rursum habuit Flavianum, sive idem ille fuerit, qui eam quadriennio ante rexerat, sive alius quispiam ex eadem gente, vel nomine tantum eodem: quod unum lex ostendit hujus anni (1), qua judicum iracundiae in capitalibus caussis modus adhibetur. interea Iulianus sibi a Constantio metuens, qui solus Augusti numen et auctoritatem jure usurpabat, nec socium ferebat, delectu militum habito exercitum conscribere coeperat, certus bello rem gerere, si ille signa intulisset. nec vero Constantius ab eo consilio aberat: nam Persis intra fines suos cohibitis, jam ex Oriente redibat, ducesque suos in Illyricum praemiserat, qui Iuliano adventanti iter intercluderent. tum et in Africam Gaudentium ex consilio suo legaverat, ut Cretionis opera usus, qui Comes copiis militaribus praeerat, provincias tueretur, et omnes Iuliani motus conatusque prohiberet (2).

II. Ceterum Constantius, quum Tarsum in Ciliciam pervenisset, febri correptus in morbum incidit, quem depellere non potuit: itaque annum agens quadragesimum quintum, magno, ut putabatur Ecclesiae bono, excessit e vita III. nonas Novembres. *Periclitabatur*, inquit Hieronymus (3), *navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur: nihil jam supererat spei; Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas rediit. manifestius dicam, omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Ecclesias redeunt.* plurimum sane utilitatis in Catholicos redundavit, quod clarissimi Episcopi ad Ecclesias suas reversi essent: quos inter eminebant Athanasius, Hilarius, Eusebius, quorum maxime opera synodi Ariminensis deleta macula est, in communionemque passim recepti, quos tum Arianorum fraudes deceperant. sed cum alia calamitas paullo post Ecclesiam late sub Iuliano afflixit, tum Africa in primis hostes suos illico reduces vidit, et audaciores multo ferocioresque experta est. pervenit Iulianus Constantinopolim III. idus Decembres, ubi a senatu Augustus appellatus, spem quidem dare visus est libertatis ac dignitatis: sed Ecclesiae tamen, jam Apostata, et superstitionis restitutor, perniciem exitiumque vafris consiliis moliebatur.

(1) *Cod. Theod. lib. xI. Tit. xxxvI. L. 14. num Flavianus hic? de quo Aug. de C. D. lib. xvIII. c. 23.*

(2) Ammian. *lib. xxI. c. 7.*

(3) *advers. Lucifer. n. 19.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consules simul processerunt Fl. Mamertinus, Fl. Nevitta. at Africa Vicarium habebat Anicianum, ad quem Iulianus, quum Antiochiae esset, plures hoc anno leges dedit: Proconsul vero designatus fortasse est, qui tum Vicarius Vrbis erat, Hymetius: nam hunc proconsulatu in Africa functum constat. Donatistae interea, qui extorres quartum jam et decimum annum in Europa exsulabant, audita Constantii morte, magnam in spem venerunt, se facile, Iuliano rerum potito, in Africam reversuros. ergo certiores facti, huic provincias parere et omnes exercitus adquievisse, certos e numero suo Episcopos designarunt, qui legatione ad Principem fungerentur. *Sequutus alius Imperator*, ajebat Donatistas adloquens Optatus (1), *vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici, apostatam se edictis suis testatus est: quem precibus rogastis, ut reverti possetis: quas preces si vos negatis misisse, nos legimus. nec difficultatem praebuit quem rogastis: ire praecepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos. erubescite, si ullus est pudor; eadem voce vobis libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri jussa sunt templa.* supplicasse autem dicuntur Rogatianus, Pontius, Cassianus, tanta adsentatione, ut hoc quoque affirmare non dubitarent, *apud eum solam justitiam habere locum* (2). quibus Iulianus non modo aures praebuit, sed etiam optata libens obtulit, *eo modo putans*, inquit Augustinus, *Christianum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiae, de qua lapsus fuerat, invideret, et sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret.* manet vero adhuc rescripti particula, unde eos in Africam auctoritate publica armatos rediisse constat, ut quae antea contra Catholicos ausi fuerant, rursum impune aggrederentur. his enim Iulianus verbis, Paullum et Macarium non obscure perstringens, usus est (3): *Hoc quoque supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano et ceteris Episcopis, sed et Clericis, accedit ad cumulum, ut abolitis, quae adversus eos sine Rescripto perperam gesta sunt, in antiquum statum cuncta revocentur.*

II. Iam qualis Donatistarum adventus in Africam fuerit, ab Optato discere juvat, qui eum in adversariis suis sic exprobrat (4): *Eisdem pene momentis vester furor in Africam revertitur, quibus Diabolus de suis carceribus relaxatur. et non erubescitis, qui uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis? venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes Ecclesiae, subtiles in seductionibus, in caedibus immanes, filios pacis ad bella provocantes. de sedibus suis multos fecistis extorres, cum conducta manu venientes Basilicas invasistis: multi ex numero*

(1) *de Schism. Don. lib. II. c.* 16.
(2) *August. epist.* 105. *n.* 9.
(3) *Aug. contra Petil. lib. II. c.* 97.
(4) *ibid. lib. II. c.* 17.

vestro per loca plurima, quae sub nominibus dicere longum est, cruentas operati sunt caedes, et tam atroces, ut de talibus factis ab illius temporis judicibus relatio mitteretur. quo autem pacto Donatistae Basilicas Catholicis ereptas sibi addixerint, easquo tamquam a profanis receptas more suo expiaverint, idem Optatus ita exponit, ut sacros eorum temporum ritus et prisca Ecclesiae instituta nos doceat. *Quid enim*, inquit (5), *tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus et vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere? in quibus et vota populi et membra Christi portata sunt, quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descenderit Spiritus sanctus: unde a multis et pignus salutis aeternae et tutela fidei et spes resurrectionis accepta est. altaria, inquam, quibus fraternitatis munera non jussit Salvator imponi, nisi quae essent de pace condita: Depone, inquit, munus tuum ante altare, et redi prius, concorda cum fratre tuo, ut possit pro te sacerdos offerre* (6). *quid est enim altare, nisi sedes et corporis et sanguinis Christi? haec omnia furor vester aut rasit aut fregit aut removit.* tum longa oratione de hoc scelere questus, adjecit (7): *Hoc tamen immane facinus a vobis geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portatores: quorum species revocastis in massas, merces nefariis nundinis procurantes, ad quam mercem nec emptores eligere voluistis: avari dum venditis, sacrilegi dum inconsiderate vendidistis.* iidem vero tantum scelus alicubi alio etiam incredibili scelere cumularunt. *Jusserunt*, inquit Optatus (8), *Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii: nam iidem canes accensi rabie ipsos dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos dente vindice tamquam ignotos et inimicos laniaverunt. ampullam quoque chrysmatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt; et quum casum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quae ampullam spiritali subvectione deduceret; projecta casum sentire non potuit, Deo muniente illaesa inter saxa consedit.*

III. Haec ab Optato generatim atque universe commemorata, ut Donatistarum in Africam, qualis fuerat, reditum repraesentaret. sed quaedam etiam de Numidia, in qua pontificatum gerebat, quaedam et de vicina Mauretania singillatim indicavit, unde hominum furor quantus fuerit, maxime manifestum est. sic enim adversarios suos ille adloquitur (9): *Memoramini per loca singula qui fuerint vestri discursus. nonne de numero vestro fuerunt Felix Zabensis et Ianuarius Flumenpiscensis* Episcopi ambo Sitifensis Mauretaniae, *et ceteri, qui tota celeritate concurrerunt ad Castellum Lemellense* provinciae ejusdem? *ubi quum contra importunitatem suam viderent Basilicam clausam, praesentes jusserunt comites suos, ut adscenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas. imperia eorum sine mora completa sunt, et quum altare defen-*

(5) *ibid. lib. VI. c. 1.*
(6) *Matth. c. 5. n. 24.*
(7) Optat. *ibid. c. 2.*
(8) *ibid. lib. II. c. 19.*
(9) *ibid. c. 18.*

derent Dinconi Catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt, Primus filius Ianuarii et Donntus filius Nini, urgentibus et praesentibus Coëpiscopis vestris supra memoratis. subinde Optatus, quum pari modo apud Carpos in provincia Proconsulari necatos Diaconos significasset, haec quoque de eorundem nequitia et crudelitate subtexuit: *In Mauretaniae civitatibus vobis intrantibus quassatio populi facta est: mortui sunt in uteris mntrum qui fuerant nasciturі..... quid commemorem Tipnsam Cnesariensis Mnuretaniae civitatem? ad quam de Numidia Urbanus Formensis et Felix Idicrensis dune faculae incensae livoribus cucurrerunt, quietorum et in pace positorum animos perturbantes: nonnullorum officialium et favore et furore juvante, et Athenio praeside praesente cum signis, Catholica frequentia exturbnta et cruentatn, de sedibus suis expulsa est: lacerati sunt viri, trnctae sunt matronae, infantes necati sunt, abacti sunt partus.* haec Tipasae patrata, nec tamen id praeclaris illis Episcopis satis fuit. inde enim in Numidiam revertentes, vim qnoque devotis Deo virginibus intulerunt (10). Felix vero ille Idicrensis, addit Optatus, *qunsi de peccato sanctior fieret, Tysedim velociter properavit: sic Donatum annorum septuaginta Episcopum, hominem innocentem spoliare ausus est Episcopnli nomine et officio et honore. venit schismaticus ad Episcopum Catholicum, nd innocentem reus, ad Dei sacerdotem sacrilegus, incestus ad castum, ad Episcopum jam non Episcopus, sed de placito et de conjuratione vestra securus, vestris legibus et decretis armatus: manus, quas pnullo ante peccata gravaverant, capiti innocentis injecit, et de illa lingua ausus est ferre sententiam, quae jam nec ad poenitentiam agendam vel idonea videbatur.*

IIII. Qui demum Carthagine, Donatistis irruentibus, motus fuerint, quamquam litteris consignatum non invenio, facile tamen quisqne ex eorum moribus fingere sibi potest: quum praesertim adductum ab eis Parmenianum noverimns (11), et in urbe maxima sectae suae Principem constitutum: quod sine tumultu magnisque concertationibus fieri non potuit. quare eorum licentia atque audacia mire probatam Restituti Episcopi patientiam crediderim, quae illum deinde virornm sanctorum promeritis in Ecclesia aequavit, et apnd quosdam Martyris qnoque appellatione dignum effecit (12).

(10) Optat. *ibid. c.* 19.
(11) Optat. *lib. III. c.* 3. v. Ballerin. *in Oper. Noris. T. III. p.* 356.
(12) *in Mart. Rom.* 8. *Dec.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXIII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM suscepit Constantinopoli Imp. Fl. Claudius Iulianus IIII. Romae Secundus Sallustius Promotus. in Africam antem Proconsul missus

est Octavianus, Vicarius Avitianus: provincia Byzacena Consularem habuit Aginatium, qui deinde Vicaria Vrbis praefectura functus putatur (1). de reliquis provinciarum rectoribus nihil accepimus. sed hi tamen, quum turbatam in Africa pacem exsulum reditu viderent, litteras, ut par erat, mature scripserant ad Iulianum contra Donatistas (2), graviter questi, ab eorum adventu nihil usquam tutum esse, nihil pacatum: singula item seditiosorum ducum facta exposuerant, et quid quaque in urbe Catholici ab illis toleraverant. enimvero Iulianus oblatam sibi Christianorum omnium vexandorum occasionem putaverat, et caussam, quam praetexeret, rationem quam iniret, secum meditatus jam erat. itaque ob illam Donatistarum licentiam parum abfuit, quin Ecclesia in summum discrimen adduceretur, et Diocletianea tempora rediisse formidaret. nam et tristes de Christianis nuncii undique afferebantur, sub Principe Apostata multos superstitioni se dedisse, patere rursum inanium Deorum fana, impia sacrificia frequentari, Christianos honoribus spoliatos exsulare; qui fortiores constantioresque fuissent, partim vitam clam amisisse, partim in vincula esse conjectos.

II. *Sed intervenit*, inquit Optatus (3), *et occurrit judicium Dei, ut ille, qui vos jamdudum redire jusserat, Imperator profanus et sacrilegus moreretur, qui persecutionem vobis provocantibus jam miserat, aut mittere disponebat.* Iulianus nempe, quum in Persas profectus, ad Tigrim usque pervenisset, ac re mala gesta recederet, in pugna ictus telo concidit, nec multo post VI. kal. Iulias exitu vitae consentaneo diem obiit supremum. cujus loco exercitus consensu maximo intra diem proximum salutavere Augustum Varroniani Comitis filium Fl. Claudium Iovianum: qui quamquam brevis aevi Princeps fuit, Ecclesiae tamen summis calamitatibus oppressae solatium attulit non mediocre.

III. Verum sub Ioviani principatu, qui mensem octavum non explevit, Ecclesia Africana opis nihil subsidiique adversus Donatistas impetravit: illi impune quae incohaverant, absolvere instituerunt. Basilicae enim quotidie Catholicis eripiebantur, quas ritu suo expiare pergebant, multi, qui sectam reliquerant, in coetum eorum redire cogebantur, novae item leges, nova instituta in Catholicorum contemptum inducebantur, quae Optatus carptim, ut occasio scribendi ferebat, at opportune adnotans, Parmeniano adversario et adseclis ejus exprobravit. *Exorcizastis*, inquit (4), *fideles, et lavistis sine caussa parietes: ut hoc nequitiae genere subrueretis simplicissimorum hominum mentes. talibus consiliis vestris nonnullorum animi jugulati sunt, et sub nube simplicitatis obcoecato astutiae lumine, ut miseros sterneretis, sagittas de pharetra pectoris seductionibus praemisistis.* subinde morem ab illis inductum narrat (5), ut apud eos per Donatum et sectam juraretur, nulla Dei injecta mentione, perinde quasi illius loco ipsi jam essent. addit alibi (6), virgines Dei ad poenitentium conditionem ab

(1) Ammian. *lib. XXIII. p.* 238.
(2) Optat. *lib. II. c.* 17.
(3) *ibidem.*
(4) *lib. II. c.* 21. *etc.*
(5) *ibid. c.* 22.
(6) *lib. VI. c.* 4.

illis esse redactas, *Vt jamdudum*, inquit, *professae, signa voluntatis capitibus, postea vobis jubentibus, immutarent, ut mitellas alias projicerent, et alias acciperent..... consecratos Deo sparsistis immundis cineribus crines, jussistis etiam salsa aqua perfundi. et utinam vel id, quod tulistis, velociter reponeretis! protraxistis moras, ut retroactae in pristino habitu aliquae diutius remanerent, retractis signis, quibus se jamdudum contra petitores et raptores muniverant: qui quum viderent, praescriptionem sibi jamdudum oppositam a vobis esse sublatam, de sponsis raptores effecti sunt: nec visus est sibi unusquisque peccasse, dum talem rapuit, qualem viderat, quando, ut uxorem acciperet, postulabat.* queritur alio loco, ausos eosdem pari audacia Episcopis etiam poenitentiam indicere, et honore nominis sui spoliare sacerdotes. *O impietas*, inquit (7), *inaudita! quem jugulaveris, inter poenitentiae tormenta servare: in comparatione operis vestri, latronum levior videtur immanitas ..... quid iniquius, quam exorcizare Spiritum sanctum?* multa rursus coacervans perstringit, quod ad profanos confugerint, et externa ope usi Catholicos compilarint. *Per judicia*, inquit (8), *saecularia et leges publicas divinae legis instrumenta exequutione officiorum a plurimis extorquenda esse duxistis: volentes soli habere, quod pax in commune possederat. non verear Christianus dicere, quod vobis postulantibus gentilis exequutio non potuit ignorare: velamina et instrumenta Dominica extorsistis, quae jamdudum fuerant in commune possessa, extorsistis cum codicibus pallas; judicio superbiae vestrae utraque arbitrati estis esse polluta: nisi fallor, haec purificare properastis: lavistis procul dubio pallas; indicate, quid de codicibus feceritis.* demum ne mortuis quidem placabiles eos fuisse testatur: ait enim (9), *Quid referam etiam illam impietatem de vestra conjuratione venientem, quia ad hoc Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis Coemeteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora catholica; ut terreatis vivos, male tractatis et mortuos, negantes funeribus locum.* nec vero jam plura congerenda sunt, ut quae Donatistarum reditus detrimenta Ecclesiae Catholicae importarit, luculentius demonstremus.

(7) *lib. II. c. 21.*
(8) *lib. VI. c. 5.*
(9) *ibid. c. 7.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXIIII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum Ancyrae in Galatia susceperunt Imp. Fl. Iovianus et Ioviani filius Varronianus Nobilissimus Puer. inde Constantinopolim Augustus properabat, cujus legatos in Bithyniae finibus offendit. sed quum Dadastanae constitisset pernoctandi caussa, ibidem in lecto mortuus inventus est XIIII. aut XIII. kal. Martias, quum annum aetatis suae

tricesimum tertium vix explevisset. in eo Catholici magno se praesidio spoliatos merito putaverunt: eodem enim animo Arianos detestabatur, quo Iuliani superstitionem primo ipso Imperii die aversatus fuerat. ceterum de repentino hujusmodi funere hoc Augustinus sentiebat, Iovianum multo citius, quam Iulianum ablatum, ut et alios quosdam bonos Principes, *Ne Imperator quisquam ideo Christianus esset, ut felicitatem Constantini mereretur, quum propter vitam aeternam quisque debeat esse Christianus* (1).

II. Paullo post progressus exercitus Nicaeam usque, de Ioviani successore deliberare coepit: ibique Valentinianum v. kal. Martias Augustum appellavit, et Nicomediam primum, deinde Constantinopolim prosequutus est. illic Valentinianus, quoniam milites enixe postulaverant, ut sibi socium Imperii adscisceret, v. kal. Apriles Valentem fratrem Augustum dixit. mox ambo Hadrianopolim, ac deinceps in Daciam profecti atque Pannoniam, partim Naisi, partim Sirmii de provinciarum divisione egerunt: quumque Valenti Orientem Valentinianus reliquisset, Occidentem sibi reservasset, ille Constantinopolim concessit, hic Mediolanum profectus est. porro Africa ad Valentinianum pertinere coepit, quae cum Italia, Illyrico, Gallia, Hispania et Britannia Imperium Occidentis constituebat.

III. Nec vero ille serius Africam respexit. nam hoc ipso anno lex Carthagine accepta VIII. kal. Octobres, quae missa fuit ad Dracontium Vicarium, adversus Ducenarios, ut ii ab exactione provincialium arcerentur (2). aliae subinde ad eundem datae, quae studium optimi Principis erga Africam praesceferunt: item ad Ampelium Proconsulem quae de Navicularis Africanis est (3), ut privilegiis augerentur. sed binae etiam exstant leges ad Byzacenos datae, quae reipublicae caussa Ecclesiam laesisse videantur. prima est hujusmodi (4), *Plebejos divites ab Ecclesia suscipi penitus arcemus.* altera ita se habet (5), *Qui partes eligit Ecclesiae, aut in propinquum bona propria conferendo, eum pro se faciat Curialem; aut facultatibus Curiae cedat, quam reliquit.* illud scilicet spectaverat Valentinianus, ne ob Ecclesiae immunitatem munia publica et nervi reipublicae eliderentur, iis ad Clerum accedentibus, qui publicis muneribus fungi maxime possent et deberent. qua de re postea Ambrosius in epistola ad Valentinianum, contra Symmachum disserens, qui Pontificum suorum privilegia repetebat, modeste his verbis meminit (6): *Sacerdotibus quoque suis et ministris queruntur alimenta publica non deberi: quantus hinc verborum tumultus increpuit! at contra nobis etiam privatae successionis emolumenta recentibus legibus denegantur; et nemo conqueritur: non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolemus. si privilegium quaerat Sacerdos, ut onus Curiale declinet, patria atque avita et omnium facultatum possessione cedendum est ..... soli*

(1) *de Civ. Dei lib. v. c.* 25.
(2) *Cod. Theod. lib. xI. Tit. vII. L.* 9.
(3) *ibid. lib. xIII. Tit. v. L.* 10.
(4) *ibid. lib. xvI. Tit. II. L.* 17.
(5) *ibid. lib. xII. Tit. I. L.* 59.
(6) *epist.* 18. *n.* 13.

ex omnibus Clerico commune jus clauditur, a quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur. et quae deinceps.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXV.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodiere Augusti, Imp. Fl. Valentinianus Mediolani, Imp. Fl. Valens Constantinopoli. Dracontium hoc item anno Vicaria Africae praefectura fungentem multae ad eum datae leges demonstrant. numeris autem militum, qui fines Romanos tuebantur, jamdudum praeerat Romanus Comes, vir quidem acris judicii, multum providens, idoneus rebus gerendis; sed qui ingenio et sagacitate ad Africanorum perniciem abutebatur: cujus maxime caussa Tripolitani diu a barbaris finitimis vexati, et Leptis magna obsessa est (1).

II. At vero Donatistae legibus novis nondum coerciti, et numero jam ac viribus formidabiles, summa licentia a Catholica Ecclesia avellebant, quotquot olim in secta sua institutos norant: ipsos Episcopos, qui illis praeessent, honore spoliabant. ex horum numero memorat Optatus (2) Denterium, Parthenium, Donatum, Getulicum, quos illi in ordinem redegerant. hoc pacto vicos atque oppida tota sectae suae addicta nullo negotio pervertebant. bellum autem ab iis perpetuum cum Catholicis gerebatur, quos Paganos appellabant (3): ut nullum jam officium redderetur, nulla daretur significatio urbanae humanitatis. quo pertinent querelae apud Optatum (4): *Nam et vos ipsi aliqui in perfunctoria salutatione oscula denegatis solita: et docentur multi, ne Ave dicant cuiquam nostrum.* inde facile quis intelligat, quantum per haec tempora molestiarum a Donatistis ferre Catholici coacti sint.

(1) Ammian. *lib. xxvii. et xxviii.*
(2) *lib. II. c. 25.*
(3) Optat. *lib. III. c. 11.*
(4) *lib. IIII. c. 5.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXVI.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Fl. Gratianus Nobilissimus Puer, et Fl. Dagalaiphus, Romae ambo, sive in Occidente. Festum Africa hoc anno Proconsulem habuit, ad quem missa lex (1), qua jubebant Augusti, loci judicem adversus eum judicare, qui possessionem turbasset. at Dracontius et hoc et proximo etiam anno Vicarius fuit.

II. Macedoniani interea, quum synodum Lamsaci celebrassent, legatos Romam ad Liberium miserunt, qui significarent, se cum illo sentire, et formulam exhiberent, qua Nicaeni Concilii doctrinam profitebantur. quum-

(1) *Cod. Just. lib. III. Tit. XVI. L. 1.*

que eos Liberius in fidem communionemque suam recepisset, atque litteras iis dedisset, quibus id ipsum testabatur; Roma in Siciliam atque inde in Africam quoque legati navigarunt, ut a Restituto aliisque Episcopis (2) sociales epistolas impetrarent, quas perferrent ad suos. atque eae deinde ingenti omnium gaudio in synodo Tyanensi perlectae sunt.

III. Ultimus hic pontificatus Liberii annus fuit: decessit enim VIII. kal. Octobres. in ejus autem locum factus est Damasus: cui factio seditiosorum Vrsinum opposuit, non sine caedibus et tumultu, quem demum Iuvencius Praefectus Vrbis, acto in exsilium Vrsino, compressit.

(2) Socr. *lib. III. c.* 12. Sozom. *lib. VI. c.* 12.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXVII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES huic anno obtigere ex Oriente Fl. Lupicinus, ex Occidente Fl. Valens Iovinus, quum ille in Syria, hic in Gallia exercitibus praeessent. Africam Proconsul regebat Festus, Vicarius Dracontius. eodem anno Gratianus Valentiniani filius, qui puer erat annorum novem, Ambianis a patre Augustus dictus est VIIII. kal. Septembres. utriusque autem Augusti nomine paullo post promulgata lex est, *Vt de reliquis Ecclesiarum sacerdotibus Episcopus Romanus haberet examen: ut et de religione Religionis Pontifex cum consortibus judicaret, nec ulla fieri videretur injuria sacerdotio, si sacerdos nulli usquam profani judicis, quod plerumque contingere poterat, arbitrio facile subjaceret* (1): quam ob legem gratiae a Concilio Romano Augustis actae sunt.

II. Non ultra haec tempora vixisse Victorinum, quem superius commemoravimus, ortu Africanum, et clarum Romae Rhetorem, docet nos cum Hieronymo Augustinus: ambo enim tradunt, Christianum eum factum senem; simul autem sub Iuliano Principe jam e nostrorum numero fuisse, confirmavit Augustino Simplicianus, quum illud addidit, Iuliani temporibus lege lata, qua Christiani litteraturam et oratoriam docere prohibebantur, Victorinum eam legem amplexum, loquacem scholam deserere maluisse, quam ejus verbum, qui linguas infantium facit disertas (2).

III. Pulsus hoc anno ab Auxonio Praefecto Praetorio Orientis Eunomius haeresiarches, quod Procopium recepisset, qui anno superiore adversus Valentem Augustum conjuraverat, tyrannidemque occuparat. jussus autem in Mauretania exsulare, quum eo duceretur, Mursae in Illyrico a Valente Episcopo Ariano acceptus hospitio, ejusdem opera impetravit, ut ab exsilio revocaretur (3). quod Afris salutare omnino fuit: quantum enim morbum quamque mortiferum pestis illa in Africam intulisset, si eo appulsus praeclarus magister sectae doctrinaeque suae scholam semel explicasset!

(1) *Cod. Theodos. in Append. ep'st. Concil.* n. 3.

(2) Aug. *Conf. lib. VIII. c.* 5.

(3) Philostorg. *lib. VIII. n.* 8.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXVIII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. IPSI Augusti Consulatum susceperunt, Imp. Fl. Valentinianus iterum, Imp. Fl. Valens iterum. Africae Proconsul datus Claudius, Vicarius Crescens, ut leges demonstrant. ex iisdem apparet, Valentinianum de Donatistarum motibus et violentia certiorem esse factum, et quantum ad Catbolicae Ecclesiae perniciem Rescripto Iuliani abusi essent, ex Praesidum relationibus aut Catholicorum libellis cognovisse. lege enim hoc anno ad Proconsulem data, quae sub Iuliano contra Ecclesiam Donatistis auctoribus sancita, quaeque eorum furore patrata fuerant, rescidit omnia, infectaque esse voluit: ut eaedem jam leges et jura valerent, quae extremis Constantii Aug. temporibus viguissent. *Quam ultimo*, inquit (1), *tempore Divi Constantii sententiam fuisse claruerit, valeat: nec ea in adsimulatione aliqua convalescant, quae tunc decreta vel facta sunt, quum Paganorum animi contra sanctissimam Legem quibusdam sunt depravationibus excitati.* haec Valentinianus XIIII. kal. Mart. sanxit, quum Treveris esset.

II. Iam et magnus Athanasius hoc anno de Catholicis Africanis laboravit. aliquid fortasse de Eunomio inaudierat, quem in Mauretaniam relegatum esse constabat: timueratque, ne haeretici hominis fraudibus multi deciperentur. quare quum synodum nuper Alexandriae cum nonaginta Aegypti et Libyae Episcopis forte celebrasset, suo et Concilii nomine praeclaram epistolam ad omnes Africae Episcopos misit, qua illis Nicaenam synodum magnopere commendabat, et Ariminensem conventum ac ceteras ejusmodi conspirationes plane contemnendas ostendebat: eam esse Nicaenam professionem admonens (2), quam omnes etiam eorum patres, qui tum eam impugnabant, praesentes sequuti essent, et subscriptione confirmassent: ipsam esse tropaeum et columnam, quae confixas haereses ostentaret, ac triumphatas testaretur.

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L.* 18. (2) Athan. *Op. T. I. p.* 931.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXVIIII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere Sex. Aurelius Victor, Iul. Felix Valentinianus Nobilissimus Puer, Valentis Aug. filius: quorum tamen praenomina minus certa. proconsulatum Africae his quoque Consulibus gessit Claudius, ad quem exstat lex sexta de Legatis, quae Treveris IIII. nonas Februarias data est. Tripolitani id temporis non modo a barbaris, sed etiam a Romano Comite Africae diu vexati, legatos ad Valentinianum non semel miserant, qui apud eum miserias suas deplorarent, opemque deposce-

rent (1). sed Romani in primis et Remigii Magistri officiorum opera et dilati delusique, et in invidiam etiam adducti sunt: tum lex quoque aulicorum fraude expressa ejusmodi (2): *Legati, qui ad Comitatum nostrum non cum necessariis desideriis et probabilibus rebus advenerint, cum injuria sui ad provinciam animalibus propriis revertentur.* malis scilicet suorum artibus deceptus Valentinianus praesidium innocentibus eripiebat, quos maxime incolumes et salvos optabat. aliae item leges ab eodem prodiere hoc anno, quae datae dicuntur ad Demetrianum Praefectum annonae Africae, prima de navicularis (3), altera de naufragiis (4), unde rem publicam bono Principi curae fuisse, facile agnoscas; at ea tamen sancita, quae deinde aliorum Principum constitutionibus molliri necesse fuerit.

II. Donatistas id temporis Augusti lege novissima deterritos modum aliquem furoribus suis posuisse, credibile est: nullum certe insolens factum, nullum hoc anno tumultum exstitisse novimus. crescebat interea puer Augustinus, qui nefariam sectam convelleret, eorumque quamplurimos ad bonam frugem revocaret. erat hic autem aetatis ejus annus decimusquintus, quem Madauris agebat oppido patriae finitimo, quo eum parentes in ludum miserant, ut Latinas et Graecas litteras disceret.

(1) Ammian. *lib.* 28. *c.* 6.
(2) *Cod. Theod. lib. XII. Tit. XII. L.* 6.
(3) *ibid. lib. XIII. Tit. V. L.* 7.
(4) *ibid. Tit. VIII. L.* 2.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXX.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt Imp. Fl. Valentinianus III. Imp. Fl. Valens III. leges hoc anno latae Claudium Proconsulatu, Crescentem Vicaria praefectura etiamtum in Africa fungentes ostendunt. sed tamen locus intra annum et Symmacho tribuendus est, quem Augusti hoc anno lege data pridie kal. Decembres, quae septuagesima tertia est de Decurionibus, Proconsulem Africae appellant (*). praeterquam quod ipse Symmachus Proconsulatum suum in epistolis saepe commemorat; nec alius ei annus adscribi potest. binae etiam leges exstant inscriptae Mauris Sitifensibus, quae ad militiae privilegia pertinent. eodem anno lecta Romae est in Ecclesiis Constitutio Augustorum ad Damasum missa (1) adversus licentiam et avaritiam Clericorum, obsequente Valentiniano Damasi studiis, qui mores eorum familiaritatibus feminarum et habendi cupiditate sensim corrumpi querebatur.

II. Donatistarum autem secta quum viribus convaluisset, ac per omnes jam provincias late longeque fusa, mole sua sibi stare videretur; illud unum aegre ferebat, quod multis nomini ejus inustis turpitudinis notis, domi forisque infamia laboraret. hanc porro elui posse existimarunt, si

(*) v. Reines. *Cl. VI. n.* 12.
(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L.* 20.

quis se ad scribendum conferret. nam ea ratione multa elevari, multa refelli licere, quae jam in animis hominum insedissent: posse etiam in Catholicis plura reprehendi; invidiaque in eos derivata, auctoritatem factioni accessuram. ergo eas sibi partes dux eorum Parmenianus sumpsit, qui libros suos contra Catholicos hoc anno emisisse putatur, nulla Catholicorum molestia, qui hoc maxime optabant, ut disputandi cum adversariis occasio aliqua offerretur, quam illi eatenus evitaverant (2). quae Parmenianus quinque libris complexus esset, ex Optato Episcopo Milevitano, qui eos egregie refutavit, compertum est. *A te quidem*, inquit (3), *frater Parmeniane, multa tractata sunt: sed video, mihi non eo esse respondendum ordine, quo a te dicta sunt singula. tu enim primo loco dixisti comparationes laudesque Baptismatis, et praeter carnem Christi a te male tractatam, cetera bene dixisti: hoc enim magis pro nobis te dixisse, suo loco monstrabitur. secundo autem loco, exclusis haereticis, unam dixisti esse Ecclesiam; sed eam, ubi sit, agnoscere noluisti. tertio loco traditores nullis certis personis aut nominibus accusasti. quarto a te Unitatis lacerati sunt operarii. quinto, ut minima praetermittam, dixisti de oleo et sacrificio peccatoris.*

ııI. Iam idem Optatus, quam respondendi rationem inierit, his verbis exposuit (4): *Sed mihi videtur primo loco traditorum et schismaticorum indicandas esse civitates, personas et nomina: ut quae a te de iis dicta sunt, veros auctores et certos reos suos agnoscant. deinde mihi dicendum est, quae vel ubi sit una Ecclesia, quae est; quia praeter unam altera non est. tertio a nobis militem non esse petitum, et ad nos non pertinere, quod ab operariis Unitatis dicitur esse commissum. quarto loco qui sit peccator, cujus sacrificium repudiat Deus, vel cujus oleum fugiendum sit. quinto de Baptismate. sexto de inconsideratis praesumptionibus et erroribus vestris.* at de ipso Optato, quamquam eum memorant laudantque Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Honorius Augustodunensis, nihil fere aliud novimus, quam Afrum eum fuisse, ac Milei sive Milevi in Numidia Episcopum. ceterum sanctitatem ejus diserte agnoscit Fulgentius, qui bis *Sanctum* appellat (5), et quod magis refert, Ecclesia Romana, quae memoriam ejus pridie nonas Iunias in Martyrologio celebrat.

ıııI. Sub anni finem Augustinus, qui Madauris Thagastam redierat, Carthaginem a parentibus studiorum caussa missus est, quum annum ageret decimum sextum: qua in urbe plura tum vitiorum incitamenta reperit, quam adjumenta studiorum. mores ipse juventutis, quae illic instituebatur, describens, laudatis, quae Romae vigebant, legibus, *Contra*, inquit (6) *apud Carthaginem foeda est et intemperans licentia scholasticorum; irrumpunt impudenter, et prope furiosa fronte perturbant*

(2) Optat. *lib. I. c.* 4.
(3) *ibid. c.* 6.
(4) *ibid. c.* 7.
(5) *lib. II. ad Monim. c.* 13.
(6) *Confess. lib. V. c.* 8. *n.* 14.

ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. multa injuriosa faciunt mira hebetudine et punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit, hoc miseriores eos ostendens, quo jam quasi liceat faciunt quod per tuam aeternam legem numquam licebit; et impune se facere arbitrantur, quum ipsa faciendi caecitate puniantur, et incomparabiliter patiantur pejora, quam faciunt. Graecas porro litteras Augustinus non neglexisse id temporis, omnino putandus est: in quibus etiam profecit, quamquam eas non amabat. certe Graecos ille Patres praecipue contra Iulianum Pelagianum postea protulit, et quum Latinas eorum Interpretationes haberet, maluit tamen ipse accuratius interpretari. itaque de Basilii loco ait (7), *Quod et si reperi interpretatum, tamen propter diligentiorem veri fidem verbum e verbo malui transferre de Graeco.* Graeca etiam non semel producit, quoties ipsam verborum vim efferre interesset (8).

(7) *contra Iulian. Pelag. lib. I. c.* 5. *n.* 14. (8) *ibid. n.* 22. 26. *etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXI.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Imp. Fl. Gratianus iterum, Sex. Anicius Petronius Probus. his Consulibus Symmacho Proconsuli successor Iulianus datus: Crescens Vicariam Africae praefecturam continuavit. scenicis spectaculis deditos Afros, Carthaginienses in primis, non obscure significat lex hoc anno ad Proconsulem data, qua praescriptum, ne puellas ex scenicis natas, si ita se gessissent, ut probabiles haberentur, ad scenam revocare fas esset (1): quod earum maxime caussa sancitum crediderim, quae Christianam religionem professae essent. alia item lex, quod mirere, a Diocletiano missa ad eundem contra Manichaeos Africam inficientes.

II. Augustinus hoc anno patrem amisit. fuerat Patricius, id enim illi nomen, usque ad extrema vitae tempora a Christiana professione alienus: sed eum Monnicae uxoris virtus sub exitum flexit, et multae ejusdem preces caelestem ei opem exorarunt. *Denique*, inquit Augustinus, matrem suam celebrans (2), *etiam virum suum jam in extrema vita temporali ejus lucrata est tibi, nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat.* ferocem scilicet conjugem fuisse, ait idem, quem una Monnica mansuetudine, patientia, obsequio doliniro, moderari, vincere posset. quum autem Augustinus patre orbatus angustia rei familiaris premi coepisset, nec mater illi sumptus omnes necessarios suppeditare sola posset, ut studiorum suorum curriculum Carthagine conficeret; Romaniani affinis liberalitas praesto illi fuit: quam deinde grata idem commemoratione commendavit, quum tres libros contra Academicos ad eum perscriberet (3).

(1) *Cod. Theod. lib. XV. Tit. VII. L.* 2. *v. Baron. ad an.* 287. *n.* 2.
(2) *Conf. lib. VIII. c.* 9. *n.* 22.
(3) *lib. II. c.* 2. *n.* 3.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi hoc anno Fl. Arintheus, Fl. Modestus, qui ambo Orientales putantur. leges autem his Consulibus in Africam missae Iulianum Proconsulem, Romanum Comitem ostendunt. sed ejus etiam mentio facienda est, quae Ampelio Praefecto Praetorio inscripta fuit adversus Manichaeos, quorum propago in Africa quoque erat, ut Augustini adolescentis errores testantur. edictum porro Augustorum his eos verbis coërcebat (1): *Vbicumque Manichaeorum conventus vel turba hujusmodi reperitur, Doctoribus gravi censione multatis, domus et habitacula, in quibus profana institutione docetur, fisci viribus indubitanter adsciscantur.*

II. Firmus hoc anno, quem Paullus Diaconus Thirmum appellat (2), Maurorum Regulus ex iis, quos Imperatores constituebant, et inter foederatos numerabant, multis a Romano Comite lacessitus injuriis, rebellavit, et purpura sumpta, Rex a Mauris est appellatus. horum armis Africa et Mauretania vastata, capta Caesarea, et direptioni atque incendiis relicta. Donatistae autem rati magnum se praesidium in Firmo habituros, ita ei studere coeperunt, ut in Mauretania *Firmiani* vocarentur (3). fuit et Episcopus eorum, qui urbem hosti proderet ea conditione, ut Donatistis parceretur: quod Augustinus praetermisso Episcopi nomine testatur, Rucatensem tantum appellans, *Qui*, inquit (4), *cum Firmo pactus perhibetur incolumitatem suorum, ut ei portae aperirentur, et in vastationem darentur Catholici.* ceterum in oppidi nomine dissentiunt exemplaria, nec *Rucata* nota est, ac fortasse *Rusazus* designatur oppidum Mauretaniae, de quo in commentario secundo dictum est. nec vero parum Firmo ad Africae perniciem favor ille Donatistarum profuit, quum ille ubique haud exiguum eorum numerum inveniret, qui etiam populis auctores essent, ut ad eum deficerent: illum quippe, ut ait Augustinus (5), licet hostem immanissimum Romanorum, in legitimis numerabant. at Valentinianus a provinciarum rectoribus edoctus, quanto jam bello Africa arderet, copiis e Moesia Pannoniaque contractis, Theodosium Comitem, qui pater Theodosii magni fuit, in Africam transmittere jussit.

III. Donatistae interea, quamquam Catholicis studio unanimi adversabantur, jam inter se dissidebant, ac plures in sectas paullatim abibant. quo pertinent illa Augustini verba adversus Parmenianum (6), *Jam multa frusta de isto frusto per totam Africam facta sunt: sic, sic necesse est, ut minutatim secti concisique dispereant, qui tumorem animositatis suae*

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. V. L. 3.*
(2) *in addit. ad Eutr. lib. XI.*
(3) Aug. *epist.* 87. *n.* 10.
(4) *in ead. epist. ibid.*
(5) *contra epist. Parmen. lib. I. c.* 11.
(6) *lib. I. c.* 4. *n.* 9.

Catholicne pacis sanctissimo vinculo praetulerunt. primus autem de medio extitit Tichonius, Gennadio teste, *in divinis litteris eruditus, juxta historiam sufficienter, et in saecularibus non ignarus, in Ecclesiasticis quoque negotiis studiosus* (7). hic suis ostendere nisus est, Ecclesiam esse non posse, quae exiguis finibus terminaretur: eam a Prophetis longe lateque diffusam describi, ut orbem universum impleret. *Tichonius*, inquit Augustinus (8), *omnibus sanctarum paginarum vocibus circumtusus evigilavit, et vidit Ecclesiam Dei toto orbe diffusam, sicut de illa tanto ante per corda et ora sanctorum praevisum atque praedictum est. quo percepto suscepit adversus ipsos suos demonstrare et adserere, Nullius hominis quamvis sceleratum et immane peccatum praescribere promissis Dei, nec id agere quorumlibet intra Ecclesiam constitutorum quamlibet impietatem, ut fides Dei de Ecclesia futura et diffundenda usque ad terminos orbis terrae, quae in promissis Patrum retenta et nunc exhibita est, evacuetur.* quamquam vero Tichonius non viderat, consectarium esse, ut soli Catholici ex Africa ad Ecclesiam pertinerent, quod soli reliquis totius orbis Christianis communione jungerentur; vidit tamen hoc Parmenianus, videre ceteri Donatistae, atque in eum graviter exarserunt, cujus nova doctrina totam sectam labefactabat. itaque *maluerunt*, ut ait Augustinus, *suscipere obstinatissimum animum adversus apertissimam veritatem, quam Tichonius adserebat, quam ea concessa superari ab Africanis Ecclesiis, quae illius unitatis, quam Tichonius adserebat, communione gauderent, unde se isti separassent.*

III. Ceterum Tichonius sectatores invenisse non videtur: fortasse ne Episcopus quidem erat, eaque de caussa sectam incohare non potuit. at suam in Mauretania Caesariensi Rogatus Episcopus Cartennitanus jam instituerat, a quo Rogatistae nomen habuere, parva omnino cohors: nam sub Vincentio Rogati successore non plus quam decem in secta Episcopos numerabant (9). et tamen ita sibi blandiebantur, ut apud se solos Ecclesiam Dei esse contenderent. quae enim Tichonius de Ecclesia per orbem diffusa scripserat, atque ob id *Catholicam* appellatam ostendere evicerat, ipsi nova plane interpretatione se infirmare arbitrabantur. quod Augustinus Rogatistam coarguens sic nobis exposuit (10): *Acutum autem aliquid tibi videris dicere, quum Catholicae nomen non ex totius orbis communione interpretaris, sed ex observatione praeceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum: quasi nos etiamsi forte hinc sit appellata Catholica, quod totum veraciter teneat, cujus veritatis nonnullae particulae etiam in diversis inveniuntur haeresibus, hujus nominis testimonio nitamur ad demonstrandum Ecclesiam in omnibus gentibus, et non promissis Dei et tam multis tamque manifestis oraculis ipsius veritatis. sed nempe hoc est totum, quod nobis persuadere conaris, solos remansisse Rogatistas, qui Catholici recte appellandi sint ex ob-*

(7) *de vir. illustr. c.* 18.
(8) *contra epist. Parmen. lib. I. c.* 1.
(9) Aug. *epist.* 93. *c.* 6. *n.* 21.
(10) *ibid. c.* 7. *n.* 23.

servatione praeceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum; et vos esse solos, in quibus inveniat fidem, quum venerit filius hominis. da veniam, non credimus. quamquam autem in Mauretania a Deuterii Macrianensis temporibus Baptismum iterare Donatistae non solebant, Rogatistarum secta ab his discrepabat, ac se Cypriani auctoritate tuebatur: multa etiam e sacris litteris testimonia perperam praetexebat, quae illi postea Augustinus eripuit, gravi epistola ab errore omnes revocare conatus (11). eadem, quum a Catholicis tam aliena esset, reliquos tamen Donatistas semper habuit infensos, multaque ab his saeva et acerba ipse Rogatus Maurus, teste Augustino (12), per Regem barbarum Firmum perpessus est.

(11) *ibid. c.* 11. *n.* 47. (12) *contra ep. Parm. lib. I. c.* 10. *n.* 16.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXIII.

Restituto Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. Fl. Valentinianus IIII. Imp. Fl. Valens IIII. Proconsulatum autem Africae annum tertium gerebat Iulianus. flagrante jam in Mauretania bello, quod Firmus intulerat, Theodosius Comes Igilgili cum classe appulit (1), ac terrore hosti injecto pacem petere coëgit. simul Romanus Comes, qui caussam defectionis dedisse arguebatur, in ejus potestatem pervenit, in cujus scriniis litteras reperit, quae fraudes ejus artesque aperirent. subinde quum Firmus nec obsides daret, quos dare jussus fuerat, rursumque bellum non obscure moliretur, Theodosius indignatus copias in eum eduxit, et exercitum ejus omnem et auxilia, quae ex Aethiopia ipsa acciverat, multis proeliis fudit disjecitque: Firmus quum res suas in perditis ac desperatis haberet, laqueo vitam finivit.

II. Lex hoc anno lata adversus eos, qui sanctum Baptismum iterarent: nec dubium, contra Donatistas ac Rogatistas in primis sancitam esse; quum ad Iulianum Proconsulem data fuerit. *Antistitem,* inquiunt Augusti (2), *qui sanctitatem Baptismi inlicita usurpatione geminaverit, et contra instituta omnium eam gratiam iterando contaminaverit, Sacerdotio indignum esse censemus.*

III. Inter haec Parmenianus Carthagine contra Tichonium fremebat, epistolamque in eum emiserat, *reprehendens,* inquit Augustinus (3), *quod Ecclesiam praedicaret toto orbe diffusam, et admonens, ne facere auderet:* quam epistolam postea Augustinus tribus libris refutavit. sed quia Tichonius a sententia sua non recedebat, gravius in eum Parmenianus animadvertendum duxit. Concilium sane coegisse dicitur, et gregalium suorum consensu Tichonium damnasse (4): qui tamen, quum vera sentiret

(1) Ammian. *lib. XXVIII. c.* 5.
(2) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit.* 6. *L.* 1.
(3) *contra ep. Parm. lib. I. c.* 1.
(4) August. *ibid.*

de Ecclesia Catholica, et a Parmeniano redarguente pressus fuisset (5), *Quod, quum talia diceret de Ecclesia toto orbe diffusa, et quod neminem macularent aliena pecata, ab Afrorum se tamen quasi traditorum contagione removebat, et erat in parte Donati*: non vidit miser, quid sibi agendum esset, nec in ea Ecclesia esse voluit, quae orbem universum complexa, sanctitatem suam miro variarum gentium ac dissimilium populorum consensu manifestabat. pari autem modo alii quoque id temporis multa in Donato et tota ejus secta reperire coeperunt quae improbarent; nec tamen ad Catholicos confugere, sed novae potius doctrinae auctores, novae sectae conditores esse maluere. quod designabat Augustinus, quum de Donatistis scripsit (6), *Nunc autem non attendunt, jam in ipso Donato completum fuisse quod dictum est, In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (7). *sicut enim Christum dividere conatus est, sic ipse a suis quotidiana concisione dividitur.* nec multo post magnis multorum dissidiis factum est, ut sectarum numerus iniri non posset. nam sic postea testabatur Augustinus (8), quum jam Parmenianus obiisset: *Alterum propositum habet Carthagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauretania Rogatus, alterum habent in Numidia illi et illi, quos jam nec nominare sufficimus.*

III. Nec vero parvus per haec tempora ethnicorum numerus, Carthagine praesertim, reliquus erat, qui et ipsi negotium interdum Christianis facesserent recte sentientibus, ac bonorum animos labefactarent. vaticinatorem ex his indicat Augustinus (9) Albicerium quemdam flagitiosissimum hominem, qui apud Carthaginem multos annos consulentibus mira quaedam et certa respondit: atque idem Mathematicorum fallaces divinationes et impia deliramenta non semel commemoravit, quorum aliquando nugis atque praestigiis incauti decipiebantur. tota autem Paganorum secta quam late etiamtum pateret, libri declarant, quos postea Augustinus in lucem emisit, grande opus, ut ipse appellat, inscriptum *De civitate Dei*, quod multis demum ad salutem animi sui profuisse putandum est. sed fuisse tamen in ea colluvie quemdam narrat Fontejum nomine Carthaginiensem, qui librum *De mente mundanda ad videndum Deum* Paganus scripserit, quem tandem baptismo suscepto Christianum obiisse affirmat (10).

(5) *idem epist.* 93. *c.* 10. *n.* 44.
(6) *de agone Chr. n.* 31.
(7) *Matth. c. VII. n.* 2.
(8) *in Joan. Tract. x. n.* 6.
(9) *contra Academ. lib. I. c.* 6. *n.* 17.
(10) *Retract. lib. I. c.* 26.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXIIII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processere Imp. Fl. Gratianus III. Fl. Equitius V. C. ambo ex Occidente. Africae autem Proconsul datus Chilo, ad quem lex

hoc anno missa, qua immunitates novem Pictoribus ingenuis tribuebantur (1). eam quippe artem Valentinianus mirifice amabat, idemque venuste pingere atque etiam fingere ferebatur (2).

II. Iam eodem anno Restitutum Episcopum decessisse statuimus, ne Geneclii successoris tempora plus aequo contrahamus. nam is anno CCCLXXXX. quum Concilium Carthaginiense celebraret, non solum alterius a se coactae synodi mentionem intulit, sed etiam se inter seniores Episcopos numeravit. *Ad roborandas*, inquit (3), *fratrum et Coëpiscoporum nostrorum nuper promotorum mentes proponenda sunt, quae a patribus certa depositione accepimus.* at vero de Restituti pontificatu praeter ea, quae hactenus recensuimus, aliud nihil exploratum habemus: ipse enim Augustinus, qui hoc tempore Carthaginem incoluerat, nec se Christianum Catechumenum dissimulaverat, nihil de Restituto, quem ei notum esse oportuit, in litteras retulit. sub eo tamen Ecclesiam Africanam floruisse, aedium sacrarum numerum splendoremque passim auctum esse, multos populis Episcopos Presbyterosque operam suam cum laude navasse, haud obscure aequalis ejus Optatus significat, nosque etiam non semel indicavimus, quum nefarios Donatistarum conatus exponeremus.

III. Graviter hoc anno Augustinus in illis adolescentiae suae tenebris offendit: Manichaeorum enim ad scopulos adhaesit, falsa quadam virtutis specie illectus, et veri agnoscendi studio; quum utrumque illi profiterentur, ac neutrum praestarent. quod demum ille quum experiendo agnovisset, sic alios admonebat: *Duae maxime sunt* (4) *illecebrae Manichaeorum, quibus decipiuntur incauti, ut eos velint habere doctores: una, quum Scripturas reprehendunt, vel quas male intelligunt, vel quas male intelligi volunt; altera, quum vitae castae et memorabilis continentiae imaginem praeferunt.* porro cum his Augustinus novem amplius annos desipuit, atque ut alii secum desiperent, auctor fuit (5). nec tamen apud eos multum profecit: nam inter *Auditores*, ut appellabant, constitit, qui ultimus erat apud eos infimusque gradus (6), quum inde *Presbyteri* legerentur, atque ex his tandem, qui *Electi* nominabantur (7), et mysteriis eorum initiati erant. flebat interea filii casum Monnica mater, quaerebatque anxio in dies magis et sollicito animo, qui Augustinum ad colloquium sevocarent, eumque disputando docendoque ad veri tramitem et rectae doctrinae studium deducerent. quam demum Catholicus Episcopus deprecantem flentemque solatus est, et *Vade*, inquit (8), *a me, ita vivas: fieri non potest, ut filius istarum lacrimarum pereat.*

(1) *Cod. Theod. lib. XIII. Tit. III. L. 4.*
(2) Ammian. *lib. XXX. c. 9.*
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p. 951. in praef. n. 1.*
(4) *de mor. Eccl. lib. I. c. 1. n. 2.*
(5) *Conf. lib. III. c. 12.*
(6) *contra lit. Petil. lib. III. c. 17.*
(7) *contra Fortun. n. 3.*
(8) *Conf. lib. III. c. 12.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXV.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Hic annus novos Consules non habuit, itaque sic a majoribus consignatus est, *Post Consulatum Imp. Fl. Gratiani III. Fl. Equitii V. C.* caussam in Chronico suo adnotavit Hieronymus: *Quia,* inquit, *superiore anno Sarmatae Pannonias vastaverant, iidem Consules permansere.* eodem anno Valentinianus XV. kal. Dec. repentina morte decessit Brigitione in Pannonia, quum Imperii sui annum ageret duodecimum. post cujus casum Exercitus, qui in Pannonia erant, filium ejus et Iustinae Aug. puerum quinquennem, Valentinianum nomine, Augustum salutavernut. quod Gratianus major frater Severa Aug. natus, quamquam militum factum improbabat, haud aegre tulit, fratrem paterno amore complexus, cui et patruum Valentem conciliavit. porro Africa fratribus Augustis cessit: in qua hoc item anno Proconsulatum gessit Chilo, uti datae ad eum leges declarant.

II. Inter haec Theodosius reliquias hostium persequutus, provincias Firmiano bello afflictas recreabat: Ecclesiasque idem, quo erat in Catholicos studio, plurimum fovisse putandus est: Donatistis praesertim inter se digladiantibus, et diversarum partium concertatione occupatis. at vero Tichonius, quem biennio ante Parmenianus de secta silere jusserat, in alio se scriptionis genere exercebat. nam opera ejus, praeter libros tres *de bello intestino*, quos factio Donati rejecit, haec quoque Gennadius commemorat (1), *Regulas septem ad investigandam et inveniendam intelligentiam Scripturarum:* quas Augustinus partim probabat, partim reprehendebat (2): commentarium praeterea in Apocalypsin Ioannis, quem scripsisse dicitur, *nihil in ea carnale, sed totum intelligens spirituale:* de quo Cassiodorius aliique, multis in eo culpatis, meminere (3). tertium opus hunc titulum praeferebat, *Expositiones diversarum caussarum,* in quibus, ut ait Gennadius, *ob suorum defensionem antiquarum meminit synodorum.* ac *Regulae* quidem et commentarius, quum reliqua perierint, in aevum usque nostrum mansere: in quibus vestigia ab Augustino deprehensa Pelagianae haeresis. *Disputans enim,* inquit (4), *de fide et operibus, opera dixit nobis a Deo dari merito fidei, ipsam vero fidem sic esse in nobis, ut nobis non sit a Deo.* quamquam haec deinde Semipelagianorum in primis doctrina fuit.

(1) *de vir. illustr. c.* 18.
(2) *de Doctr. Chr. lib. III. n.* 30.
(3) *Div. Inst. c.* 9. Aug. Primas. Beda.
(4) Aug. *ibid. n.* 46.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXVI.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM susceperunt Imp. Fl. Valens v. Imp. Fl. Valentinianus junior. Africae Proconsul datus Hesperius Ausonii filius, qui legem hoc anno accepit, qua Gymnici Agonis spectacula Afris reddebantur (1). sed aliud antea spectaculum Carthago vidit, acerbum plane ac luctuosum: nam Theodosio Comiti, postquam Firmum tyrannum devicerat, Africam pacaverat, rempublicam ordinaverat, invidorum conspiratione inimicorumque fraudibus rei capitalis damnato, quum Gratianus Princeps optimus et pientissimus imperium administraret, caput est amputatum (2), a quo tot erant civium capita servata; ac truncum ejus jacuit corpus, per quem modo Africa recreata revixerat. ceterum felix ille ac beatus fortissimi viri exitus dicendus est, quod in illo vitae discrimine Christianae religionis memor, quam erat professus, ac caelum cogitans, cui se natum noverat, Baptismum supplex ab Ecclesia Catholica efflagitavit, atque admissis omnibus salutari lavacro expiatis, potiora multo atque ampliora adeptus est praemia, quam quae illi hominum invidia per summum scelus eripuerat. neque vero hi nominis ejus gloriam obscurare potuerunt, quae paullo post ad summum splendorem pervenit, statuis ei per provincias dicatis, memoriaque ejus amplissimis senatus decretis honestata (3), quam et filius optimus et maximus Imperator nobilitavit atque auxit.

II. Missus hoc anno in Africam extra ordinem creditur Nitentius tribunus et notarius cum mandatis, ut Donatistarum ceterorumque haereticorum conventicula disturbaret, eisque omnibus coëundi in posterum jus adimeret. nam in lege, quae anno insequenti de ea re lata est, appositum legimus (4), *Nihil ut ab eo tenore sanctio nostra diminuat, qui dato dudum ad Nitentium praecepto fuerat constitutus.* ex illis autem Donatistarum motibus, et haereticorum molestia hoc boni partum Catholicis, ut potioris vitae desiderio flagrantes insana hominum studia vanasque cupiditates aversarentur. per id enim tempus factum constat, Ambrosio teste (5), ut Afrae Virgines Mediolanum se ad Ambrosiumque conferrent, quo ejus manibus rite velarentur, perpetuamque professae virginitatem, sub ejus tutela, relicto parentum hospitio, tenderent in tabernaculis Christi indefessae milites castitatis. *Ex ultimis,* inquit, *infra ultraque Mauretaniae partibus deductae virgines hic sacrari gestiunt: et quum sint omnes familiae in vinculis, pudicitia tamen nescit esse captiva. profitetur regnum aeternitatis, quae moeret injuriam servitutis.*

(1) *Cod. Theod. lib. xv. Tit. vII. L.* 3.
(2) Oros. *lib. vII. c.* 33.
(3) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. vI. L.* 2.
(4) Symm. *lib. I. ep.* 64. Grut. Reines.
(5) *de virginib. lib. I. c.* 10.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXVII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere, ambo ex Occidente, Imp. Gratianus IIII. Fl. Merobaudes V. C. Hesperio Proconsuli ad Praefecturam Praetorii vocato successor datus est Thalassius. at Vicarius Africae factus Flavianus, plaudente clam toto Donatistarum grege: quippe ex eorum ille secta erat, quemadmodum Augustinus (1) testatum reliquit. id Gratiano Aug. severas leges adversus Donatistas describenti ignotum fuisse, manifestum est: neque enim sperare poterat, tanta eum fide futurum, ut in eos, quos sequebatur, ex lege animadverteret. atque inde factum videtur, ut ea lex, quae hoc anno ad Flavianum missa est, non multum Catholicis prodesset, quamquam eadem Donatistas diserte coercebat, et Catholicos molestiis relevatos locupletabat. *Eorum condemnamus errores*, inquiunt Augusti (2), *qui Apostolorum praecepta calcantes, Christiani nominis sacramenta sortitos alio rursum baptismate non purificant, sed incestant, Lavacri nomine polluentes. eos igitur Auctoritas tua erroribus miseris jubebit absistere, Ecclesiis, quas contra fidem retinent, restitutis Catholicae.* nec satis hoc visum fuerat, sed coetus quoque ab eisdem celebrari vetabant: *Sed plerique*, inquiunt, *expulsi de Ecclesiis, occulto tamen furore grassantur, loca magnarum domorum seu fundorum inlicite frequentantes: quos fiscalis publicatio comprehendet, si piaculari doctrinae secreta praebuerint:* quod superiore anno per Nitentium tribunum praecepto prohibitum fuerat. nec jam aliud Donatistis restabat juris, nisi ut domi suae, si vellent, impune debaccharentur. ultima enim legis illius particula haec fuit: *Quod si errorem suum diligunt, suis malis domesticoque secreto, soli tamen, foveant viros impiae disciplinae.* ceterum Flaviano connivente nec Basilicae redditae sunt, nisi forte Carthaginiensis una, quae *Perpetua* dicebatur, atque exinde, quod de Donatistis recepta esset, *Perpetua Restituta* appellata est; et factio ipsa stetit ac conventicula sua et magnas etiam synodos, frustra reclamantibus legibus, et indixit et convocavit. itaque Augustinus postea, commemoratis Principum sanctionibus, scribebat de iis (3), *Quum et divinis et humanis legibus ita damnentur; tanta est tamen mansuetudo Christiana, ut non solum teneant Basilicas, quas jam praecisi aedificaverunt, sed nec eas omnes reddiderint Vnitati, quas ab exordio Vnitas tenuit.*

(1) *epist.* 87. *n.* 8. v. Reines. *Cl. VI. n.* 92.
(2) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. VI. L.* 2.
(3) *contra epist. Parm. lib. I. c.* 13.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXVIII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. Fl. Valens vI. Imp. Fl. Valentinianus junior iterum: Africam Thalassius Proconsul regebat. questos hoc anno Catholicos Afros apud Gratianum apparet, leges ejus a Donatistis contemni, nec ea sibi reddi, quae ipse Ecclesiae Catholicae adjudicasset. nam quae lex x. kal. Majas data est ad Hesperium Praefectum Praetorio, quamquam haereticos generatim persequitur, Donatistas tamen in primis afficit, et quae in eos jam decreta fuerant, latius confirmat. *Olim*, ajunt Augusti (1), *pro Religione Catholicae sanctitatis, ut coetus haereticae usurpationis conquiescerent, jussimus, sive in oppidis sive in agris extra Ecclesias, quas nostra pax obtinet, conventus agerentur, publicari loca omnia, in quibus falso religionis obtentu altaria locarentur: quod sive dissimulatione judicum, seu profanorum improbitate contigerit, eadem erit ex utroque pernicies.*

II. Porro nova lege deterriti Donatistae, parumper quievisse videntur, praesertim quod in exsilium quoque nonnulli eorum Episcopi acti essent. sed exstitit ex illis tamen Restitutus quidam Catholicis infensus, qui molestiam Ecclesiae non exiguam intulisse dicendus est. delatum enim ejus nomen apud Gratianum constat. nam in epistola Concilii Romani a Damaso vocati sic rem Patres perstringunt, et in mentem Augustis revocant (2): *Per Africam quoque Restitutum nomine caussam dicere apud Episcopos jussit vestra clementia. debuit adquiescere: sed idem saeva et insolentium manu a caussae dicendae necessitate diffugit.* qui vero ex Episcopis Donatistis exsulare coacti fuerant, quum vexare Catholicos Africanos non possent, urbi Romae incubuerunt, ut odium ibi suum seditiosis consiliis perniciosisque conatibus explerent. nam iisdem in litteris Concilium Romanum haec Augustis commemorat: *Per Africam rursum sacrilegos rebaptizatores nutu Dei praecepistis expelli. sed ab expulsis Claudianus est ordinatus, et ad perturbandum urbem Romam quasi Episcopus destinatur: qui contra scripturne praecepta divinae, contra jura Evangelica, vacuos omnes mysteriorum, atque ut ejus verbum exprimamus, paganos fuisse vel praeteriti temporis dicit Episcopos vel praesentis. quem quidem jussit tranquillitas vestra Roma pulsum patriam repetere propriam. sed contemptis judiciis, et quidem saepe constrictus, residet tamen, sollicitans pretio frequenter pauperiores, et redemptos rebaptizare non veretur: spoliat magis eo, quod fuerant consequuti, quam tribuit, quod manifestum est bis non posse conferri.* hic nempe ille est Claudianus, quem superius indicavimus (3), sextus Episcoporum Donatistarum, qui Romae Montensibus suis praefuere: quorum septimus Felix

(1) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. v. L. 4.*
(2) *ibid. in Append. epist. 3.*
(3) *ad annum* 318. *n.* 4.

ultimusque fuit. quid autem Gratianus Concilio rescripserit, ignoramus; sed litterae ejus tamen manent ad Aquilinum Vicarium urbis (4), quae apprime declarant, quantum ille Concilii auctoritatem reveritus sit, quamque religiose postulata ejus et querelas audiendas putaverit. ac Claudianum nominatim ab urbe expelli, ac ultra centesimum lapidem exsulare voluit, piaculum neglectae sanctionis Aquilino comminatus, nisi eum et ceteros, quos Concilium damnarat, ab urbe illico ejecisset. atque haec ille rescripserat, quum jam in Gothos exercitum duceret.

II. Interea graves e Thracia nuncii ad Gratianum perlati, patruum ejus Valentem Aug. bello Gothico interiisse. in ipsa enim pugna telo sauciatus, quum in casam rusticam delatus esset, ea a Gothis incensa, exustus est v. idus Aug. in quo divinum Consilium maxime enituit: ut qui Arianos contra Catholicum nomen pertinacissime foverat, acerbissimo exitu per Arianos necaretur. tunc Gratianus infecta expeditione, quam susceperat, ut opem Valenti afferret, Sirmium concessit, atque ut attritis Imperii Orientis rebus succurreret, magnum Theodosium Theodosii Comitis filium ex Hispania accivit, bello ei Gothico dato, qui unus potissimum confecturus videbatur.

III. Sub anni exitum Vranius Satyrus Ambrosii Episcopi Mediolanensium frater, multarum provinciarum administratione clarissimus, rei familiaris caussa in Africam navigabat (5): quum extremum vitae discrimen adiit, navi scopulis illisa et fluctuum impetu soluta. erat autem Satyrus etiamtum Catechumenus, quamquam eum eximiae virtutes exornabant. is tum, uti Ambrosius ipse narrat (6), *non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos inferret arcanis, sed ut fidei suae consequeretur auxilium. etenim ligari fecit in orario, et orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare.* porro tanta ope fretus Africam tenuit, ne tabula quidem in naufragio usus: et gratiis Deo actis, quod eum mediis e fluctibus eripuisset, de Baptismo statim cogitasse dicitur: nam haec addit Ambrosius (7): *Advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, percontatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret?* verebatur quippe Satyrus, ne in Luciferiani Episcopi manus incideret, ad quem labes illa erroris e vicina Sardinia pervenisset. salutari demum lavacro ablutus, ac subinde pecunia, quam apud Prosperum nescioquem habebat, recuperata, incolumis in Italiam rediit, Mediolanumque ad fratrem se contulit, apud quem anno insequente decessit (8).

(4) *Cod. Theod. in App. post. epist.* 3.
(5) Ambros. *de excessu Fratr. lib. I. n.* 25.
(6) *idem ibid. n.* 43.
(7) *idem ibid. n.* 47.
(8) *Epitaphium refert* Gruterus *p.* 1167. 2.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXVIIII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES ex Occidente lecti processerunt Decius Ausonius, Q. Clodius Hermogenianus Olybrius. his Consulibus XIII. kal. Februarias Theodosius, Gothorum victoria recenti clarissimus, Sirmii a Gratiano Augustus est appellatus, et Orientem ac Thraciam administrandam accepit. Africa cum Italia atque Illyrico adtributa Valentiniano, sic tamen, ut Gratianus fratris pueritiam regeret, et aulam ejus totam moderaretur.

II. Nova hoc anno lex a tribus Augustis promulgata contra omnes haereticos, sed contra Donatistas in primis, de quibus haec sancita legimus (1): *Quisquis redempta venerabili lavacro corpora reparata morte tabificat, id auferendo quod geminat, sibi solus talia noverit, alios nefaria institutione non perdat. omnesque perversae istius superstitionis magistri pariter et ministri, seu illi sacerdotali assumptione Episcoporum nomen infamant, seu quod proximum est Presbyterorum vocabulo religionem mentiuntur, seu etiam se Diaconos, quum nec Christiani quidem habeantur, appellant, hi conciliabulis damnatae dudum opinionis abstineant.* subinde vero poena etiam aliqua in Donatistas alia lege constituta videtur, quam Geneclius, qua erat in omnes mansuetudine, comprimendam curaverit. nam testatur Augustinus (2) Geneclium eo nomine a Donatistis quoque esse laudatum.

III. Sub id tempus Carthaginem rediisse creditur Augustinus, illic Rhetoricam professurus, postquam Thagastae aliquamdiu Grammaticam pueros docuisset; quos inter Alypium auditorem habuerat, quo deinde amico familiarissime semper usus est (3). eo illum Romaniani municipis sui filii sequuti sunt, sequutus et Alypius: nec alii defuere illustres adolescentes, qui praeceptis ejus institui vellent, e quibus maxime claruit Eulogius, qui post eum Carthagine docuit, ac rhetor insignis habitus est. jamtum enim Augustinus eruditionis laude florebat, ingeniumque ejus atque eloquentia supra aetatem esse videbatur.

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. V. L. 5.*
(2) *epist. 44. c. 5. n. 12.*
(3) *Confess. lib. III. c. 2.* Possid. *c.* 1.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXX.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM Augusti susceperunt Imp. Fl. Theodosius, Imp. Fl. Gratianus V. Africa Proconsulem habuit Vindicianum, Vicarium Titianum. Agon hoc anno Gymnicus quinquennalis recurrebat, quem Augusti anno CCCLXXVI. Afris restituerant. in eo autem non athletae solum, ut apud Graecos mos fuit, de corona contendebant, sed ingeniorum quoque ac

litterarum certamina erant, ut Romae in Agone Capitolino aliisque in urbibus usurpata legimus. enimvero Augustinus in eo ludo periculum ingenii doctrinaeque suae facere voluit: quo tempore haruspicem invenit, qui ei ex mercede victoriam polliceretur (1). quem ille quum sprevisset, et ingenio suo fretus, theatrici carminis certamen inire non dubitasset, victoriam tulit, et coronam illam agonisticam, a Proconsule Vindiciano capiti ejus impositam, accepit (2).

II. Enituit id temporis caritas singularis erga patriam invictusque animus Clementis Episcopi Caesareensis. capta ante annos octo Caesarea fuerat a Firmo tyranno, et in hostili direptione quidquid auri argentique sive sacri sive profani, sive privati sive publici in promptu erat, in praedonum venerat manus. ipsum fisci depositum belli jure occupatum hostes abstulerant. ab eo tempore Caesareenses aegre vires receperant, multaque etiamtum tot malorum, quae in illa calamitate pertulerant, vestigia manebant. qui tamen res fisci in Mauretania curabant, adeo immisericordes severique erga Caesareenses subinde fuerant, ut a Decurionibus civitatis depositum fisci, quod hostes averterant, repetere auderent, ac reddi sibi compensarive expostularent. tantam vero acerbitatem non tulit Clemens, ac primum civium suorum apud eos caussam egit; tum se de eo negotio ad Principes relaturum professus, tanta fide ac diligentia patrocinium suorum suscepit, ut ejus maxime opera conciliati Augusti civitatem ea cura liberarent. quamobrem hoc anno Symmachus, licet a sacris nostris alienus esset, litteras ad Celsinum Titianum Vicarium Africae dedit (3), quibus ei Clementem commendabat, et facto ejus laudato, dare operam jubebat, ut civium ejus securitati prospiceret.

III. Pertinet ad hunc annum praeclara Theodosii lex de Fide Catholica, quam Thessalonicae tulit, postquam illic morbo implicitus, sanctum Baptismum ab Acholio Catholico ejus urbis Episcopo summa religione susceperat. *Cunctos populos*, inquiunt Augusti (4), *quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque nunc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriae Episcopum virum Apostolicae sanctitatis.* et quae deinceps.

(1) *Confess. lib. III. c. 2. n. 3.*
(2) *ibid. c. 3. n. 5.*
(3) Symm. *lib. I. epist.* 64.
(4) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. I. L. 2.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXI.

Genedio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi Postumius Syagrius, Fl. Annius Eucherius, hic in Oriente, ille in Occidente. Proconsul Africae Herasius fuit, Vicarius Kamenius, ut leges ad eos datae nos edocent. nulli vero id temporis

Donatistarum motus fuisse videntur, manifesta jam omnibus Augustorum voluntate, quibus nihil Catholica religione atque pace antiquius erat. admonitus interea Geneclius, Concilium Gratiano adnuente indictum Aquilejam contra Palladium et Secundianum Episcopos Arianos, alterum Daciae Ripensis, alterum Maesiae, synodum provinciae vocavit, ut ex collegarum sententia legatos eligeret, qui eo proficiscerentur, ac de Catholica Afrorum doctrina testimonium proferrent. missi autem sunt Felix et Numidius, de quorum cathedris nihil accepimus: nam *Legati Afrorum* tantummodo appellantur. celebratum Aquilejae Concilium est nonis Septembribus, eique magnus quoque Ambrosius interfuit: qui quum forte Legatos Afrorum de collegarum sententia rogasset, hoc a Felice responsum tulit (1): *Si quis Filium Dei negaverit, et sempiternum et coaeternum negaverit, non, non solus ego Legatus Africanae provinciae damno, sed et cunctus chorus sacerdotalis, qui ad hunc coetum sanctissimum me misit, etiam ipse ante damnavit.* porro mandata iidem a synodo Carthaginiensi habuisse praeterea videntur, ut studia sua pro Alexandrina Ecclesia cum reliquis Episcopis consociarent. nam in epistola, quam Patres Aquilejenses ad Augustos scripserunt, ut Concilium illuc contra reliquias Arianorum cogi juberent, id ipsum in votis Ecclesiae Africanae esse affirmant (2): *Quod a vobis*, inquiunt, *et Africanae et Gallicanae Ecclesiae per legatos obsecrant, hoc est ut toto faciatis vobis in orbe Episcopos debitores.*

II. Augustinum hoc anno, quum jam ingenii et doctrinae laude floreret, scripta etiam nobilitare coeperunt: libros enim emisit *de pulcro et apto* ad Hierium Romanae urbis oratorem; quos tamen brevis aevi fuisse, ab eo discimus: jam enim disperierant, quum Confessiones suas scribebat (3). sed illud Augustino utilius multo ac salubrius fuit, quod id temporis Manichaeorum suboluit illi malitia, doctrinae levitas se prodidit, vitia, quae isti celabant, sensim apparuere (4).

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 827.
(2) *ibid. p.* 839.
(3) *Conf. lib. III. c.* 13. *n.* 20. *et* 21.
(4) *Aug. de mor. Manich. c.* 19. *n.* 68.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodiere Fl. Antonius, Afranius Syagrius, hic in Occidente, ille in Oriente. prorogatum Herasio Proconsulare Africae imperium, Vicariamque praefecturam Kamenio, credibile est. Numida Faustus ortu Milevitanus, inter Manichaeos Episcopus, Carthaginem hoc anno venit. magnis eum laudibus gregales celebrabant, atque ipse Augustinus mera se oracula ab eo auditurum speraverat. et erat quidem homini eloquentia famae non impar, ut aliquamdiu eo se delectatum fateatur (1). at brevi

(1) *Conf. lib. V. c.* 6. *et* 7. *etc.*

doctrinam ejus infra opinionem esse sensit, eumque liberalium disciplinarum expertem invenit. quia tamen officiosum agnoverat, eundemque modestum negantemque de iis, quae Augustinus scire ab eo vellet, respondere se posse, plus illi placuit, quam oportebat, coepitque inter eos familiaritas esse non mediocris, non sine magno Augustini detrimento, qui ejus caussa serius se e Manichaeorum laqueis expedivit.

II. Romae hoc anno Gratiani Aug. jussu sublata e Curia est ara Victoriae, quam Iulianus reposuerat. magnum ibidem Concilium a Damaso celebratum, ad quod Legatos saltem ab Ecclesia Africana missos esse, ambigendum non est, quum ab Oriente etiam advenerint (2). nullae ceterum controversiae Catholicis in Africa erant, quae, teste Ambrosio, *omnium sacerdotum concordi societate potiebatur* (3): idque unum Episcopi Occidentis spectabant, *Ut ea*, inquit idem, *quae communionem nostram de Orientis parte turbaverant, cognoscerentur in synodo*, et *omnis e medio scrupulus tolleretur.* itaque satis erat, ut pauci ex Africa Episcopi adessent, qui Ecclesiae suae consensionem adversus Orientalium et Apollinaris in primis novitates testarentur. de hoc enim potissimum in eo Concilio actum videtur (4); quamquam Acta ipsa ad nos non pervenerunt.

(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 843.
(3) *epist.* 14. *n.* 3.
(4) Ambros. *ibid. n.* 4.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXIII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules hunc annum signant Fl. Saturninus ex Oriente, Fl. Merobaudes iterum ex Occidente. Africa Proconsulem babuit Eusignium: ipsum autem Imperium Augustos quatuor numerare coepit. nam his Consulibus Theodosius, quum Constantinopoli esset, Arcadium filium in Hebdomo Augustum dixit, qui tum puer erat sexennis, et in Arsenii sanctissimi viri manibus diligentissime educabatur. florebat autem sub Catholicis Principibus Ecclesiae pax, quae diu in votis fuerat, et pontificalis auctoritas tanto praesidio firmata convalescebat. novis tamen vinculis nefariae sectae coercendae erant, ne se adversus Catholicos commoverent, poenis etiam multandae, ne adlectorum accessione augerentur. enimvero Valentinianus, ad quem Africa pertinebat, Iudaeos Manichaeosque, quorum illic copia erat, et quicumque ad eos transirent, legis metu ab errore revocare conatus est, ne dum illos, qui veterem paganorum superstitionem amplexi essent (1). his omnibus jus testandi ademptum, et potestate facta, ut intra quinquennium de eorum testamentis judicium legitimum foret, et bona ab iis relicta repeti possent. tum et permissum judicibus, ut gravius in eos animadverterent, qui alios a recta religione abduxissent.

(1) *Cod. Theod lib. XVI. Tit. VII. L.* 3.

II. Conjuratum hoc anno est in Britannia adversus Gratianum Aug. studiisque militum fretus, tyrannidem Maximus occupavit. at optimus ille ac pientissimus Princeps, post unum alterumve praelium desertus a suis, quum se Lugdunum recepisset, a factione tyranni occisus est in ipso juventutis flore; agebat enim annum aetatis vicesimum quintum. obiisse autem fertur VIII. kal. Sept.

III. Sub idem tempus Augustinum Africae pertaesum flagrans quaedam cupiditas cepit migrandi Romam. nam et discipulorum Carthaginiensium licentia molestiam illi exhibebat, et Manichaeorum doctrina simul ac mores jam displicebant (2): quod tamen divino postea consilio, non humano factum agnovit, ut via sibi ad salutem muniretur, matre ejus hoc multis precibus postulante; quamquam ne ipsa quidem deliberationis illius exitum norat, et plurimum filio metuebat. sic enim Augustinus Deum adloquens fugam descripsit suam (3): *Sed quare hinc abirem, et illuc irem, tu sciebas Deus: nec indicabas mihi nec matri, quae me profectum atrociter planxit, et usque ad mare sequuta est. sed fefelli eam violenter me tenentem, ut aut revocaret, aut mecum pergeret. et finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto navigaret. et mentitus sum matri, et illi matri! et evasi; quia et hoc tu dimisisti mihi misericorditer, servans me ab aquis maris plenum exsecrandis sordibus usque ad aquam gratiae tuae, qua me abluto, siccarentur flumina maternorum oculorum, quibus pro me quotidie tibi rigabat terram sub vultu tuo. et tamen recusanti sine me redire vix persuasi, ut in loco, qui proximus nostrae navi erat, Memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. sed ea nocte clanculo ego profectus sum; illa autem remansit orando et flendo.*

(2) *Confess. lib. v. c.* 7. *et* 8.

(3) *Confess. lib. v. c.* 8. *n.* 15.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXIII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM gesserunt Fl. Clearchus, Fl. Richomeres, ille in Oriente, hic in Occidente. Maximo autem in Galliis dominante, mansit Africa sub imperio Valentiniani, qui cum Theodosio Arcadioque tyrannum invitus regnare aliquamdiu passus est. nec vero Donatistae quidquam in Catholicos moliti esse perhibentur, sive id Geneclii officiis tribuendum sit, sive eos studium Augustorum erga Catholicos deterruerit, Theodosii in primis, cujus pietas et constantia maxime eminebat. fortasse etiam ii provinciis rectores obtigerant, qui et otii tranquillitatem vigilantia conservarent, et auctoritatem legum severitate tuerentur. itaque per haec ipsa tempora perlatas crediderim Constantinopolim Reliquias Martyrum Africanorum Terentii et Africani, quas Theodosius in Euphemiae Mar-

tyrio ad Petram collocavit (1), Actis quoque eorum ex Africa acceptis, quae deinde Graece reddita fuere (2).

II. Romae interea Augustinus cum Manichaeis suis habitabat, et primoribus ejus sectae, quam in urbe satis magnam repererat, familiariter etiamtum utebatur. nisi quod in Academicorum placita paullatim deferebatur, prudentiores ceteris fuisse illos philosophos existimans, quod de omnibus dubitandum esse censuissent (3). simul artem Rhetoricam domi profiteri, ut primum per valetudinem licuisset, nec tamen libentissime caeperat, eam esse adolescentium multorum consuetudinem edoctus, ut nulla mercede soluta, magistros repente desererent, ac se ad alios transferrent. divino nempe consilio fiebat, ut eum urbis taederet, quo facilius in libertatem denique vindicaretur. *Itaque*, inquit ipse (4), *postea quam missum est a Mediolano Romam ad Praefectum urbis, ut illi civitati rhetoricae magister provideretur, impertita etiam evectione publica, ego ipse ambivi per eosdem ipsos Manichaeis vanitatibus ebrios, quibus ut carerem ibam, sed utrique nesciebamus, ut dictione proposita me probatum Praefectus tum Symmachus mitteret.*

III. Mediolanum jam concesserat Augustinus, quum Romae Damasus, magnis in Ecclesiam meritis clarus, decimo nono pontificatus sui anno incohato, diem obiit supremum, quarto aut tertio idus Decembres. vivebat etiamtum Vrsinus, quem ille molestum competitorem et seditiosum adversarium habuerat. sed hoc neglecto spretoque, factus in ejus locum est Siricius singulari plane omnium consensu: de quo ut nuncios accepit Valentinianus, mirifice laetatus esse fertur, praeclarum hoc de Siricii innocentia et virtute testimonium esse ratus, quod eum omnes unum maxime dignum pontificatu urbis judicassent.

(1) Theod. Lect. *lib. II. sub fin.*
(2) Boll. *Apr. T. I. p.* 860.
(3) *Confess. lib. V. c.* 10. *n.* 19.
(4) *ibid. c.* 13. *n.* 23.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXV.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Imp. Fl. Arcadius, Fl. Bauto: Proconsul in Africa missus Messianus. constitutum hoc anno est a Valentiniano Aug. ut leviorum criminum rei, qui carcere inclusi essent, per sollemnia Paschalia vinculis solverentur. *Nemo,* inquit (1), *deinceps tardiores fortassis affatus nostrae Perennitatis expectet: exsequantur judices quod indulgere consuevimus. ubi primum dies Paschalis exstiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincla solvantur. sed ab his secernimus eos, quibus contaminari potius gaudia laetitiamque communem, si dimittantur, advertimus.*

(1) *Cod. Theod. lib. VIIII. Tit. XXXVIII. L.* 8.

II. Mediolani jamdiu versabatur Augustinus, ubi coram Bautone, qui Consulatum illic suscepit, maximo hominum conventu orationem kalendis Ianuariis habuerat (2), eo munere functus, quod Rhetoricae professionis erat, ad quam illuc accitus fuerat. ceterum potiora ipse ab Ambrosio discebat, et Manichaeos jam sibi relinquendos decreverat (3), ut in Catholica Ecclesia catechumenus esset, donec aliquid certi elnceret, quo cursum denique dirigeret. amici etiam ejus Alypius et Nebridius comitati eum fuerant, et saniora iidem animo consilia volvebant. eodem demum ex Africa mater Monnica, quum desiderium filii ferre non posset, periculis omnibus contemptis, advolarat. *Iam venerat,* inquit Augustinus (4), *ad me mater pietate fortis, terra marique me sequens, et in periculis omnibus de te secura.* quam quidem plurimum laetatam ait, quod illum Ambrosii studiosum invenisset. futurum enim intelligebat, ut tanto viro auctore filius, quod unum optabat, ad sanitatem deduceretur.

III. Accidit vero, quum se Monnica Mediolani ad eadem pietatis ac religionis officia vertisset, quae in Africa praestare solebat, ut pultes et panem et merum ad Memorias Martyrum afferrens, ab ostiario prohiberetur (5). nam Agapas, quae tum in Africa frequentabantur, Ambrosius Mediolani sustulerat. at vero illa, inquit Augustinus, *ubi comperit a praeclaro praedicatore atque antistite pietatis praeceptum esse, ista non fieri nec ab eis, qui sobrie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, et quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent similia; abstinuit se libentissime: et pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad Memorias Martyrum afferre didicerat, ut et quod posset, daret egentibus, et sic communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cujus passionis imitatione immolati et coronati sunt Martyres.* nam eadem quoque, quum in Africa esset, et popularem consuetudinem sequeretur, ritum illum, teste Augustino, tanta sobrietate peragebat, ut pietatem ibi se quaerere, non voluptatem, apertissime significaret. *Illa,* inquit, *quum adtulisset canistrum cum sollemnibus epulis praegustandis atque largiendis, plus etiam, quam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat. et si multae essent, quae illo modo videbantur honorandae memoriae defunctorum, idem ipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat, quod jam non solum aquatissimum, sed etiam tepidissimum cum suis praesentibus per sorbitiones exiguas partiretur.* at hunc deinde morem Ambrosii exemplo Augustinus ex Africa tollendum censuit, quod jam in commessationes atque ebrietates deflexisset (6): neque secus aliis Episcopis visum, postquam veterem simplicitatem malitia exegit.

(2) *contra litt. Pet. lib. III. c.* 25.
(3) *Conf. lib. V. c.* 14. *n.* 25.
(4) *ibid. lib. VI. c.* 1.
(5) *Conf. lib. VI. c.* 2.
(6) *Aug. epist.* 22. *et* 29.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXVI.

Genedio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM susceperunt Fl. Honorius Nobilissimus Puer, et Fl. Evodius. prorogatum in hunc annum Proconsulare Africae imperium Messiano est: nam Augustino teste Manichaeos hic ad se delatos audivit, in eosque sententiam dixit post Consulatum Bautonis (1), qui anno superiore cum Arcadio Aug. Consul fuit. haec vero indicio sunt, haereticorum licentiam sub Messiano impunitam ac liberam non fuisse. itaque Catholicos pacem agitasse credibile est, multamque operam in Basilicis suis ornandis, excolendisque veterum Martyrum monumentis posuisse: nam id temporis par ubique studium erat civitatum Christianarum, quae propterea Martyrum reliquias certatim inquirere ac sibi vindicare solebant. idcirco Theodosius hoc anno, ne quid praeter modum fieret, auctoritatem suam interposuit, et legem promulgavit hujusmodi (2): *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat; nemo Martyrem distrahat, nemo mercetur: habeant vero in potestate, si quolibet in loco Sanctorum est aliquis conditus, pro ejus veneratione, quod Martyrium vocandum sit, addant quod voluerint fabricarum.*

II. At dum haec Theodosius ab Oriente moderabatur, majora Romae Siricius ordinanda curabat. vocatis enim ad Concilium finitimarum provinciarum Episcopis, qui numero octoginta convenisse dicuntur, canones VIIII. sanxit, quos ad Ecclesias omnes Occidentis mitteret, ac potissimum ad Africanas: nam quae exstat Siricii epistola (3) *dilectissimis fratribus et Coepiscopis per Africam* inscripta est: eosque servari ubique quum jussisset, illud quoque impetravit, ut eos Ecclesiae Conciliis celebratis reciperent ac promulgarent. his autem Siricius Cleri dignitati maxime consulebat, et sacrorum ministros ad praescripta majorum revocabat: de quibus singillatim anno insequenti dicendum est. desideratum id temporis Optatum Episcopum Milevitanum, ob Donatistas repressos de Catholica Ecclesia optime meritum, opinio obtinet. nam quum Siricium memoret, et post Macrobium Donatistarum Vrbis Episcopum, aequalem suum, recenseat Lucianum et Claudianum Macrobii successores, nisi aliena manu addita deinde horum et Siricii nomina dicas, ultra annum CCCLXX. quo sex libros suos emisit, vitam in haec tempora produxisse putandus est (4). nec dubium putes, eos libros ab Optato esse retractatos, quibus et septimum addidit, quamquam hunc vexatum nec omnibus in codicibus eundem accepimus.

III. Augustinum vero Mediolani agentem lecti hoc anno manipuli fortium bellatorum circumsedebant, qui denique obsistentem animum expugnarent. ac mater quidem, quibus plurimum poterat, lacrimis et

(1) *contra litt. Pet. lib. III. c.* 25.
(2) *Cod. Theod. lib. VIIII. Tit. XVII. L.* 7.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 857.
(4) v. Pin. *in praef. ad Opt. n.* 1.

precibus apud Deum adsiduis rem urgebat. Ambrosius, qui eum saepe auditorem haberet, doctrina et facundia perteutabat: Simplicianus colloquiis et Victorini Afri exemplo commovere conabatur: Pontitianus magnum Antonium et qui eum imitati fuerant, opponebat. vexabant eum et libri, qui in manus ejus venerant, Paullus in primis Apostolus, cujus aculeos in animo ejus relictos excutere non poterat. aestuabat, excruciabatur, et tamen repugnabat. sed illum denique vox illa de caelo perculit, *Tolle, lege, Tolle, lege:* nam quum se ad Paulli codicem retulisset, illa librum aperienti occurrerunt (5), *Non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione: sed induite Dominum Iesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* haec nempe Augustini animum pervicerunt: *Nec ultra*, inquit (6), *volui legere, nec opus erat. statim quippe cum fine hujusce sententiae quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebrae diffugerunt.* adstabat amicus Alypius, qui jamdiu ad pietatem propensior, quum ea, quae sequebantur, legisset, *Infirmum autem in fide recipite*, tali admonitione firmatus Augustino libens consensit, manusque dedit. *Inde*, addit Augustinus, *ad matrem ingredimur, indicamus; gaudet: narramus, quemadmodum gestum sit; exultat et triumphat. et benedicebat tibi, qui potens es ultra quam petimus aut intelligimus facere; quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat, quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus.*

(5) *ad Rom. c. XIII. n.* 13. (6) *Conf. lib. VIII. c.* 12.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXVII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Imp. Fl. Valentinianus II. Fl. Eutropius Valerianus, hic Constantinopoli, ille Mediolani. sed annus sub exitum Valentiniano et matri ejus Iustinae Arianorum fautrici plane infaustus fuit: nam Maximus e Galliis cum exercitu digressus, alpes transcendit, Italiam occupaturus. quare Augusti fugam capessere coacti, Thessalonicam navigarunt, ut Theodosii opem implorarent.

II. Iam in Africanas provincias, quae hoc anno pacatissimae erant, Siricii Pontificis maximi litterae perlatae fuerant, quibus praescribebantur *quae deinceps intuitu divini judicii omnes Catholicos Episcopos custodire expediret* (*). caput erat primum, *Vt extra conscientiam Sedis Apostolicae nemo ordinare auderet.* alterum e synodo Nicaena petitum, *Ne unus Episcopus Episcopum ordinare praesumeret.* tertio sanciebatur, *Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiae saecularis habuisset, ne is ad Clerum admitteretur.* quarto *Ne viduam Clericus uxorem du-*

(*) v. Ballerinior. *Observ. in Diss. XV. Quesnell. T. III. Oper. S. Leonis p.* 986. *et* Schelstr. *T. II. Diss. VI. c.* 4. *art.* 1. *n.* 12. *item* Coustant. *in Praef. p.* L.

ceret, et quinto *Ne laicus, qui viduam duxisset, admitteretur ad Clerum.* at sextum vetabat, *Clericum de aliena Ecclesia a quoquam ordinari*, et septimum, *Admitti Clericum, qui ab alia Ecclesia abjectus fuisset.* octavo edicebatur, *Vt venientes a Novatianis vel Montensibus, qui baptismum iterabant, per manus impositionem susciperentur.* ultimum erat, *Vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi ab uxoribus abstinerent:* quod Siricius plurimis commendabat, nec ab omnibus observatum querebatur: *Qua de re*, inquit, *hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest jure etiam gentilitas incusare.* enimvero Geneclius officii sui putavit esse, ut epistolae hujus promulgandae caussa Concilium indiceret. apparet id ex altero Geneclii Concilio, quod triennio post Carthagine habitum est. illius enim in hoc mentio fit, ac nominatim constitutum traditur, quod ultimo capite Siricius exigebat. nam haec Epigonii Episcopi Bullensium Regiorum verba fuerunt (1): *Quum in praeterito Concilio de continentiae et castitatis moderamine tractaretur, gradus istos tres, qui constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, Episcopos, inquam, Presbyteros et Diaconos, ita placuit, ut condecet, sacrosanctos antistites et Dei sacerdotes, nec non et Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, nos quoque custodiamus.* nec vero dubitandum est, ceteros quoque Siricii canones tum esse receptos, quum ibidem nonnullos ex illis ratos habeant Episcopi, et aliis in Conciliis ex praescripto Siricii pares conditos canones, Ferrandi Diaconi testimonio constat (2). Concilii ipsius Acta periere: vel hinc tamen contemnere discas, quae Haereticorum quidam de veteri Ecclesiae Africanae libertate somniarunt, scribere ausi, nullam ab ea habitam rationem Pontificis maximi, nullam hujus in Africa auctoritatem fuisse (3). nam et Cyprianus olim ad Cornelium scribens Ecclesiam Romanam Ecclesiae Catholicae *radicem et matricem* appellavit, quo nempe Ecclesiam suam ab ea progenitam fateretur; et hic haud obscure Siricius capite illo primo Episcopum Carthaginiensem maxime petit, admonetque, quum primus in Africa Episcopus esset, ne se tamen tamquam Africae Patriarcham constitutum arbitraretur, sed auctoritatem suam inde esse meminisset, unde Ecclesia Africana initium duxerat. qua de re rursum altero post saeculo sub Bonifacio Episcopo ab Carthaginiensi synodo cautum nova lege est.

II. Sed hinc in Italiam nos revocat Augustinus, qui Rhetoris munere abdicato, et rerum caducarum illecebris omnibus contemptis, sacri Baptismi sollemnem diem cum Alypio amico et Adeodato filio opperiebatur. tunc, ut ait Possidius (4), *proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus est, quo propinquantibus diebus sanctis Paschae salutis aquam*

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 951. v. Coustant. *Epist. Rom. Pont. p.* 643.
(2) *ibid. p.* 858.
(3) Leydeckerus *Hist. Eccl. Afr. p.* 505.
(4) *in vit. Aug. c. I.*

perciperet. et factum est divina praestante opitulatione, ut per illum talem ac tantum antistitem Ambrosium et doctrinam salutarem Ecclesiae Catholicae, et divina perciperet sacramenta. quo tempore quanta animum ejus suavitas perfuderit, sic ipse postea commemoravit (5): *Baptizati sumus, et fugit a nobis sollicitudo vitae praeteritae. nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. quantum flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! voces illae influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exaestuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrimae, et bene mihi erat cum eis.* illnd vero etiam percommode acciderat, quod sub idem tempus Martyrum Protasii et Gervasii corpora ab Ambrosio inventa fnerant, et ad Basilicam ejns quum transferrentur, cum alia prodigia exstiterant, tum coecus, qui sudario feretrnm tetigisset, eodem oculis admoto visnm illico lucemqne receperat (6). exinde reditum in Africam cogitare coepit: cui et mater et Alypius consentiebant. aderat porro Mediolani municeps qnoque ejus Evodius, aderat et Navigius frater, qui eodem navigaturi erant. ergo simul omnes autumno vertente maritimnm iter ingressi, ad ostia Tiberina ante idus Novembres pervenerunt. sed illic de numero eornm exempta Mounica est, quae jam filio recepto, nihil in hac vita reliquum habebat, quo teneretnr. et sane multa illic cum filio de caelestibus praemiis colloquuta, ad quae tnm vocabatur, haec quoqne addidit (7): *Fili, quantum ad me adtinet, nulla jam re delector in hac vita. quid heic faciam adhuc, et cur heic sim nescio, jam consumpta spe hujus saeculi. unum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Christianum Catholicum viderem, priusquam morerer. cumulatius hoc mihi Deus meus praestitit, ut te etiam contempta felicitate terrena servum ejus videam: quid heic facio?* nec multo post, qunm jam febribus decnbuisset, et filii adstarent, seque Navigius optare significasset, ntin patria potius, qnam peregre diem suum obiret; ad Augnstinnm flentem conversa, *Vide*, ait, *quid dicit;* tum utrumque adloquens, *Ponite*, inqnit, *hoc corpus ubicumque: nihil vos ejus cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi ubi fueritis.* haec illa, qnamquam antea de sepultnra sua laboraverat, et locnm sibi in viri sui monumento Thagastae paraverat, ut apnd eum conderetur. *Ergo*, inqnit Augustinns (8), *die nono aegritudinis suae, quinquagesimo et sexto anno aetatis suae, tricesimo et tertio aetatis meae, anima illa religiosa et pia corpore soluta est.*

IIII. Post matris funns, post lacrimas et luctum, quum ea tempestate reditus in Africam ob Maximi tyranni bellum periculosns videretur, Romam Augustinns cum sociis concedendum duxit. nam spes illi etiam erat, si se in nrbe ad scribendum contulisset, fore, ut Manichaeos, quos

(5) *Conf. lib. VIII. c. 6.*
(6) *ibid. c. 7. n. 16.*
(7) *ibid. c. 10. n. 26.*
(8) *ibid. c. 11. n. 28.*

ante sequutus erat, erroribus eorum detectis, coërceret, multosque ex iis ad Catholicam Ecclesiam tradoceret. jam enim summo flagrabat stodio hominum juvandorum, io eoque operam suam egregie positam existimabat, quod aliis utilitati et saluti esse posset.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXVIII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM Constantinopoli iniere Imp. Fl. Theodosius iterum, Fl. Cynegios. io Italia, post Valentiniani fugam, in Maximi tyraoni potestate esse omnia coeperant: itaque Africa eundem hoc anno Dominom habuit, eomque avarum atque rapacem: totam enim exhausisse dicitur (1). sed jam ex Oriente adventabat Theodosius, qui dominatum illius tolleret, Imperiomque Valentiniano restitueret. caesus primom Maximi exercitus est ad Sisciam ingenti clade (2), deinde ad Haemonam (3): ipse demum tyrannus prope Aquilejam captus, et capite damnatus, poenas dedit (4). peracta haec Iulio mense extremo; nec multo post sublatus et Victor Maximi filius in Galliis, et Andragathus, qui classem contra Theodosium comparaverat, in Ionio devictus atque ad mortem adactus est.

II. Romae interea Augostinus, oondum pacatis Africae rebus, quod otii dabatur, ad scribeodum potissimum contulit. hujos enim temporis opera sunt liber *de moribus Ecclesiae Catholicae*, et qui hunc subsequitur, liber *de moribus Manichaeorum:* item Dialogus *de quantitate animae*, ac libri tres *de libero arbitrio*, quos tamen in Africa jam Presbyter absolvit. curae simul fuisse Augustino apparet, ut Romaoae Ecclesiae, quam ceterarum parentem esse noverat, coosuetudines, ritus, instituta addisceret: qoae postea non semel in scriptis, quae tam multa edidit, ut res ferebat, commemoravit.

III. Nuncii demum mense Augusto Romam adlati, Maximum tyrannum cecidisse, et provincias omnes bello depulso quietas esse, mare ipsum classe hostis disjecta tutum commeantibus patere. ergo Aogustinus prima navigatiooe traosmisit, et Carthagioem appulit, ubi Eulogium, quem auditorem habuerat, rhetoris munere fungentem invenit. diversatus autem dies aliquot cum fratre et Alypio apud Innocentium virum religiosissimom, qui Vicariae Praefectorae advocatus fuerat, tum graviter ex fistula aegrotantem, et novae sectionis periculo coosternatum; adfuit cum aliis quo die post multas adstantium preces repente convaluit (5). mox Thagastam profectus, paternum in praedium, quod deinde Ecclesiae Thagastensi cessit (6), cum amicis unum idemque sentientibus se recepit, ut se Deo totum dicaret, et novam praeclarae vitae rationem iniret.

(1) Pacat. *in paneg. Theod. c.* 38.
(2) Pacat. *ibid. c.* 34.
(3) *idem ibid. c.* 37.
(4) *idem ibid. c.* 44.
(5) *de Civ. D. lib. xxII. c.* 8. *n.* 3.
(6) Aug. *epist.* 126. *n.* 7.

Placuit ei, inquit Possidius (7), *percepta gratia cum aliis civibus et amicis suis Deo pariter servientibus ad Africam et propriam domum agrosque remeare. ad quos veniens, et in quibus constitutus ferme triennio, et a se jam alienatis curis saecularibus, cum iis, qui eidem adhaerebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus bonisque operibus in Lege Domini meditans die ac nocte: et de iis, quae sibi Deus cogitanti atque oranti intellecta revelabat, et praesentes et absentes sermonibus ac libris docebat.* atque haec prima ejus vitae rudimenta fuere, quam deinde multi eo auctore ac moderatore amplexi sunt (8): ut quae Mediolani, quae Romae Monachorum coenobia Deo famulantium viderat, ea Augustinus Africae reddiderit, et Monasteriorum conditor primus habendus sit.

(7) *in vita c.* 3. (8) Aug. *Serm.* 355. *c.* 1. *n.* 2.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXVIII.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus Fl. Timasium, Fl. Promotum. Augusti Theodosius et Valentinianus, postquam Mediolani Acta Maximi tyranni resciderunt, remque publicam ordinarunt, Romam triumphi caussa petiere (1): ubi in primis Theodosii religio atque pietas eluxit, cujus exemplo Senatus prope universus superstitionem denique abjecit, et urbs tota, inanium Deorum fanis neglectis et simulacris exturbatis, Christiana visa est. quae tempora designabat Hieronymus, quum ait (2): *Solitudinem patitur et in urbe gentilitas: Dii quondam nationum cum bubonibus et noctuis in solis culminibus remanserunt.* curae item Theodosio fuit, ne in urbe haeretici latitarent, quos nusquam esse maxime optabat. itaque quatriduo post adventum ejus lex promulgata contra Manichaeos, quae omnes urbe expelli jubebat, et bona populo adjudicabat, quaecumque vel testamento cuiquam reliquissent (3).

II. Iam quae Romae Theodosius religionis caussa gesserat, multum quoque Ecclesiae Africanae profuisse putanda sunt: rectoribus provinciarum adnitentibus, ut Principis virtutem aemulari viderentur. idcirco non Manichaeos solum, sed etiam Donatistas diu quievisse apparet: qui profecto haud impune Catholicos sub tanto Principe lacessivissent. quin et aliquos identidem ex horum numero ad Catholicam Ecclesiam rediisse, octavo Siricii canone indicari dixerim, qui manus resipiscentibus imponi jubet, quod Episcopus fortasse aliquis nimia facilitate eos admitteret, ac veteres poenitentiae ritus negligerentur.

III. Nebridius hoc anno Carthagine aut in vicinia decessisse creditur, Augustini ab adolescentia amicus, qui et Mediolanum ejus visendi caussa

(1) Socrat. *lib.* v. *c.* 14. *etc.*
(2) *in epist.* 107. *ad Laetam n.* 2.
(3) *Cod. Theod. lib.* xvi. *Tit.* v. *L.* 18. v. *et* Aug. *de C. D. lib.* v. *c.* 26.

profectus fuerat, eoque in patriam reverso, in Africam item redierat. exstant mutuae amborum litterae, quae et ingenium utriusque et amicitiam testantur. praeclarum ejus exitum Augustinus, sic Deum adloquens, attigit (4): *Quem*, inquit, *non multo post conversionem nostram et regenerationem per baptismum tuum, ipsum etiam fidelem Catholicum castitate perfecta atque continentia tibi servientem in Africa apud suos, quum tota domus ejus per eum Christiana facta esset, carne solvisti; et nunc ille vivit in sinu Abraham: quidquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptivus ex liberto filius, ibi vivit.*

IIII. Dicendum semel aliquid quoque est de Zenone Episcopo Veronensi, de cujus aetate magna jamdiu quaestio fuit. eum ortu Afrum fuisse, atque e Caesariensi Mauretania, satis exploratum videtur, quod tam longe positus natalem diem Arcadii Martyris Caesareensis in Veronensi Ecclesia celebrarit, martyriumque ejus, de quo alii silent, longo eoque accurato sermone (5) exposuerit. cur enim ejus potissimum laudes attingeret, qui nullum aliud hujusmodi argumentum arripuit, de quo ad populum suum dissereret, nisi patriae memoria, et conterranei anniversarius honor eum ladmonuisset, et Afrum quidem alia etiam indicia declarant: nam Tertuliani ac Cypriani imitator est haud ambiguus, ut sententias eorum saepe et verba sequutus videatur (6). neque vero hunc unum Africa Italicis Ecclesiis suppeditavit. nam inde hoc saeculo Episcopum Fortunatianum habuit Aquileja (7), et Ecclesia Mediolanensis Presbyterum Donatum (8): aliis autem aetatibus plures item Afros cum aliae civitates, tum Roma ipsa infulis suis ornavit. porro his temporibus, quae nunc percurrimus, floruisse Zenonem, ipse prodit, quum de continentia agens, et quae Paullus Apostolus ad Corinthios scripsisset super nuptiis, perpendens ait (9), *At quum ante annos ferme quadringentos, vel eo amplius, Apostolicum hoc operetur edictum, quo et vivaciores fuere homines, et rarissimi Christiani; cur ego, Christiano orbe ipso pene jam toto, hominumque vivacitate mundo senescente detrita, obtundam verbis palpantibus aciem veritatis, ac non plene denuntiem, observantiae qua perfectione Dei cultus debent custodiri?* quibus verbis etsi non accurate aetas haec designatur, illud tamen fit manifestum, Zenonem ad saeculum tertium non pertinere (10). sed tam de aetate Zenonis, quam de Martyrio multa jam ab aliis disputata sunt (11), quae hic delibare non vacat.

(4) *Conf. lib. VIII. c.* 3. *n.* 6.
(5) *lib. II. tract.* 18.
(6) Baller. *ad Zen. Diss. III.* §. 1.
(7) *de vir. illustr. c.* 97.
(8) Paull. *in vit. Ambr. n.* 54.
(9) *lib. I. tract.* 5. *n.* 4.
(10) v. Baller. *Diss. I. c.* 2.
(11) v. *Diss.* Bonacchii *ad calc. Zen. et* Vallars. *dell' Iscriz. de' ss. MM. Lez.* 4. *p.* 285.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXX.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gessere Imp. Fl. Valentinianus IIII. Fl. Neoterius, qui et Praefectura Praetorii Orientis fungebatur. Proconsul in Africam missus Latinus Pacatus Drepanius eloquentiae laude clarus, qui anno superiore Theodosium Romae in Senatu copiosa et subtili oratione laudarat. edita hoc anno ab Augustis lex de Diaconissis, quae professioni earum modum imponebat (1): ut sexaginta annorum essent, quum legerentur, ut votiva eis proles domi esset, ut de beneficentia earum erga suos constaret, quae jam Apostolus requisierat. praescriptum autem unicuique, ut praediorum suorum redditibus contenta, nihil de monilibus et supellectili, nihil de auro, argento ceterisque clarae domus insignibus sub religionis defensione consumeret, nec Ecclesiam aut Clericum aut pauperem ullum scribere heredem posset. sed paullo post caput hoc legis alia lege revocatum est (2), indultumque, ut legatis ejusmodi quem quaeque vellet, honoraret. ceterum utramque legem susque deque in Africa habitam puto: neque enim apud Afros Diaconissarum nomen receptum invenio, earumve sacrandarum sollemnes caerimonias omnes probatas, quae diu apud Graecos obtinuere: eas certe neque Cyprianus neque Augustinus usquam appellant; quin et apud ceteros Latinorum nulla primis Ecclesiae saeculis mentio fit, quae primum fortasse injecta sub Karoli magni principatu. quamquam et virgines et viduas constat in Ecclesiae ministerium adhibitas, quemadmodum infra dicemus. fortasse civitatem aliquam Africanam designabat Tertullianus, quum scripsit (3): *Plane scio alicubi virginem in Viduatu ab annis nondum viginti collocatam: cui si quid refrigerii debuerat Episcopus, a iter utique salvo respectu disciplinae praestare potuisset, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum, in Ecclesia denotaretur, virgo vidua.* sed ibidem tamen non sacrum veluti ordinem feminarum iudicare videtur, sed certam potius in templo sedem viduis adsignatam: *Ad quam*, inquit, *sedem praeter annos sexaginta non tantum univirae, id est nuptae, aliquando eliguntur, sed et matres, et quidem educatrices filiorum:* Apostoli magis tempora, quam sua designans.

II. At vero Geneclius Concilium jam indixerat Carthaginem in mensem Majum extremum. Episcopi diversarum provinciarum convenisse dicuntur III. kal. Iunias in Basilicam Perpetuam Restitutam: sed subscriptiones eorum, qui adfuere, non habemus: et hi tantum obiter citentur, Victor Abziritanus, Victor Puppianensis, Epigonius Bullensium Regiorum, Numidius Maxulitanus, Felix Selemselitanus. hos et collegas omnes, ut

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L.* 27.
(2) *ibid. L.* 28.
(3) *de virg. veland. c.* 9. v. Joan. Pinium *de Diac. T. I. Sept.* Boll. *in Tract. Praelim. p.* 10.

consedere, sic Geneclius est adloquutus (4): *Omnipotenti Deo gratias refero, qui permisit, ut secundum commune Concilium habitum in praeterito, et juxta tenorem petitionis litterarum mearum ad Carthaginem pro fide atque utilitate Ecclesiastica veniretis, licet non omnes. tamen quoniam caritas totum persuadet, ut qui corpore sunt absentes, nobiscum in spiritu videantur esse conjuncti: idcirco Deo propitio, quia praesentes estis, pari professione fides Ecclesiastica, quae per nos traditur in hoc coetu glorioso primitus confitenda est. tunc demum ordo Ecclesiasticus singulorum ex consensu est adstruendus.* haec ille praefatus, a Catholica sanctae Trinitatis professione exordium duxit: ad cujus verba Episcopi universi reposuerunt, *Plane sic accepimus, sic tenemus, fidem Apostolicam sequentes.*

III. Iam Epigonius a Geneclio primus sententiam rogatus, superioris Concilii canonem de continentiae et castitatis moderamine novo decreto confirmandum censuit (5): cui assensi Patres, *Omnibus placet*, dixerunt, *Vt Episcopi, Presbyteri et Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, etiam ab uxoribus se abstineant.* et rursus, *Placet, ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt.* quibus verbis Hypodiaconos quoque esse comprehensos, ut eadem lege tenerentur, satis perspicuum est. exinde Numidius Maxulitanus aliis in Conciliis constitutum olim admonuit, ne sacrum Chrisma, ne reconciliatio poenitentium, ne consecratio puellarum a Presbyteris fierent: petiitque a Patribus, num haec a Presbyteris praestari ferendum esset? pronunciatum ab Episcopis est, Geneclio ipso rogante: *Chrismatis confectio et puellarum consecratio a Presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica missa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.* hic vero Geneclius cautus consultor providusque, *Si quisquam*, inquit (6), *in periculo fuerit constitutus, et se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, et sic periclitantem ejus praecepto reconciliare.* gratum Patribus consilium fuit, et ab omnibus responsum est, *Placet, quod sanctitas vestra necessario nos instruere dignata est.*

IIII. Post haec, Felico Selemselitano auctore, de Dioecesibus Episcoporum actum est, et sententia ejus probata censentis, *Vt Dioeceses, quae numquam Episcopos accepissent, non haberent: et illa Dioecesis, quae aliquando habuisset, haberet proprium.* sed illud tamen additum in posterorum commoda: *Si accedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus potestate est Dioecesis constituta, habeat Episcopum.* at Numidius dignitati pariter et securitati Episcoporum consulendum censuit (7), ne improborum hominum criminationibus vexari

(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 951.
(5) *ibid. n. II.* v. Baron. *contra Graecos ad an.* 602.
(6) *ibid. p.* 952. *n. III.* v. Ioan. Diac. *apud Mabill. M. I. P. II. p.* 73.
(7) *ibid. n. VI.*

possent. itaque Geneclio rogante, *Placet ergo caritati vestrae, ut is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majores natu non habeat accusandi?* Patres responderunt, *Si criminosus est, ut non admittatur, omnibus placet.* rursum Felix loquutus, sententiam rogavit, quid in eos statuendum videretur, qui ejectos ab Ecclesiis et ad Principem aut ad judicia publica confugientes susciperent foverentque? Epigonii autem responsum hujusmodi fuit: *Si quis Episcopus, communionem tenens Catholicam, hujusmodi homines vanis blandimentis incedentes temere susceperit, sciat cum his se rejectis esse depravatum vel damnatum.* pressius subinde Geneclius, *Ergo*, inquit, *recte suggerunt fratres et Coëpiscopi, ut qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo aut Presbytero vel Clerico fuerint in communione suscepti, refugientes sui Episcopi regulare judicium, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius.* id vero omnes sibi placere affirmarunt.

v. Pari mox studio cavendum Felici visum est, ne schismata essent, quod Geneclius quoque sententia sua comprobavit. itaque canon in haec verba sancitus (8): *Si quis Presbyter a praeposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus caussa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus, secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, et locum amittat.* tum ut tranquillitati Ecclesiarum prospicerent, id simul Patres praescripsere: *Nihilominus et de civitate et congregatione, in qua fuerit, longe repellatur; ne vel ignorantes vel simpliciter viventes, serpentina fraude decipiat: quoniam secundum Apostolum* (9), *Ecclesia una est, una fides, unum Baptisma. et si querimoniam justam adversus Episcopum habuerit, inquirendum erit.* enimvero Numidius ne illud quidem ferendum censuit, ut Presbyteri praesente et inconsulto Episcopo sacrum in privatorum domiciliis facere auderent: et consilium probante Geneclio, pronunciatum ab omnibus est (10): *Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo Agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius exsistit.*

vI. Statuerat Concilium Carthaginiense sub Grato, canone xI. si quis apud Ecclesiam accusaretur, isque Diaconus esset, de eo Episcopos tres judicare oportere, sin Presbyter, sex, duodecim vero, si Episcopus foret. hunc canonem Felix rursus sanciendum existimabat: cui Patres assensi, veterum decreta retinenda dixerunt. at Victoris Abziritani postulatio fuit, ut lege lata cohiberentur Episcopi, ne fines suos transgressi, in alienas Dioeceses adreperent: e cujus sententia responsum est, *Placet secundum divinae legis et sancti Evangelii auctoritatem, ut nemo nostrum alienos limites transgrediatur.* questus postremo est Numidius, non

(8) *ibid. p.* 953. *n. vII.*
(9) *ad Ephes. c. III. n.* 5.
(10) apud Hard. *ibid. p.* 953. *n.* 9.

ab omnibus, ut par erat, honorem Primatibus haberi, et audere quosdam *Episcopum ordinare neque litteris ad se primae Cathedrae manantibus, neque postea acceptis.* de ea re quum Geneclius sententiam omnium postulasset, ita censuerunt: *Placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet provinciae tam facile nemo praesumat, licet cum multis Episcopis, in quocumque loco sine ejus, ut dictum est, praecepto Episcopum ordinare. si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocumque loco sint, cum Primatis praecepto ordinare debeant Episcopum.*

VII. Hactenus Concilii Decreta. restabat, ut ea rursum calculo quisque suo confirmaret. itaque Geneclius primum universos sic rogavit: *Omnia ergo, quae a vestro coetu gloriosissimo statuta sunt, placet ab omnibus custodiri?* cui omnes responderunt, *Placet, placet, ut custodiantur ab omnibus.* tum ille, *si*, inquit, *quod non opinamur, ab aliquo fuerint violata, quid statuitis, quod fieri debeat?* at Patres reposuere: *Qui contra suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc coetu separabit.* post quae Geneclius, *Gratulemur*, inquit, *Domino nostro praestante, quod pro statu Ecclesiae Catholicae cuncta nos salubri consilio servanda decrevimus. et ideo quae ab omnibus sunt dicta, propria debemus subscriptione firmare.* illi vero quum adclamassent, *Fiat, fiat*, ad subscribendum accesserunt. nec amplius eos moratus Geneclius Concilium dimisit.

VIII. Dum haec porro Carthagine tractantes, Africani Episcopi Ecclesiae consulebant, alterum jam annum Augustinus apud Thagastam incoluerat, monachum in secessu agens, sed minime otiosus, imo vel tum pluribus utilis, et Catholicae religionis adsertor egregius. neque enim solum in respondendo occupatus, quaestiones solvebat contubernalium suorum, e quibus justum volumen Episcopus confecit (11); sed etiam multa adsidue commentabatur, litterisque mandabat, quae divisa passim atque edita, utilitati ac saluti quamplurimis esse possent. tunc liber *de Genesi* contra Manichaeos ab eo scriptus est, in quo divinarum litterarum auctoritatem ab eorum calumniis vindicavit, et Catholicae doctrinae veritate proposita, animos eorum ab errore revocare conatus est (12). absoluti tum quoque ab eo sex libri *de Musica*, quos Mediolani erat exorsus, non alio consilio, ut ipse testatur, *Nisi ut adolescentes vel cujuslibet aetatis homines, quos bono ingenio donavit Deus, non praepropere, sed quibusdam gradibus a sensibus carnis atque carnalibus litteris, quibus eos non haerere difficile est, duce ratione avellerentur, atque uni Deo et Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nulla natura interposita praesidet, incommutabilis veritatis amore adhaerescerent* (13). eodem tempore in lucem emissus liber ejus est *de Magistro*, in quo, ut idem ait, „*Disputatur et quaeritur et invenitur, magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum* (14)*:* est autem

(11) *Retract. lib. I. c. 26.*
(12) *ibid. c. 18.*
(13) *de Mus. lib. VI. c. 1.*
(14) *Retr. lib. I. c. 12.*

dialogus inter Augustinum et Adeodatum, filium annorum sexdecim; cujus tamen fuisse sensa omnia, quae inserta sunt, ipse affirmat (15) editus item est liber *de vera Religione* praeclari operis instar, in quo etiam Manichaeos memor veteris erroris sui rursum perstrinxit, ut quos exemplo non permovebat, scriptis aliquando ad veritatem traduceret. sunt et epistolae ejus quaedam id temporis scriptae, ad Maximum Madaurensem, ad Caelestinum amicum, ad Cajum, ad Antoninum, quae omnes plurimum ejus vel in ipsis Catholicae professionis initiis studium fuisse ostendunt hominum juvandorum.

(15) *Conf. lib. VIII. c. 6.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXI.

Geneclio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Tib. Fabius Titianus, L. Aurelius Avianus Symmachus, hic Romae, ille Constantinopoli. Africa Vicarium habuit Magnillum Symmachi Consulis amicitia et litteris clarum. lex hoc anno ab Augustis lata contra inanium Deorum cultum, et ipsi judicum apparitores obsistere jussi, ac rem ad Principem referre, si forte is, cui parerent, contra legem facere ausus esset, multa etiam dicta, quam penderent, pro cujusque dignitate, quicumque ejusmodi se crimine obligassent (1).

II. Extremus hic vitae et pontificatus Genecilii annus fuisse putatur: quo ille, jam diu magnis in Ecclesiam meritis illustris, aeterna a Deo praemia retulerit. quanti virtutem hujus fecerit Ecclesia Carthaginiensis, Kalendarium ejus declarat, in quo nonis Majis memoria ipsius consignata est, ut cum ceteris, qui sanctitate floruissent, anniversariis sollemnibus coleretur: quem propterea et Augustinus Episcopum *beatae memoriae* (2), et Ferrandus Diaconus *sanctum* appellavit (3). sed de rebus ab eo in pontificatu gestis tenuis ad nos fama pervenit, nihil ut iis addere liceat, quae superius recensuimus.

III. Eodem anno Augustinus ad Ecclesiam Hipponensium Regiorum pertinere coepit. nam quum forte accessisset eo, ut amicum colloquii cupidum inviseret, et id unum animo cogitaret, bene operam collocatam fore, si eum pietatis studiosissimum Thagastam secum in monasteriumque perduceret, contra accidit, ut ipse Hippone retineretur, ac Presbyter populo efflagitante fieret (4). nihil enim lacrimae ejus et preces honorem illum renuentis impetrare potuerunt. ipse autem Valerius Episcopus divinitus sibi, ut optaverat, talem virum oblatum credidit, ac mirum in modum laetatus est. nam quum ortu Graecus esset, ac Latine minus sciret, et senex praeterea jam foret, magno eum adjumento sibi futurum

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. X. L. 10.*
(2) *epist. 44. c. 5. n. 12.*
(3) *in Brev. Can. c. 194.*
(4) *Possid. in vit. c. 3.*

iotelligebat, ut muneris sui partes felicius expleret, et creditum sibi populum diligentius excoleret. accedebat Donatistarnm schisma, quo tum Hippooensis Ecclesia maxime vexabatur: contra quod Valerios firmissimum in Augustioo praesidium se nactum esse, recte judicabat. eoimvero Augustinus expectationem quoqoe ejus ab ipso hoooris sui tirocioio soperavit: nam cura ei mandata populi iostitueodi, et publicarum coocionum jure, quod in Africa solius Episcopi erat, communicato, mirum, quanta sermonum ejus auctoritas apud populum fuerit, et quam multis doctrina illa et eloquentia saluti esse coeperit! nec tamen io illo muoere vetus propositum suum abjecit, ut quantum fas esset, in Monasterio viveret, et discipulos ejosdem consilii socios haberet, qui aliquaodo ex illa veloti officioa sapientiae atqoe virtutis prodeuntes, Ecclesiae plurimum vel doctrina vel exemplo prodesseot: io quo Episcopum suum fautorem adjutoremque expertum se esse, idem postea testatus est, quum totam illius vitae rationem populo exponeret (5): *Apprehensus*, inquit, *Presbyter factus sum, et per hunc gradum perveni ad Episcopatum. non adtuli aliquid, non veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum iis indumentis, quibus illo tempore vestiebar. et quia hoc disponebam, in Monasterio esse cum fratribus, cognito instituto et voluntate mea, beatae memoriae senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est Monasterium. caepi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, et imitantes me: ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, et pauperibus erogavi, sic facerent et illi, qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus: commune autem nobis esset magnum et uberrimum praedium ipse Deus.* itaque jam duo in Africa monasteria Augustino auctore esse coeperunt, Thagastense et Hippooense, e quibus deiode clarissimi Episcopi prodierunt, a Possidio etiam celebrati, qui eos sibi notos affirmat (6) *sanctos ac venerabiles viros* appellans, eosdemque *continentes et doctissimos.* et auctus deioceps Monasteriorum oumerus Hippone, atque alia alibi condita, etiam feminarum: quae idem morieos *continentibus*, ut Possidius ait (7), *cum suis praepositis plena Ecclesiae dimisit.* num autem ubique vita a monachis ex ejus praescripto traduceretur id temporis, quotquot Augustioum instituti sui auctorem agnoscerent, in controversiam adduci non debet. illud ambiguum videri possit, an quae *Augustini Regula* jamdiu dicitur, et Gelasii Pontificis maximi hoc nomioe secundi aoctoritate probata est, ab ipso Augustino prodiisse putanda sit. cujus quidem, quum oon uoum exemplum ad nos perveoerit, illud germaoum habetur, coi hoc ioitium est. *Primum, propter quod in unum estis congregati, caritatis vinculum custodiatur, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis cor unum et anima una in Deo.* sed de his dedita opera qui scripserint, adeundi sunt (8).

(5) *serm.* 355. *c.* 1. *n.* 2.
(6) *in vit. Aug. c.* 11.
(7) *ibid. c.* 31.
(8) v. Amort. *vet. Disc. Canon. c.* 3. §. 3. *P.* 2.

IIII. Ad haec tempora pertinere credibile est, quod idem Augustinus ad Dulcitium scribit de juvene catechumeno Mauretaniae Sitifensis (9), quem deinde Episcopum aequalem habuit. Celticius huic nomen erat, et inter Episcopos cietur, qui anno CCCCXXV. Caelestino Pontifici maximo scripserunt ex Concilio Carthaginiensi. hic in adolescentia nuptias cogitans, viduam in proposito continentiae constitutam rapuit, ut haberet uxorem. at quum jam in thalamum deduxisset, *Pressus somno*, inquit Augustinus, *et territus somnio, Sitifensi Episcopo eamdem vehementissime requirenti revocavit intactam. vivunt adhuc, de quibus loquor: ille baptizatus, et ipso ir:* *se facto miraculo conversus ad Dominum, ad Episcopatum venerabili probitate pervenit, illa in sancta viduitate persistit:* designabat autem Augustinus annum CCCCXXIIII. quo Celticius si sexagesimum annum attigerat, hoc anno aetatis suae vicesimum sextum numerabat.

(9) *de octo Quaest.* 7. *n.* 3.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere Imp. Fl. Arcadius iterum, Fl. Rufinus, ambo ex Oriente. Maguillum hoc item anno Vicarium Africae lex *de fide et jure hastae* demonstrat, quam idibus Ianuariis Adrumeti accepit. fuit autem idem annus toti Occidenti ob Valentiniani pientissimi Principis caedem plane luctuosus. Arbogastis eum Comitis factio sustulit apud Viennam XVIII. kal. Iunias, quum aetatis suae annum ageret XXI. de cujus obitu *Consolationem* scripsit Ambrosius, tamquam filium pater, lugens acerbissimam illam mortem, quae bonis omnibus moerori fuerat. porro Arbogastis arbitrio Eugenius tyrannus imperium adripuit, et Theodosium legationibus placare frustra conatus est: qui Valentiniani excessu cognito, nefarium cunjuratorum scelus armis ulturus, bellum parabat. quamquam antiquius illi fuit susceptum jamdiu superstitionis exterminandae consilium, cujus rei caussa edixit (1), *Nullus omnino ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in potestate positus, vel honore perfunctus, sive potens sorte nascendi, seu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla urbe, sensu carentibus simulacris vel insontem victimam caedat, vel secretiore piaculo Larem igne, mero Genium, Penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat tura, serta suspendat.* et quae deinceps.

II. Interea Carthagine successor Geneclii designatus jam fuerat magnus Aurelius, e Diaconorum collegio lectus, quem tota Ecclesia Africana fortissimum Episcopum, doctorem egregium, parentem optimum experta est. celebratam autem ibidem quotannis Consecrationis ejus memoriam,

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. X. L.* 12.

dum ipse viveret, Augustini sermo centesimus undecimus ad Carthaginienses apprime nos edocet, cui haec subnectitur formula: *Quod novit Caritas vestra, suggerimus. dies anniversarius Ordinationis domni senis Aurelii crastinus illucescit. rogat et admonet per humilitatem meam Caritatem vestram, ut ad basilicam Fausti devotissime convenire dignemini. Deo gratias.* jam vero haud multo post Donatistae etiam, Parmeniano suo amisso, alium sibi ducem quaesierant. is fuit Primianus, quem illi ultimum sectae suae jam moriturae Episcopum habuere, nec solum tamen, ob magna eorum dissidia, de quibus infra dicendum erit: quamquam ipse sectarum, in quas Donatistae abierant, numerum ab ipso honoris sui initio minuere conatus, Claudianistas in communionem receperat: quod illi tamen adversarii crimini verterunt (2).

II. Enimvero Aurelius, pontificatu Carthaginiensi suscepto, quum litteras ad Episcopos Africanos de more mitteret, quibus eos de consecratione sua certiores faceret, ad Augustinum ipsum Presbyterum, quem Diaconus Carthagine noverat et amaverat (3), epistolam ea de re scripsit, optare se plurimum significans, ut ejus precibus Deus sibi propitius redderetur; ac simul de Alypio gratulatus est, quod apud eum perstitisset, exemplo iis futurus, qui mundi hujus curas vitare cuperent. haec ab Augustino ipso novimus, qui fusius Aurelio rescripsit (4), ac post magnam officii ac voluntatis erga eum suae significationem gravissime hortatus est, ut vitia, quae tum Ecclesiam Africanam deformare videbantur, studio ejus et Conciliorum auctoritate tollerentur. ac medicinam omnino ab Ecclesia Carthaginiensi incohandam censebat, quod eam reliquae jure susciperent, et unam maxime sequerentur. nam *Sicut*, inquit (5), *videtur audaciae, mutare conari quod Carthaginiensis Ecclesia tenet; sic magnae impudentiae est, velle servare, quae Carthaginiensis Ecclesia correxit.* quod nostris temporibus qui merum Augustinum crepant, et totum Iansenium olent, Ecclesiae Romanae matri omnium Ecclesiarum dictis tamen factisque denegant, multa prope in oculis ejus refingere ausi, quae probat, et ea inducere, quae rejecit.

III. Primum autem ab Aurelio optabat Augustinus, ne sacris in aedibus vel ob sollemnia Martyrum, vel alia quacumque de caussa comessationes et ebrietates esse pateretur: quae si in luxu et labe domestica vix ferenda erant; *Saltem*, ajebat, *de sanctorum corporum sepulcris, saltem de locis sacramentorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur.* atque id quidem magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando impetrari posse, praefatus, quae populum edoceri vellet, sic explicabat: *Quoniam*, inquit (6), *istae in coemeteriis ebrietates et luxuriosa convivia non solum honores Martyrum a carnali et imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum; mihi videtur*

(2) Aug. contra Cresc. lib. III. c. 11.
(3) idem de Civ. D. lib. XXII. c. 8.
(4) epist. 22.
(5) ibid. n. 4.
(6) ibid. n. 6.

facilius illic dissuaderi posse istam foeditatem ac turpitudinem, si et de Scripturis prohibeatur, et oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas Memorias non sint sumptuosae, atque omnibus petentibus sine typho et cum alacritate praebeantur, neque vendantur; sed si quis pro religione aliquid pecuniae offerre voluerit, in praesenti pauperibus eroget. ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non levem cordis dolorem, et id celebrabitur in Ecclesia, quod pie et honeste celebratur. alterum, quod Augustinus in votis habebat, animorum concordia erat, et summa sacerdotum modestia atque simplicitas, nullae ut contentiones, nullus usquam dolus inveniretur. *Horum*, inquit, *morborum mater superbia est, et humanae laudis aviditas, quae etiam hypocrisim saepe generat. huic non resistitur, nisi crebris divinorum librorum testimoniis incutiatur timor et caritas Dei: si tamen ille, qui hoc agit, seipsum praebeat patientiae atque humilitatis exemplum, minus sibi adsumendo quam offertur; sed tamen ab eis, qui se honorant, nec totum nec nihil accipiendo; et id, quod accipitur laudis aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, et humana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consulere non potest, si nimia dejectione vilescat.* haec et alia multa de praesidum officiis Augustinus in ea epistola complexus est, quod ea Aurelio non ingrata fore noverat, quem egregiis virtutibus ornatum sciebat. similia vero se disputaturum spondet, si Hipponem senex Saturninus Vzalensis Episcopus venisset, quem Italia redux adloquutus erat Carthagine, et sibi ac omnibus contubernalibus suis carissimum jamtum colebat. beneficium denique commemorat, quo Monasterium ejus Aurelius prosequutus fuerat: *Agrum*, inquit, *fratribus datum provisione et liberalitate tua, didicimus ante epistolam tuam per sanctum fratrem et conservum nostrum Parthenium, a quo multa alia, quae audire desiderabamus, audivimus.*

V. Atque haec quidem officiose et amice scribebat Augustinus operis subsecivis: nam bonam temporis partem munus, quod illi Valerius imposuerat plebis erudiendae, sibi vindicabat: reliquum haereticis in primis refutandis emendandisque impendebat. itaque hoc ipso anno librum emisit *de utilitate credendi* inscriptum Honorato amico veteri et ab adolescentia Manichaeorum studioso, quorum Hippone etiam non exigua copia erat. deinde alterum *de duabus animabus* (7), quas Manichaei homini tribuebant. disputationem praeterea V. kal. Sept. habuit publicam, quae sequenti etiam die iterata est, in Balneis Sossii prope Hipponem cum Fortunato Presbytero Manichaeo, civium multorum corruptore: quem in magno auditorum consessu ad incitas redactum silere coegit, ignominiaeque impatientem ad exsilium impulit voluntarium (8).

(7) *Retract. lib. I. c.* 15.
(8) Possid. *in vita c.* 6. *Acta exstant in Aug. libris duobus.*

vI. Sub anni finem perlata in Africam Theodosii lex est adversus Haereticos, qui se pro Clericis gererent, aut Clericos facerent ordinarentque. data ea fuerat XVII. kal. Iulias, jubebatque multari eos viritim denis libris auri, et locum, in quo id ausi essent, adtribui fisco (9). hanc legem postea in Africa ad cohibendos Donatistas magno usui fuisse, infra ostendemus (10).

(9) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. v. L. 21.* (10) *ad annum 405.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules in Oriente processerunt Imp. Fl. Theodosius IIII. Fl. Abundantius. sed Fasti Occidentis aliquamdiu Eugenium tyrannum Consulem cum Theodosio exhibuere (1): cujus nomen biennio post, Arcadii et Honorii Augg. jussu, deletum est (2). Africam a tyranno intactam, in fide ac potestate Theodosii et filiorum mansisse, leges indicant, quae hoc anno datae sunt *Silvano Duci et Correctori Limitis Tripolitani* (3), et *Gildoni Comiti et Magistro utriusque militiae per Africam* (4). praeferunt autem nomina Augustorum trium, quod hoc anno Theodosius minorem quoque filium Augustum appellarat.

II. At dum Africa nihil ab hoste externo metuebat, intestinis Donatistarum discordiis et domestico bello flagrabat tota Carthago: Episcopis sectarum diversarum eo confluentibus, quorum alii Primianum sequebantur, alii ducem adversus eum quaerebant, quem, eodem depulso, Episcopum Carthaginiensem constituerent. nam hi quidem multa in Primiano reprehendebant, quae deinde in ejus damnatione protulerunt; sed novissimum maxime factum insectabantur, accusantes, quod recens ordinatus Presbyteros Ecclesiae suae ad conjurationem impiae conspirationis impellens, hoc ab eis velut precario jure postulasset, *ut ad damnandos quatuor Diaconos, viros egregios ac singularibus meritis adprobatos, Maximianum scilicet, Rogatianum, Donatum, itemque Salgamium incunctanter ei promitterent accomodare consensum* (5). tum quod, stupefactis illis atque silentibus, scelus ipse implevisset, et Maximianum Diaconum, ut ipsi ajebant, innocentem, sine caussa, sine accusatore, sine teste, absentem ac lecto cubantem damnare ausus esset. atque hic jam, quemadmodum Lucillam Donatus, cujus propinquus ferebatur, feminam et ipse fautricem invenerat, et a Primiani communione recesserat (6), ut se Primiani adversariis conjungeret. hi vero quum jam simul quadraginta tres numero essent, omnes Episcopi, unum denique in locum die condicta convenere, ut de Primiani caussa cognoscerent. nam eos

(1) Reines. *Synt. Inscr. p. 1021. n. 16.*
(2) *Cod. Theod. lib. xv. Tit. xIIII. L. 9.*
(3) *ibid. lib. xII. Tit. I. L. 133.*
(4) *ibid. lib. vIIII. Tit. vII. L. 9.*
(5) Aug. *in ps. xxxvI. serm. II. n. 20.*
(6) *idem epist. 43. c. 9. n. 26.*

singulos Primianus contemnens rejecerat, et custodibus ad aedes sacras appositis, plebe etiam in eos concitata, a sacris mysteriis excluserat (7). vocatus igitur est ad conventum illum Primianus per legatos, quos semel iterumque ac tertio male habitos rejecit, spreta inimicorum auctoritate, quos in se conspirasse intelligebat (8). quum non adesset, caussam illi praetexentes Ecclesiae suae, cui consulere deberent, reum quidem fecerunt, sed accusatum compereudinarunt, *nondum*, inquit Augustinus, *audentes ultimum praecipitare judicium, sed quodam praejudicio consulentes, ut ei, si caussae suae fideret, sequenti celebriori Concilio respondendi seseque purgandi relinqueretur locus* (9).

III. Nec diu res dilata. aliis jam Episcopis ad Maximiani Diaconi factionem accedentibus, Concilium indictum, quod Cabarsussi in provincia Byzacena celebraretur VIII. kal. Iulias. centum amplius Episcopi eo convenisse dicuntur. sed Primianus ne illuc quidem sibi accedendum putavit. itaque illi necessario sine ulla suspensione sententiae damnandum esse censuerunt, eumque pontificatu excidisse pronunciarunt. ipsam autem Concilii sententiam litteris ad omnes Africae Episcopos missis vulgavere, quas nobis Augustinus magna ex parte servavit. in his multa de judicii sui ratione praefati, sic demum sententiam referunt (10): *Decrevimus omnes Sacerdotes Dei, praesente Spiritu sancto, hunc eundem Primianum, primo quod super vivos Episcopos alios subrogarit, quod incestos cum sanctorum communione miscuerit, quod Presbyteros ad conjurationem ineundam constringere pertentarit, quod Fortunatum Presbyterum in cloacam fecerit mitti, quum aegrotantibus baptismo succurrisset: quod communionem Demetrio Presbytero pernegarit, ut cogeret filium abdicare; quod idem Presbyter objurgatus sit, quod Episcopos hospitio suscepisset: quod supradictus Primianus multitudinem miserit, quae Christianorum everteret; quod obsessi sint Episcopi simul et Clerici, et postea ab ejus satellitibus lapidati: quod in Basilica caesi sint seniores, quod indigne ferrent ad communionem Claudianistas admitti; quod innocentes Clericos putaverit esse condemnandos: quod se nobis audiendum noluerit exhibere, quum Basilicarum fores ne ingrederemur, multitudine et officio intercluserit; quod legatos a nobis ad se missos injuriose rejecerit, quod loca multa vi primo, dehinc auctoritate judiciaria usurpaverit, praeter alia illicita ejus admissa, quae prae honestate stili nostri siluimus, a Sacerdotali choro perpetuo esse damnatum.* post haec totam Ecclesiam admonebant, ut omnes Primiani communionem aversarentur, addebantque poenam, ut qui ab eo ante diem VIII. kal. Ian. sive intra sextum mensem non recessissent, pari sententia constringerentur: quam subscriptionibus quoque firmabant, agmen ducente Victorino Munatianensi, qui senior habitus videtur ac Primas provinciae Byzacenae.

(7) *idem in ps. xxxvI. ibid. n. 19. et 20.*
(8) *idem in Cresc. lib. IIII. c. 7.*
(9) *idem ibid. c. 7. n. 8.*
(10) *in ps. xxxvI. ibid. n. 20.*

III. Iam Primiano damnato, actum Cabarsossi est de successore illi dando, dignusque visus, qui ejus loco constitueretur ipse Diaconus Maximianus dissidii istius auctor, a quo et nomen factio accepit (11). hanc vero provinciam sibi suscepere Episcopi e toto coetu duodecim, et Carthaginem profecti, Clero praesente, Maximiani consecrationem peregerunt: quorum primus erat Victorianus Carcabiae in provincia Byzacena Episcopus, unde plerique Maximianistarum fuere; quamquam et e Tripolitana quidam et e Numidia, atque e Proconsulari non ita pauci numerabantur. exinde Maximianistae nova Africae secta exstitere, iique Donati illius primi, qui schisma induxit, potissimi imitatores habiti sunt. nam baptismum in primis iterare instituerant: quos propterea Augustinus vocat *extra Primianum Baptizatores, post Primianum Rebaptizatores* (12). tum eodem modo a Primiano secesserant, quemadmodum Donatistae primi a Caeciliano. ac *propterea*, ajebat Augustinus (13), *se et veriores Donatistis dicunt Maximianistae, quia revera facta majorum suorum ipsi imitati sunt:* nisi quod mansuetiores eosdem fuisse, nec se aliorum caedibus et sanguine contaminasse idem affirmat (14), ac multa potius a Primianistis perpessos esse, quemadmodum infra ostendemus. nam horum secta permansit cum duce suo, numero etiam major, et potentia odiisque violentior, nec longo post tempore de adversariis triumphavit.

V. Enimvero in tantis illis Donatistarum turbis, quum otio et tranquillitate Catholici Episcopi ad res Ecclesiae pertractandas maxime egerent, minime idonea parumque tuta Carthago visa est, ut ibi Concilium celebraretur. itaque Aurelius Episcopus, qui destinatam synodum differre nollet, eam Hipponem Regium in Numidiam vocavit: Ecclesia interea Presbyteris suis, opinor, et Fortunato fratri commendata, quem dudum inter Diaconos adlegerat. convenere autem VIII. idus Octobres (15) frequentia quam maxima, et ex omnibus totius Africae provinciis; fuitque id Concilium ceterorum veluti exemplar, cujus canones quae consequutae sunt synodi pleraeque commemorant, ac servandos proponunt: ut dolendum plane sit, Acta ejus integra ad aetatem usque nostram non pervenisse. secretarium Basilicae Pacis, cujus apud Augustinum quoque mentio fit (16), Patres accepit, quos inter Augustinus nondum Episcopus non modo adfuit, sed etiam disserere jussus est (17). disputavit autem *de fide et symbolo, Quam*, inquit, *disputationem, nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, studiosissime instantibus in librum contuli.*

VI. Quot tum canones et quo ordine sanciti fuerint, minime exploratum est. quippe non unum sub Aurelio Carthaginiensi Concilium Hippone celebratum est (18), et multi admodum canones Hipponensi Concilio tribuuntur, quos diversis temporibus conditos esse veri omnino simile videtur.

(11) Aug. *contra Cresc. lib. III. c.* 13.
(12) *epist.* 53. *c.* 3. *n.* 6.
(13) *in ps. XXXVI. serm. II. n.* 19.
(14) *contra epist. Parm. lib. II. c.* 3.
(15) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 882.
(16) *epist.* 213. *n.* 1.
(17) *Retract. lib. I. c.* 17.
(18) apud Hard. *ibid. p.* 953.

quia tamen primo huic novem potissimum adsignantur, de iis hic dicemus: reliquos attingere licebit, quum de iis Conciliis agendum erit, in quibus Canones Hipponenses nova auctoritate confirmati receptique sunt. primus autem cietur, quo praescriptum est (19), *Vt a Sede Carthaginiensi de die sancto Paschae diversarum provinciarum primae Sedis Episcopi litteris informentur.* forte enim acciderat, ut Sitifi ea sollemnia die obirent non suo: eaque caussa fuit, ut Caecilianus et Theodorus Legati Mauretaniae Caesariensis decretum ejusmodi postularent. alter est, quo jus datum Episcopis provinciae Sitifensis, ut Primatem ipsa quoque, ut ceterae, habere posset; ea tamen lege, ne quispiam sine Ecclesiae Carthaginiensis consensu renunciaretur. nec ipse Megalius Calamensis, qui tum Primas erat Numidiae, in qua Episcopi Sitifenses censebantur, illam synodi indulgentiam aegre tulit: nam sententiam rogatus respondit (20): *Ad compendium venit ista provisio, ut et voluntatibus satisfiat, et se provinciae teneant: responsuris tamen primae Sedis Episcopis cunctarum provinciarum ad Ecclesiam Carthaginiensem, in quocumque usus exegerit.* tum et Primatibus Numidiae et Mauretaniae sua mansit auctoritas, ut post Carthaginiensem primi essent, et primi in Conciliis sederent, quod dignitati et vetustati provinciarum debebatur. nemini tamen e Primatibus illis Pallii insigne tum fuisse constat: nisi forte ipsi eorum Exarcho Carthaginiensi Episcopo: de quo postea Leo VIIII. pronunciavit (21), *Solus in Africa Pallium ab Apostolica Sede habere solet.* quamquam hoc ipso honore alii etiam maximarum Ecclesiarum Antistites caruerunt. tertius jam Canon habetur, quo nempe cautum est, ne Presbyteri, Diaconi vel ceteri inferiores Clerici, quo Episcoporum suorum animadversioni se subducerent, ad transmarina judicia provocarent. praescripsere enim Patres (22), ut si de judiciis Episcoporum suorum quaesti fuissent, a vicinis Episcopis audirentur; sin ab his quoque sibi provocandum ducerent, caussam suam ad Primates suarum provinciarum deferrent, aut ad universale Concilium: et additum legitur, *Sicut et de Episcopis saepe constitutum est:* quae tamen verba in Canone CXXV. Codicis Africani, qui cetera similis, desiderantur: qua de re alibi agendum erit. clausula canonis est: *Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad communionem suscipiatur:* quibus Gratianus subnectit haec verba (23): *Nisi forte Romanam Sedem appellaverint:* minus tamen ad veritatem accommodate: *Trasmarina* enim Afris Episcopis Roma potissimum erat, et tribunal Pontificis maximi. sed male etiam argumentantur, qui eo Canone *Appellationes* sublatas contendunt. nam ea lex adversus Presbyteros et Clericos condita est: de quorum *Appellationibus* in Sardicensi Concilio non agitur: manebatque jus Episcopis, quos

(19) *ibid. et T. II. p.* 1080.

(20) *ibid. T. II. p.* 1081. v. Marca *de Primat. n.* 80.

(21) *in epist. ad Episc. Afric.* 4. *T. II. p.* 538.

(22) *ibid. T. I. p.* 878. *in Cod. Can. Eccl. Afr. n.* 28.

(23) *Decr. Causs.* 2. *quaest.* 6.

Primatis aut synodi sententia immerentes afflixisset, ut Parentis publici aequitatem experirentnr. qnin et idem juris vel Presbyteris concedere visi postea sunt, ad mitiora delapsi, simul atqne animi deferbuissent. iidem certe non multo post in Apiarii Presbyteri caussa ad Caelestinum scribentes, hoc tantum postnlare ausi sunt, indnlgentior ne esset: *Impendio*, inquiunt (24), *deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere.*

vII. Canone qnarto audacia eorum coërcita, qui post damnationem sententia contempta communionem praesnmpsissent. quinto autem concessum, *Vt accusatus vel accusator in eo loco, unde est ille, qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariae multitudinis, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi caussa finiatur.* sexto sancitum est, ut dies annui Concilii praefinitns esset x. kal. Sept. utique synodo, qnae modo in una, modo in altera provincia cogeretur, Episcopus Carthaginiensis praeesset. quamquam postea placuit, ut ne esset ultra fatigandis fratribns anniversaria necessitas, et ratio tantum haberetur caussae communis (25). septimus fuit, *Vt quicumque Clerici vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere; nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.* octavo praescriptnm, *Vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, et tempore Episcopatus vel Clericatus sui agros vel quaecumque praedia nomine suo comparant, tamquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur; nisi admoniti in Ecclesiam eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus vel successione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit. quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni, tamquam reprobi, judicentur* nono demum Canone decretum, *Vt Presbyteri non vendant rem Ecclesiae, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis: quomodo et Episcopis non licet vendere praedia Ecclesiae, ignorante Concilio vel Presbyteris suis.* et additum praeterea: *Non habente ergo necessitatem, nec Episcopo liceat matricis Ecclesiae rem tituli sui usurpare.* haec vero vel sola praeclaram nobis imaginem exhibent singularis abstinentiae, quam Ecclesia Africana id temporis profitebatur: nec minus severitatem jndiciorum repraesentant, ac summam Episcoporum cnram ac vigilantiam, ne legibus neglectis detrimenti quidquam Ecclesia caperet.

vIII. Ad hunc item annum iter pertinet ab Alypio nondum Episcopo in Palaestinam susceptum, ubi Hieronymum vidit, et mnlta cum eo de Angustino loquutus est: nnde ortum amicitia habuit, quae inter utrumque fuit (26), et mutuis litterarnm officiis adolevit. ipse antem Augustinus

(24) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 947.
(25) *ibid. p.* 919. *in Cod. Can. Eccl. Afr. n.* 95.
(26) *epist.* 28. *n.* 1. v. Boll. *T. ul. Aug. p.* 206.

id temporis non modo in epistolis scribendis multam operam posuit, sed libros etiam de more confecit aliquot, quibus divinas in primis litteras explanaret. ex eo numero sunt libri duo *de sermone Domini in monte*, in quorum altero significans (27), plurimos in Orientalibus partibus non quotidie coenae Dominicae communicare, hanc in Africa consuetudinem quotidianam fuisse non obscure indicavit. Manichaeis porro silentibus, Donatistas aggressus est, quorum Hippone et in reliqua Numidia ingens numerus erat. contra hos primum opus ejus fuit cantilena, quam in usum plebis composuit, et *Psalmum Abecedarium* appellavit: nam ordinem litterarum sequutus, litteram unam singularum partium fecit initium, ut ille ordo discentium memoriam adjuvaret, haberetque ipsa plebecula in promptu quae utiliter Donatistis occineret. tum epistolam quamdam a Donato Carthaginiensi relictam, in qua contendebat, baptismum extra sectam suam non posse conferri, peculiari opere refutavit (28), quod tamen intercidit.

(27) *serm. 1I. c. 7. n. 26.*

(28) *Retract. lib. I. c. 21.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXIIII.



Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM inierunt Imp. Fl. Arcadius 1II. Imp. Fl. Honorius iterum. at Proconsul in Africam missus Herodes, ad quem data hoc anno est lex quinta *de Censitoribus*, xvI. kal. Martias. hoc autem tempore Theodosius, caelesti ope multis precibus implorata, bellum in Eugenium tyrannum quam diligentissime apparabat, auxiliaribus copiis undique accitis, et optimo quoque duce delecto, ut cum iis belli curas partiretur. at Gildo Magister utriusque militiae per Africam, incertus quem exitum expeditio illa habitura esset, et jam cupidus rerum novarum, neque militem Theodosio neque classem submisit (1). adfuit tamen Augusto Deus optimus maximus praesentissimo auxilio, et intra annum Eugenius victus necatusque est, salvo Imperio, quod filiis suis firmatum auctumque transmisit.

1I. Interea Primianus injurias suas ulturus, in Numidiam perrexit, ut cum Donatistis factionis suae perniciem Maximiano et toti sectae ejus moliretur. multum enim etiamtum numero pollebat, ac spes erat, si omnes in Concilium convenissent, fore, ut Maximianus multo pluribus sententiis damnaretur, quam quibus ipse a Maximianistis oppressus fuerat. urbs Bagai delecta, quo fautores suos congregaret: qui eo se contulerunt numero trecenti et decem Episcopi (2); singuli utique Donatistae, nec tamen universi, qui sub eo nomine censebantur: quippe e Maximianistis, qui in Concilio Cabarsussitano amplius centum fuerant, nemo in conventu Bagaitano adfuit. tantum vetus factio creverat, et Episcopos suos ad li-

(1) Claud. *de B. Gild. carm. xr. v. 246.*

(2) Aug. *in Parm. lib. 1Il. c. 4. n. 21.*

bidinem multiplicaverat! enimvero tot illi Primianistae VIII. kal. Majas praesto omnes fuerunt, quibus coram, nemine ex adversariis praesente, facile omnino Primiano fuit se purgare, quum eos judices haberet, quos sibi ipse constituisset (3). brevi igitur judicium peractum, et rei absentes damnati, Primiano ipso cum aliis sententiam dicente, quippe qui Maximianistarum judicium irritum duxerat, et suorum auctoritate fretus, nunquam se honore abdicaverat (4). formulam, ut ferebatur, composuerat Emeritus Caesareensis (5), quam exquisitissimis verbis, sed immane quiddam et plane Africanum sonantibus, quod ipsum in illo odiorum aestu mirifice placuit. *Quum*, inquiunt (6), *omnipotentis Dei et Christi ejus voluntate in Ecclesia Bagajensi Concilium gereremus, Gamalius, Primianus, Pontius, Secundianus, Ianuarius, Saturninus, Felix, Pegasius, Rufinus, Fortunius, Crispinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus, et ceteri numero trecenti et decem: placuit Spiritui sancto, qui in nobis est, pacem firmare perpetuam, et schismata resecare sacrilega.* post haec, quum multa in Maximianistas horrenda vomuissent, ipsum eorum ducem sic notarunt: *Maximianum fidei aemulum, veritatis adulterum, Ecclesiae matris inimicum, Dathan, Chore et Abiron ministrum, de pacis gremio sententiae fulmen excussit: et quod adhuc eum dehiscens terra non absorbuit, ad majus supplicium superis reservavit. raptus enim poenam suam compendio lucraverat funeris; usuras nunc graviores colligit foenoris, quum mortuis interest vivus.* subinde contra fautores ejus incitati, *Nec solum*, inquiunt, *hunc sceleris sui mors justa condemnat: trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegii.* ac post alia hujusmodi, Episcopos duodecim, qui Maximiani consecrationem peregerant, et qui adstiterant Carthaginienses Clericos, sic damnant: *Famosi ergo criminis reos, Victorianum Carcabianensem, Martianum Sullectinum, Bejanum Bajanensem, Salvium Ausafensem, Theodorum Usulensem, Donatum Sabratensem, Miggenem Elephantariensem, Praetextatum Assuritanum, Salvium Membressitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Mustitanum et Martinlem Pertusensem, qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta foeculentia glutinarunt: sed et Clericos aliquando Ecclesiae Carthaginis, qui dum facinori intersunt illicito, incestui praebuerunt lenocinium, Dei praesidentis arbitrio, universalis Concilii ore veridico damnatos esse cognoscite.* atque hos quidem jam tum ab Ecclesia sua praecisos abjectosque haberi voluerunt. de ceteris mitius censuere, ut iis postliminium esset: *Eos autem*, inquiunt, *quos sacrilegi surculi non polluere plantaria, hoc est qui a Maximiani capite proprias manus verecundo fidei pudore retraxerunt, ad matrem Ecclesium redire permisimus. ac ne angustum redeuntibus tempus spem salutis arctatae diei pressura subducat; agnoscentibus quibuslibet longe ma-*

(3) *idem in ps. xxxvI. serm. II. n. 22.*
(4) *idem contra Cresc. lib. III. c. 7. n. 8.*
(5) *idem de gest. cum Emer. n. 10.*
(6) *idem contra Cresc. lib. III. c. 53. n. 59.* v. Noris. *H. Don. P. II. p. 399.*

nentibus praecedentibus statutis, universis usque ad diem octavum kalendarum Januarii proxime futurarum, agnitionis pandimus januam, ut integri honoris ac fidei regressi habeant fundamenta: quam si quisquam ingredi nequiverit pigra segnitie; sciat sibi ad omnes veniales aditus sua voluntate viam esse subductam. manebit enim circa eos dicta sententia, et post praestitutum diem redeuntibus fixa poenitentia.

II. Hic Concilii Bagajensis exitus fuit, cujus sententia animis concidere Maximianistae, vim factionis et numerum adversariorum metuentes. itaque *Multi*, inquit Augustinus (7), *in melius correcti ad trecentorum Concilium transierunt, magis eligentes contra suas proprias venire sententias, quam contra pacem unitatis, etiam in parte Donati.* at qui consilium mutare noluerunt, eas constantiae suae poenas dedere, quae Martyres eos effecissent, nisi bona caussa defuisset. quae olim Augustinus Cresconio objiciens sic commemorabat (8): *Dico, Episcopos vestros et Clericos vestros Maximianensibus, in eis sedibus manentibus, in quibus antiquitus fuerant ordinati, fecisse persequutiones, apud Proconsules accusasse, impetrasse jussiones, eisdemque jussionibus exequendis Officiorum instantiam et civitatum auxilia meruisse, ut illi, qui jam fuerant Bagajensis sententiae severitate damnati, et a vestrae communionis corpore, ne per cuncta membra pestilens virus irreperet, compendioso vulnere praecisi, et nullum jam vobis facientes suae communionis morbida contagione periculum, quum praecisis pariter plebibus suis propria conventicula frequentabant, loca et Basilicas, quas non invaserant, cum populis sibi cohaerentibus perpetua possessione retinebant, terrerentur, proturbarentur, expellerentur, retinentes exhiberentur.* verum de his singillatim per annos subsequentes agendum est.

III. Porro Donatistis inter se digladiantibus, satis quietis fuit Catholicis Episcopis, ut res Ecclesiae curare possent. indictam sane synodum fuisse constat (9), quae Adrumeti in provincia Byzacena celebraretur; quamquam Acta ejus non habemus, nec aliud notum est, quam multos plane Episcopos illuc convenisse, et aliarum quoque provinciarum legationibus esse nobilitatam. nam Aurelius hoc anno Concilium VI. kal. Iulias Carthagine habuit hac maxime de caussa, ut ex Episcopis provinciae suae legerentur, qui ad eam synodum Concilii Proconsularis nomine legati pergerent (10). de reliquis, quae ibidem pertractata esse credibile est, nihil accepimus. sed illud adnotum est, prodiisse interea Augustini opusculum egregium contra Adimanti disputationes, qui fuerat Manichaei discipulus, et scripta Evangelica et Apostolica Legi et Prophetis contraria esse contenderat.

V. Thagasta hoc eodem anno Alypium sanctissimum doctissimumque virum summo Dei beneficio Episcopum nacta est: quae jamdiu excusso Donatistarum jugo, religionis pietatisque cultrix, longam eo auctore ac

(7) *contra Parm. lib. I. c. 4. n. 9.*
(8) *lib. III. c. 47. n. 57.*
(9) apud Hard. *Conc. T. I. p. 882.*
(10) *ibid. ex Cod. Can. Eccl. Afr.*

defensore pacem agitavit, claruitque sanctorum virorum virtutibus, qui vitam illic in monasterio sub tanto magistro traducebant. itaque Paullinus Nolanus hoc anno ad Alypium scribens (11), *Benedictos*, inquit, *sanctitatis tuae comites et aemulatores, in Domino fratres, si dignantur, nostros tam in Ecclesiis, quam in monasteriis, Carthagini, Thagastae, Hippone Regio, et totis parochiis tuis, atque omnibus cognitis tibi per Africam locis, Domino Catholice servientes, multo affectu et obsequio salutari rogamus.* at Augustinus, qui et ipse a Paullino litteras accepit officii et amoris plenas (12), Hipponensem Ecclesiam Presbyter etiamtum pro viribus juvabat. *Et docebat*, inquit Possidius (13), *ac praedicabat ille privatim et publice, in domo et in Ecclesia salutis verbum cum omni fiducia adversus Africanas haereses, maximeque contra Donatistas, Manichaeos et Paganos libris confectis et repentinis sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis et collaetantibus, et hoc ipsum ubi poterant non tacentibus, sed diffamantibus. sicque adjuvante Domino levare in Africa Ecclesia Catholica exorsa est caput, quae multa tempore illic convalescentibus haereticis, praecipueque rebaptizante Donati parte majorem multitudinem Afrorum, seducta et oppressa jacebat. et hos ejus libros sive tractatus mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos rationis copia atque auctoritate sanctarum scripturarum ipsi quoque haeretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant: et quisquis, ut voluit et potuit, notarios adhibens etiam ea, quae dicebantur, excepta descripsit.* his vero Augustini laboribus ea quoque cura accessit, ut Episcopos Donatistas procul positos epistolis ad eos missis ab errore revocare conaretur. ex eo numero fuit Maximinus Episcopus Castelli Sinitensis in vicinia Coloniae Hipponensis (14), a quo Diaconum Mutugenensem Catholicum iterato baptismo ablutum esse audierat, ac subinde Diaconum inter Donatistas factum, et Ecclesiae Hipponensi subductum, ad quam pertinebat. eum Augustinus humanissime admonens, et tantum de eo crimen vix se credere professus, ad bonam frugem paullatim reduxit, et Catholicum denique reddidit. quem, quia fortasse honore suo laetum retineri putabat, salutari consilio expedire atque excitare sic nitebatur (15): *Si autem non rebaptizas, arripe libertatem Christianam, frater Maximine, arripe, quaeso te: non cujusquam hominis, in contemplatione Christi, aut reprehensionem verearis, aut exhorrens potestatem. transit honor hujus saeculi, transit ambitio. in futuro Christi judicio nec absidae gradatae, nec cathedrae velatae, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi coeperint accusare conscientiae, et conscientiarum arbiter judicare.* ceterum Maximino ad Ecclesiam Catholicam venienti honor et gradus Pontificalis servatus est (16).

(11) apud Aug. *epist.* 24. *n.* 6.
(12) *ibid. epist.* 25.
(13) *in vit. c.* 7.
(14) Aug. *epist.* 23.
(15) *ibid. n.* 3.
(16) Aug. *de Civ. D. lib.* XXII. *c.* 8. *n.* 6.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXV.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processere, Romae ambo, Sex. Anicius Hermogenianus Olybrius, Sex. Anicius Probinus fratres. Africa Proconsulem accepit Ennoium, qui et Seranus, Vicarium Hierium. fuit hic annus reipublicae plane luctuosus Theodosii Aug. morte, qui, quum iter Constantinopolim dirigeret, morbo correptus, xvI. kal. Februarias Mediolani decessit, anno imperii ejus xvI. exeunte. quis enim postea tanti Principis vel virtutem aequavit, vel gloriam? Africa exinde sub Honorio fuit, cui pater Occidentem adsignarat, Oriens Arcadio paruit: quamquam hoc adolescente, illo puero, hic Stiliconis, illic Rufini arbitrio administrari Imperium coepit: statimque apparuit, quantum respublica praesidium in Theodosio amisisset.

II. Saeviebat interea Primiani factio contra Maximianum, cui primum Basilica erepta et solo aequata (1), militum opera a magistratibus praebita: tum domus ipsa interclusa, *Exorcisterii Ecclesiastici* nomine (2); nam hanc caussam praetexuit Primianus, ut eam quoque, Legato Proconsulis favente, auferret. mox ad Herodem Proconsulem, cui nondum Ennojus successerat, vI. nonas Martias delata nomina Feliciani Mustitani et Praetextati Assuritani (3), qui cum reliquis decem Maximianum consecraverant, postulatumque, ut de Basilicis, quas non redderent, ejicerentur. eodem modo accusatus apud eundem est Salvius Membresitanus (4), a Restituto, quem Primianistae in ejus locum suffecerant, in judicium vocatus. sed tamen Ecclesias suas popularium studio diu omnes retinuerunt. post haec, quum jam dilationis tempus, quod in synodo Bagaitana praescriptum fuerat, exactum esset, et Maximianum tamen multi non minus, quam antea, sequerentur, ac Primiani communionem constantissime repudiarent; nullo exinde discrimine tota in omnes factio incubuit, eosque, quoad potuit, vexavit ac perdidit. cujus furorem designans olim Augustinus, sic Crispinum Donatistarum Calamensium Episcopum urgebat (5): *Cur eosdem Maximianistas per judices ab eis Imperatoribus missos, quos per Evangelium genuit nostra communio, graviter insectati, de Basilicis, quas tenebant, in quibus eos invenit ipsa conscissio, et controversiarum strepitu et jussionum potentatu et auxiliorum impetu perturbastis? in qua conflictatione quae passi sint per loca singula, recentia rerum vestigia contestantur; quae jussa sint, chartae indicant; quae facta sint, terrae clamant.*

III. At dum haec a Donatistis patrabantur, Aurelius, vigilantissimus Ecclesiae Catholicae antistes, religione ac pietate Episcopis omnibus

(1) August. *epist.* 44. *n.* 7. *et contra Cresc. lib. III. c.* 46.
(2) Aug. *ibid. c.* 47.
(3) *idem contra epist. lib. III. c.* 55.
(4) *contra Cresc. lib. III. c.* 48.
(5) *epist.* 51. *n.* 3. v. *vol. I. in Salvio Membresit.*

praelucebat, et Carthaginienses suos ad majorum exempla imitanda excitabat. forte apud Mapalia in suburbio prope ipsum Cypriani Martyris sepulcrum in consuetudinem venerat, ut quotannis, redeunte festo, choreas populus duceret, et tota illa vicinia impudicis cantibus personaret. rem enim Augustinus in sermone, quem postea ibidem, quum Cypriani sollemnia agerentur, habuit, diserte exposuit (6): *Istum*, inquit, *tam sanctum locum, ubi jacet tam sancti Martyris corpus, sicut meminerunt multi, qui habent aetatem, locum, inquam, tam sanctum invaserat pestilentia et petulantia saltotorum. per totam noctem cantabantur hic nefaria, et cantantibus saltabatur.* non tulit haec Aurelius, atque ut perversum morem aboleret, pro illo otiosorum lasciivientium conventu sacras piorum Vigilias instituit. *Quando* inquit, *voluit Dominus, per sanctum fratrem nostrum Episcopum vestrum, ex quo hic coeperunt sanctae Vigiliae celebrari, illa pestis aliquantulum reluctata, postea cessit diligentiae, erubuit sapientiae.* orat vero ejusdem Aurelii mira quoque abstinentia, et rerum caducarum contemptor animus, nulli ut cupiditati obnoxius videretur. *Quam laudabile factum*, ait idem Augustinus (7), *sancti et venerandi Episcopi Aurelii Carthaginiensis, quomodo implevit omnibus, qui sciunt, os laudibus Dei! quidam quum filios non haberet neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiae. nati sunt illi filii, et reddidit Episcopus nec opinanti quae illi donaverat. in potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.*

IIII. Quo synodum Aurelius hoc anno vocaverit, quemadmodum in Concilio Hipponensi constitutum fuerat, ut quotannis cogeretur, litteris consignatum non reperio. illud tantum in comperto est, sub anni finem synodum Hyppone Regio celebratam esse, ut Augustinus Episcopus crearetur. quintus jam annus vertebat, ex quo Presbyter a Valerio factus fuerat. hic vero jam senio confectus, quum Hipponenses suos maximo amaret, plurimum laborabat, ne illis tantus vir eriperetur, et aliam Ecclesiam regendam acciperet: quod sane Hipponensibus permolestum atque gravissimum exstitisset. quam enim ille civium moribus conformandis idoneus esset, quantum prudentia et doctrina ad Ecclesiam administrandam tuendamque valeret, multa jamtum et maxima documenta dederat. neque enim in scribendo solum, sed etiam in agendo magnum se ac fortem ostenderat. et celebrabatur in primis quod paucos ante menses effecerat (8). nam quum Hippone vetus consuetudo esset, ut in Martyrum Natalibus epulum in ipsorum Basilicis daretur, et convivia comessationesque magno luxu agerentur, idque Augustino vehementer displiceret, et de eo more tollendo ad Aurelium etiam scripsisset; jam cohortando perorandoque impetraverat, ut ii ipsi, qui ejus consuetudinis retinendae studiosissimi erant, et honesto vocabulo *Laetitiam* appellabant,

(6) *serm.* 311. *c.* 4. *n.* 5.
(7) *serm.* 355. *c.* 4. *n.* 5.
(8) Aug. *epist.* 29. *n.* 2.

sponte desererent, et pro conviviis atque compotationibus sacrorum voluminum lectionem et psalmorum cantum praeoptarent. Valerius igitur, ut ipse Augustinum Hipponensibus traderet, et certum successorem haberet, antevertere statuit, eumque prius consecrandum curare, quam ipse ex hac vita decederet. nam quod octavo Concilii Nicaeni canone praescriptum fuerat, ne in una civitate duo Episcopi essent, id neque Valerius neque Augustinus neque ipse Aurelius norat. celato autem consilio suo, unum de hac re Aurelium consuluit, *Allegans*, inquit Possidius (9), *imbecillitatem corporis sui aetatisque gravitatem, et obsecrans, ut Hipponensi Ecclesiae ordinaretur Episcopus, quo suae Cathedrae non tam succederet, sed consacerdos accederet Augustinus.* enimvero pergratum id Aurelio accidisse brevi sensit, *et quae optavit*, inquit Possidius, *et rogavit satagens, rescripto impetravit.* unum restabat, ut Megalius Primas provinciae Numidiae Hipponem adduceretur, qui Augustini consecrationem ipse perageret. nec Valerio difficile fuit caussam illi afferre legitimam, ob quam ad Ecclesiam Hipponensem invisendam accederet. adfuit sane Megalius anno vertente, et alii cum eo Episcopi in Concilium convenerunt. ceterum ubi Valerius consilium suum ac simul Aurelii Carthaginiensis sententiam explicavit, non modo Augustinus ipse, qua erat modestia, repugnare plurimum coepit, sed Megalius quoque animo se alieno ab Augustino, eique subiratum ostendit: quod et in epistola quadam significaverat (10), convicio, ut apparet, calumniaque Donatistarum deceptus, qui eulogias panis simpliciter et hilariter datas ridiculo nomine venenosae turpitudinis ac furoris infamaverant, quasi amatoria maleficia mulieri praebuisset, qui haec ne adolescens quidem et voluptati deditus, ob insitum in ejus animo recti honestique amorem, admisisset. porro totus ille conventus pro Augustino stabat, et ejus offensionis caussam a Megalio prodi volebat. hic vero errorem suum facile agnovit, et Patribus urgentibus (11) sententiam correxit suam, venia a sancto Concilio implorata, quae illi ultro data est. Augustinum, qui honorem recusare pergebat, Cleri populique studia flexerunt; itaque, ut ait Possidius, auditis transmarinis et Africanis Ecclesiae exemplis, quae illi contra rei novitatem afferebantur, *compulsus atque coactus succubuit, et Episcopatus curam et majoris loci ordinationem suscepit.* quae ut peracta sunt, non modo Hipponenses summa laetitia affecerunt, sed iis etiam omnibus jocunda fuere, ad quos de his fama pervenit. Paullinus in primis in secessu illo Nolano exultavit, et incredibili gaudio perfusus, ad Romanianum litteras scripsit, quibus Ecclesiae Hipponensi gratularetur, et maturatum honorem Augustino laudi verteret. *Non autem*, ajebat (12), *tantum hoc scribimus gratulandum, quod Episcopatum Augustinus acceperit, sed quod hanc Dei curam meruerint Africanae Ecclesiae, ut verba caelestia Augustini ore perceperint, qui ad majorem*

(9) *in vita c.* 8.

(10) Aug. *contra litt. Petil. lib. II. c.* 17.

(11) *idem in Cresc. lib. III. c.* 64.

(12) apud Aug. *epist.* 32. *n.* 2.

Dominici muneris gratiam novo more provectus, ita consecratus est, ut non succederet in cathedra Episcopo, sed accederet. nam incolumi Valerio Hipponensis Ecclesiae Coepiscopus Augustinus est. et ille beatus senex, cui purissimam mentem nulla unquam liventis invidiae macula suffudit, dignos sui cordis pace nunc ab Altissimo fructus capit, ut quem successorem sacerdotii sui simpliciter optabat, hunc mereatur habere collegam.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXVI.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum Augusti susceperunt, Imp. Fl. Arcadius IIII. Imp. Fl. Honorius III. Proconsulem Africae fuisse Theodorum, Augustinus nos docet (1), qui sub eo etiam a Donatistis Primiani fautoribus actitatam tradit caussam Feliciani et Praetextati, qui nondum Maximianum deseruerant. *Producitur,* inquit, *iste conflictus, quantum ex Gestis Proconsularibus et Municipalibus indagare potuimus, usque ad Theodorum Proconsulem, hoc est usque ad anni alterius diem undecimum kalendas Ianuarii: quo die clerici et seniores agentes sub Rogato Episcopo, qui in locum damnati Praetextati Assuritani fuerat subrogatus, allegaverunt memorati Proconsulis* (Herodis) *jussionem.* dum autem Maximianistae partim accusationibus et judiciis, partim vi et armis exagitabantur, non ubique Catholici tuti fuerunt. coiverant enim rursus Circumcelliones, qui modum fere nesciebant, et quo eos impetus tulisset, irruentes, divina atque humana conculcabant. quid apud Hasnam agri Hipponensis vicum nuper ausi essent, Alypium certiorem faciebat Augustinus his verbis (2): *Apud Hasnam*, inquit, *ubi est Presbyter frater Argentius, Circumcelliones invadentes Basilicam nostram altare comminuerunt. caussa nunc agitur; quae ut pacate agatur, et ut Ecclesiam Catholicam decet, ad opprimendas linguas haereseos impacatae, multum vos petimus ut oretis.* scribebat haec anno superiore vertente, nec quid demum apud judices profecerit, novimus: nisi quod exploratum est, contra illas armatorum cohortes parum fere et magistratus et milites valuisse.

II. Quam hoc anno synodum Aurelius coegerit, quae decreta condiderit, quid in Ecclesia sua praeclarum gesserit, nullis consignatum litteris reperio. at scripsisse eum hoc anno ad Paullinum Nolanum, epistola hujus testatur, quam ad Romanianum misit (3). Ecclesia autem Vzalensis, Saturnino Episcopo amisso, successorem e schola Augustini adepta est insignem virum Evodium, quo item auctore Monasterium habere coepit (4).

(1) *contra Cresc. lib. III. c.* 56.
(2) *epist.* 29. *n.* 12.
(3) apud. Aug. *epist.* 32. *n.* 1.
(4) *de Mir. s. Steph. lib. I. c.* 8.

11I. Jam Hippone Augustinus plurimam in populo erudiendo operam ponebat, capiebatque ex eo labore fructus uberes atque diuturnos. forte acciderat quodam die, ut sermonem exorsus, argumentum, quod sibi pertractandum proposuerat, praeter morem relinqueret, et in alia delaberetur, ut Manichaeos potissimum perstringeret. id vero divino consilio factum, mox apparuit. nam *Ecce alia die vel post biduum*, inquit Possidius (5), *venit quidam Firmus nomine negotiator, et intra monasterium sedente sancto Augustino, nobis coram ad pedes ejus genibus provolutus sese jactavit, lacrimas fundens et rogans, ut pro suis delictis sacerdos cum sanctis Dominum precaretur, confitens, quod Manichaeorum sectam sequutus fuisset, et in ea quamplurimis annis vixisset, et propterea pecuniam multam ipsis Manichaeis, vel eis, quos dicunt Electos, incassum erogasset: ac se in Ecclesia, Dei misericordia, fuisse ejus tractatibus nuper correctum, atque Catholicum factum.* Donatistas vero, quos omnes ad Ecclesiam redire vehementer cupiebat, sibi quacumque ratione posset, conciliare nisus est: sed in eo potissimum industriam collocavit suam, ut Proculejanum Episcopum eorum ad disputationem adliceret (6). quod tamen ille neque Augustini litteris delinitus, neque conditionibus aequissimis invitatus sibi tentandum duxit. atque has inter curas nullus Augustino dies a scriptione vacuus praeteribat, crescebatque praeclarorum operum numerus, quae a multis descripta, non modo per Africam, sed trans mare etiam vulgabantur, et a doctis quibusque cupidissime legebantur. epistolis simul eorum, qui eum consulebant, sic respondebat, ut eorum caussa justum quandoque opus conficeret, et pro epistola volumen redderet. cujusmodi fuit quod hoc anno ad Casulanum Presbyterum misit, qui ab eo requisierat, utrum liceret sabbato jejunare; ac libellum, quem Roma acceperat, inepti cujusdam scriptoris, qui eos damnabat, qui Romanam consuetudinem non sequerentur, ad eum perferendum curaverat. fusius enim respondit (7), et nec Romanos jure reprehendi posse, quod jejunium servarent; nec ceteros accusari, quod sobrie modesteque prandereut, multis ostendit: Ambrosianam sequutus regulam, quam Mediolani didicerat. *In his enim rebus*, inquit, *de quibus nihil certi statuit scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.* quin ipsius Ambrosii responsum in fine retulit, quod ei matris caussa interroganti reddiderat: *Quando hic sum*, ajebat Ambrosius, *non jejuno sabbato; quando Romae sum, jejuno sabbato: et ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.* addidit postremo Augustinus, quid in Africa praestandum videretur. *Quoniam*, inquit, *contingit maxime in Africa, ut una Ecclesia vel unius regionis Ecclesiae alios habeant sabbato prandentes, alios jejunantes; mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda*

(5) *in vita Aug. c.* 15.
(6) *epist.* 33.
(7) *epist.* 36.

t

commissa est. quopropter si consilio meo, praesertim quia in hac caussa plus forte, quom satis fuit, te petente atque urgente loquutus sum, libenter adquiescis; Episcopo tuo in hac re noli resistere, et quod facit ipse, sine ullo scrupulo et disceptatione sectare.

IIII. His vero implicatum officiis et maximis occupationibus distentum quaedam etiam acerbitates hoc anno Augustinum exercuerunt, quae voluptatem ex parte minuerent, quae in eum ex uberrimis, quos capiebat, fructibus redundabat. nam Primus quidam e Clero ejus Hypodiaconus (8), qui, postquam saepe admonitus fuisset, feminarum sanctimonialium familiaritatem non vitaverat, eoque nomine loco motus fuerat, disciplinae impatiens ad Donatistas transfugit, et sociis duabus abductis, Baptismum apud eos impie recepit. de quo Augustinus ad Eusebium virum inter Donatistas primarium scribens ajebat: *Et nunc cum gregibus Circumcellionum inter vagabundos greges feminarum, quae propterea maritos habere noluerunt, ne habeant disciplinam, in detestabilis vinolentiae bacchationibus superbus exultat, gaudens laetissimam sibi apertam esse licentiam malae conversationis, unde in Cotholica prohibebatur.* paullo post alia luctus caussa supervenit, Valerii Episcopi mors, quem in ipso pontificatu tamquam parentem amabat ac verebatur. sed ille quidem jam voti compos, quod tantum successorem relinqueret (9), placidissimo exitu ad caelestem vitam laetus migraverat, et apud Deum Augustino suo fausta omnia precabatur.

V. Denique non praetermittam hoc loco, quod circa haec tempora contigisse apparet, lepidum plane unum atque insigne inter divina miracula, quae Augustinus omnia ad religionis incrementum vulganda existimabat: unde etiam gloria aucta tunc fuit Viginti Martyrum, quos universa Hipponensium civitas impense colebat. neque vero id melius, quam Augustini verbis enarrari potest. *Erat*, inquit (10), *quidam senex Florentius Hipponensis noster, homo religiosus et pauper, sartoris se arte pascebat, cosulam perdiderat, et unde sibi emeret, non habebat. ad Viginti Martyres, quorum Memoria apud nos est celeberrima, clara voce ut vestiretur, oravit. audierunt eum adolescentes, qui forte aderant, irrisores; eumque discedentem exagitantes prosequebantur, quasi a Martyribus quinquagenos folles, unde vestimentum emeret, petivisset. at ille tacitus ambulans, ejectum grandem piscem palpitantem vidit in littore, eumque illis faventibus atque adjuvantibus apprehendit, et cuidam coquo Catoso nomine, bene Christiano, ad coquinam conditariam, indicans quid gestum sit, trecentis follibus vendidit, lanam comparare inde disponens, ut uxor ejus quomodo posset, ei quo indueretur, efficeret. sed coquus concidens piscem, anulum aureum in ventriculo ejus invenit, moxque miseratione flexus et religione perterritus homini eum reddidit dicens, ecce quomodo Viginti Martyres te vestierunt.*

(8) *epist.* 35. *n.* 2.
(9) Aug. *epist.* 29. *n.* 7.
(10) *idem de Civ. Dei lib. xxII. c.* 8. *n.* 9.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXVII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuerunt Fl. Caesarius in Oriente, Pontius Atticus in Occidente. Africa Proconsulem habuit Probinum. ceterum illic omnia Gildonis Magistri utriusque militiae arbitrio geri jam caeperant. frater hic erat Firmi tyranni, quem Theodosius Comes anno CCCLXXIII. Africae dominantem oppresserat: nec tum ille pro fratre, sed pro Imperio Romano arma sumpserat, ac saepius deinde operam suam magno Theodosio probaverat, qui eum propterea exercitibus Africanis praefecerat, filiamque ejus Salvinam (1) Nebridio sororis Augustae filio in matrimonium collocarat. verum Gildo neque religioni Christianae addictus erat, et iis vivebat moribus, unde fidem ejus multi suspectam invisamque judicarent. nec leve ille documentum dederat bello Eugeniano, quum subsidia quaerenti Theodosio, nec militem ex Africa nec classem submiserat. hoc autem anno perfidiam magis suam manifestavit, Honorio contempto, quem Principem revereri debebat; ac ne tyrannus haberetur, defectione ad Arcadium simulata, quem longe agentem non minus adspernabatur. nam revera tyranni more dominatum occupavit, et annonam in urbem convehi vetuit, quo populum Romanum fame excruciaret. quum autem veterem superstitionem sequeretur, Donatistis tamen favit impense, tam contra Maximianistas, quam contra Catholicos; cui jamdiu tamquam satelles erat Optatus ille Episcopus Thamugadensis, qui ob initam apud eum gratiam Gildonianus appellabatur, homo nequam, avarus, facinorosus: ob quem, teste Augustino, decennalis totius Africae gemitus fuit (2). totidem enim annos Gildo utriusque militiae magisterium in Africa obtinuit: sub quo Optatus impune, quos voluit, ad libidinem suam spoliavit, vexavit, exterminavit.

II. Hujus ejusdem opera hoc anno Donatistae magnum Maximianistis vulnus imposuere. minis enim et terrore effecerunt, ut duo eorum antesignani, quos in Concilio Bagaiano damnaverant, Felicianus Mustitanus et Praetextatus Assuritanus ad Primiani communionem redirent. de quibus Augustinus cum Cresconio agens, *Non sane*, inquit (3), *sine fructu schismaticorum vestrorum persequuti estis errorem: nam Felicianum et Praetextatum eodem conflictu et molestiis correxistis: et Optatum quidem Gildonianum graviora exitia comminantem Mustitani et Assuritani sicut ab eis quoque praesens audivi, timuisse dicuntur, et suos Episcopos coegisse, ut ad Primiani communionem reverterentur.* quod mirum autem et contra doctrinam eorum erat, *Recepti*, inquit, *sunt, sicut fuerant, honorati, nulla poenitentiae gravioris humiliatione vel expiati vel degradati, nec ipsi nec illi, cum quibus recepti sunt, quos secum*

(1) Hieron. *epist.* 79.
(2) *contra litt. Petil. lib. I. c.* 24.
(3) *lib. III. c.* 60. *n.* 66.

separaverant contra vos, baptizaverant extra vos, quos rebaptizaverant fortasse post vos. quo facto Donatistae vineta, ut ajunt, sua ipsi ceciderunt, nec rationem jam ullam caussamque veteri sectae reliquam fecere, quam ad schismatis primi defensionem possent laudemque praetexere. secessionem illi suam antea tuebantur, quod Caecilianus in Concilium septuaginta Episcoporum vocatus prodire noluisset: at nihil jam hoc valebat, quum dux eorum Primianus et Carthaginiensem et Cabarsussitanam Maximianistarum synodum contempsisset. ajebant praeterea, ante Carthagine damnatum fuisse Caecilianum, quam Romae et in Arelatensi Concilio absolveretur. atqui Primianus quoque ante absolutionem Bagaitanam et Carthagine et Cabarsussi fuerat condemnatus. Catholicos accusabant, quod patrocinium Principum opemque implorassent: at ipsi et Firmi et Gildonis tyrannorum armis atque omnium magistratuum auctoritate ac potestate Maximianistas insectati debellaverant. ultimum erat, quo dissidium suum commendabant, tutela innocentiae suae; quod insontes sceleratorum communione pollui dicerent, et ipsum horum Baptisma irritum vanumque esse affirmarent. denique hoc etiam perfugium amiserunt, postquam Felicianum et Praetextatum, quos ipsi severissime damnassent, ultro receperunt, et sine ulla poena in integrum, Baptismo eorum probato, restituerunt. quae omnia Augustinus iis subinde objecit passim, atque ut refutarent, si possent, quam saepissime hortatus est. quin et populum suum quandoque adloquens, *Vide*, inquit (4), *quomodo illis Deus reddidit, quod de Caeciliano dixerunt: mira similitudo. voluit Deus post tot annos revolvere illis in faciem quod gestum est, ut omnino unde dissimulent, et qua effugiant, non inveniant. oblitos se dicerent quae gesta sunt ante: non eos Deus sinit oblivisci: atque utinam valeat eis ad salutem: nam misericordia sua fecit hoc Deus, si considerent, quid sit factum.* et quae deinceps.

III. Interea Primianus quidem, Maximianistis ad paucos redactis, sibi quodammodo triumphasse videbatur: at Episcopi Catholici se potius vicisse intelligebant, ac fore etiam sperabant, ut magnos inde fructus Catholica Ecclesia quandoque caperet. idcirco etiam populorum erudiendorum studium apud eos crescebat, et Aurelius ipse Carthaginiensis, exemplum Valerii Hipponensis sequutus, qui Augustinum Presbyterum contra veterem consuetudinem sermones ad populum habere jusserat, Presbyteris aeque suis hoc munus mandavit, factum Augustino et Alypio comprobantibus (5), qui ei per epistolam gratulati sunt. nec tam bonis Episcopis levis accessio facta est, Possidio Augustini discipulo post Megalii mortem Calamensibus praeposito, et Fortunato postea in Profuturi locum Cirtensibus dato, qui ambo virtutis studio et doctrinae laude claruerunt. plurimum autem ad Episcopos omnes ad optima quaeque excitandos Concilia valuere: quorum convocatione Aurelius id est adsequutus, ut Ecclesiae omnes

(4) *in ps. xxxvI. serm. II. n.* 19. (5) apud Aug. *epist.* 41.

Catholicae maximis virtutibus efflorescerent, et frequenti Donatistarum resipiscentium adjectione mirifice augerentur.

IIII. Porro non unum hoc anno Concilium Carthagine actum est. convenere primum Episcopi provinciae Proconsularis VI. kal. Iulias. sed parum liquet, quibus illi de rebus acturi convenerint. unus enim canon nunc superest, quem in Codice Ecclesiae Africanae legimus (6), isque perbrevis in haec verba: *Placuit, ut nullus Episcoporum naviget sine formata Primatis.* quia tamen hunc canonem inter eos quoque relatum videmus, qui deinde in Concilio magno sanciti sunt, credibile est, plerosque etiam ex iis in prima hujus anni synodo conscriptos esse, quos subinde Patrum, qui ex aliis provinciis advenere, auctoritas comprobarit. incohatum dicitur hujusmodi Concilium, quod Carthaginiense tertium appellatur, V. kal. Sept. (7) idque in Secretario Basilicae Restitutae, adstantibus etiam Diaconis, quorum scilicet ministerio Episcopi utebantur. serius conveniendi caussa fuit, quod legati provinciarum nondum Carthaginem omnes pervenissent. nam statum Concilii diem synodus Hipponensis esse jusserat X. kal. Sept. sed per eos dies Aurelius cum Episcopis, qui aderant, minime otiosus, legit epistolam Patrum Byzacenorum, qui Muzonio praeside Breviarium canonum Hipponensium confecerant, ut in Concilio magno Carthaginiensi relegeretur (8). prolatae etiam lectaeque aliorum epistolae, quorum alii se excusabant, quod non adessent, alii se propediem venturos pollicebantur. auditi Honoratus et Urbanus legati provinciae Sitifensis: quumque hi se diutius moram trahere Carthagine non posse professi essent, et jam quadraginta quatuor Episcopi numerarentur (9), legitimus tandem conventus haberi coepit.

V. Enimvero, quum jam canones Hipponenses, a multis antea perpensi, additamento etiam aliquo explicati auctique, omnibus probarentur, ii primum, numero triginta septem, rursus propositi, ut in posterum Ecclesiae Africanae leges haberentur. ii autem hoc ordine digesti ad nos pervenere. praescriptum primo, *Propter errorem, qui saepe solet oboriri, ut omnes Africanae provinciae Episcopi observationem Paschalem ab Ecclesia Carthaginiensi curent accipere.* alter Concilium quotannis cogi jubebat, quo dirimi citius controversiae possent, quae forte orirentur: et legatos a provinciis, quae Primates haberent, binos aut non multo plures submitti, ne hospitibus graves essent: unum autem tantum, propter inopiam Episcoporum, e provincia Tripolitana advenire. tertio decretum erat, ut qui Episcopos aut Clericos ordinaturi essent, ii singulorum auribus sanctiones Conciliorum ante inculcarent: unde jamtum Codicem canonum confectum discimus. quarto Lectoribus vetitum, ne, quod majoris ordinis erat, lectionem incohantes populum salutarent. dein cuique aditus ad ordines interclusus ante annum XXV. ac ne tum quidem apertus,

(6) *n.* 56. apud Hard. *T. I. Conc. p.* 894.

(7) apud Hard. *ibid. p.* 961. v. Espen. *Diss. Posth. in syn. Afr.* § v.

(8) *ibid. in Cod. an. p.* 882.

(9) *ibid. p.* 970. v. Mansii *Synops. Conc. T. I. p.* 65.

nisi divinarum litterarum doctrina instructis et ab infantia eruditis, ut quae profiterentur agnoscerent, tuerique possent. quintus erat, isque nobis paullo obscurior, *Vt etiam per sollemnissimos Paschales dies sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal: quia si fideles per illos dies sacramentum non mutant, nec Cathecumenis oportet mutare.* ritum autem significare Patres videntur, quem Augustinus de pueritia sua loquens commemorat (10); *Et signabar*, inquit, *jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale jam inde ab utero matris meae:* quae sal Catechumenis non semel, sed saepius in os inditum declarant: ipsum porro sal in Sacramentario Gelasiano fieri postulatur *salutare Sacramentum ad effugandum inimicum* (11); ut hoc Patres in Paschate Catechumenis, et solum dari voluisse dicendi sint, quemadmodum iis, qui jam Christiani essent, sancta de altari libare fas erat eodem plane modo, quo ceteris diebus concedebatur. sexto cavebatur, ne corporibus defunctorum Eucharistia daretur, neve quis ea Baptismo ablui posse duceret: qua lege Patres ostendebant, se nullum agnoscere Baptismum mortuorum, et Paulli verba (12) interpretari, ut planum erat, de iis, qui *pro mortuis*, id est ob crebras aliorum mortes, pari periculo territi (13), et vitam futuram spectantes, Baptismum ab Ecclesia efflagitabant, et Resurrectionem propterea se sperare ostendebant.

VI. Canon septimus, qui ab Aurelio refictus videtur, nam ab eo propositus est, praescribebat, ut qui Episcopum accusaret, nomen ejus caussamque ad Primatem provinciae ipsius deferret: neve reo communione interdiceretur, nisi is litteris in judicium vocatus, ultra mensem abfuisset; eidemque, si probabilem caussam afferret, judicii dies in alterum mensem prorogaretur. exinde dum se purgaret, sacris ei interdictum esset. at si ne ad Concilium quidem universale anniversarium occurrere voluisset, jam sua quodammodo sententia damnatus censeretur. ceterum accusator, si stato tempore comparuisset, communionis jus retineret; sin caussam inceptam deseruisset, restituto in communionem Episcopo, ipse a communione removeretur, nisi forte instaurata caussa, se ad diem occurrere non noluisse, sed non potuisse evinceret. additum denique, Vt quum agere is in judicio Episcoporum caepisset, si quid in eo criminosum esse constaret, ad arguendum non admitteretur, praeter quam si negotium ille proprium urgeret. canone octavo sanciebatur, lege veteri nonnihil mutata, ut de Presbytero accusato Episcopi ex viciniis locis quinque cognoscerent, de Diacono duo: de reliquis solus loci Episcopus judicaret: iique omnes quae de Episcoporum judiciis sancita essent, pari modo servarent. nonus poenam in eos continebat, qui relicto judicio Ecclesiastico, publicis judiciis purgari maluissent: ut qui criminis reus, vel si caussam tulisset, locum suum amitteret; qui vero litem intendisset, locum is suum obtinere si vellet, rem perderet, quam evicisset. decimus autem

(10) *Conf. lib. I. c.* 11.
(11) *lib. I. n.* 31. *edit. Murat.*
(12) *epist.* 1. *ad Corinth. c.* 15. *n.* 29.
(13) v. Hard. *Op. select. p.* 217.

cavebat, si forte a judicibus Ecclesiasticis quibuscumque ad alios provocatum esset, apud quos major esset auctoritas, iique priornm sententiam rescidissent, ne quid illis tale judicium obesset, nisi eos dolo malo jndicasse liqueret. tum ne provocatio esset ab iis judicibus, qui ex consensu utriusque partis electi judicassent. atque haec tum de judiciis constituta accepimus, quae a Romanis legibus non dissentiunt (14).

vII. Canon undecimus decernebat, Ne filii Episcoporum vel Clericorum spectacula profana ederent spectarentve: duodecimus, Ne filii filiaeve eorundem *gentibus vel haereticis aut schismaticis* matrimonio jungerentur: decimus tertius, Vt Episcopi vel Clerici in eos, qni Catholici Christiani non essent, etiamsi consanguinei fuissent, per donationes rerum snarum nihil conferrent. decimus quartus, Ne iidem filios suos per emancipationem a sua potestate exire sinerent, ante quam et mores eorum conformati viderentur, et ea aetas esset, ut quid malum, quid bonum, ipsi dijudicare jam possent. post haec jam ipsi Episcopi et Presbyteri et Diaconi et omnes Clerici, canone decimoquinto, a conductione et procuratione rerum privatarum abstinere jussi, nednm a turpi et inhonesto negotio: et decimo sexto lex dicta, *Vt nullus Clericorum amplius recipiat, quam cuiquam quod accomodaverit, si pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eandem speciem, quantam dederit, accipiat: et quidquid aliud, tantum, quantum dederit.* tum decimo septimo, Ne cum illis extraneae feminae habitarent, *sed solae matres, aviae, materterae, amitae, sorores et filiae fratrum aut sororum, et quaecumque ex familia, domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant: vel si filii eorum, jam ordinatis pnrentibus uxores acceperint; aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.* decimus octavus erat, Ne quis Episcopus fieret aut Presbyter aut Diaconus, nisi ante omnes, quos domi haberet, Christianos Catholicos reddidisset: decimus nonus, Vt Lectores annos pubertatis egressi, vel uxorem ducere, vel continentiam profiteri cogerentur. nam post annum xxv. denique promovebantur.

vIII. Multa hinc canones, qui sequuntur, Episcopis singillatim edicebant: vicesimus, *Vt a nullo Episcopo usurpentur plebes alienae, nec aliquis Episcoporum supergrediatur in dioecesi suum collegam:* vicesimus primus, *Vt Clericum alienum, nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita.* adjectum autem, Clericorum in numero et Lectores et Psalmistas et Ostiarios censeri. vicesimus secundus, *Vt nullus ordinetur Clericus, nisi probatus vel Episcoporum examine vel populi testimonio.* ad Liturgiam pertinet canon vicesimus tertius, *Vt nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; et quum altari adsistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio: et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit.*

(14) Marca *c.* 5. *et* 1. *lib. vII. c.* 6. *n.* 3.

item vicesimus quartus, *Vt in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum.* post quae cautum etiam, ne aliae primitiae, quam de uvis et frumentis ad altare offerrentur. alii canones dignitati retinendae, modestiae, ordini, religioni conservandae conditi erant. nam vicesimus quintus vetabat, Ne Clerici vel continentes ad viduas vel virgines, nisi jussu vel permissu Episcoporum et Presbyterorum, accederent, neve soli id facerent, sed e coetu suo socios haberent, vel eos, quos Episcopus Presbyterve dedisset: tum et Episcopus ipse aut Presbyter, si eas adire deberet, ne solus, sed Clericis aut gravibus viris praesentibus conveniret. vicesimus sextus, Ne Episcopus primae Sedis appellaretur Princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum Episcopus primae Sedis: quod placuisse puto, ut Donatistarum fastum detestarentur; nam Episcopus eorum Carthaginiensis Donatus audierat *Primus Episcoporum* (15), nec aliter fortasse Primianus appellabatur. praeceptum canone vicesimo septimo, Ne Clericus edendi bibendive caussa tabernas ingrederetur, nisi quem peregre necessitas cogeret: vicesimo octavo, Ne quispiam Episcoporum ex Africa transmitteret, nisi consulto primae Sedis Episcopo; quemadmodum nempe Aurelius in Concilio provinciae suae paullo ante constituerat: sed illud praeterea additum, *Sive cujusque provinciae Primate, ut ab eo praecipue possint sumere formatam vel commendationem: hinc etiam dirigendae litterae Concilii ad transmarinos Episcopos.* unde manifestum erat, provincias omnes hac lege teneri, et Primates cujusque designari.

VIIII. Canon vicesimus nonus exigebat, Vt sacramenta altaris non nisi a jejunis celebrarentur, die uno excepto Caenae Domini anniversariae. defunctorum autem caussa, qui pomeridiano tempore obiissent, ut preces tantum funderentur. tricesimus convivia templorum tollebat, nec nisi hospitibus dabat, ut necessitate adacti, cibi aliquid ibidem sumerent. tricesimo primo statutum erat, Vt poenitentibus secundum peccatorum differentiam Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernerentur: cujus rei ergo jamtum regulas Presbyteris praescriptas esse credibile est, et in codicem relatas, ne certos indulgentiae fines praeterirent. tricesimus secundus addebat, Ne Presbyter, inconsulto Episcopo, reconciliaret poenitentem, nisi eo absente necessitas urgeret: atque ut cujuscumque poenitentis publicum et vulgatissimum crimen esset, manus ei ante absidem imponeretur. tricesimo tertio sancitum erat, Vt virgines sacrae, post amissos parentes, a quibus custodirentur, Episcopi providentia, vel Presbyteri, si ille abesset, in monasterio virginum, vel gravioribus feminis commendarentur. tricesimo quarto, Vt aegrotantes, si per se respondere non possent, quum voluntatis eorum testimonium hi qui sui essent, periculo proprio dixissent, baptizarentur: eodemque modo cum poenitentibus ageretur. tricesimo quinto, Ne scenicis atque histrionibus

(15) Opt. *de schism. Don. lib. III. c.* 3.

ceterisqne hujnsmodi personis vel apostaticis, conversis vel reversis ad Deum, gratia vel reconciliato negaretur. tricesimns sextus vetabat, Ne Presbyter inconsnlto Episcopo virgines consecraret, chrisma vero ne nnquam conficeret: tricesimus septimus, Ne Clerici in aliena civitate immorarentur, nisi canssas eorum justas Episcopus loci vel Presbyteri locorum pervidissent.

x. Hactenus canones, qni Hippone Regio non sine Augnstini opera consilioqne primnm conditi putantur: quos deinde retractatos Concilium Carthaginiense probavit rursum promnlgavitque. protinns Legati provinciae Sitifensis Honoratus et Vrbanus mandata, quae ab Episcopis suis acceperant, exposuernnt; commemoratoque synodi Capuensis decreto, qno potissimum translationes Episcopornm prohibebantur, de Cresconio Episcopo Villaregiensi questi sunt, qni Ecclesia sua relicta in Tubuniensem invaserat, nec commonitus inde recesserat: *Adversus istum*, aiebant (16), *quae pronunciata fuerant, confirmata quidem audivimus; sed petimus, secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quo jam, necessitate ipsa cogente, liberum sit nobis rectorem provinciae, secundum statuta gloriosissimorum Principum, adversus illum adire: ut qui miti admonitioni sanctitatis vestrae adquiescere noluit, et emendare illicitum, auctoritate judiciaria protinus excludatur.* qnibus Anrelius respondens, *Servata*, inqnit, *forma disciplinae non aestimabitur appetitus, si a vestra caritate modeste conventus, recedere detrectaverit; quum fuerit, suo contemptu et contumacia faciente, etiam auctoritate judiciaria conventus.* id autem Legati quum a Patribus rogassent, num omnibus probaretur, responsum tulerunt, *Iustum est, placet.* quia vero Episcopi duo Numidici nuper soli Episcopum consecrare ansi fuerant, hoc praeterea Legati illi petebant, ut Patres decernerent, Ordinationes Episcoporum ne fierent, nisi a duodecim. at ea res non placuit Aurelio, nec facile praestari id posse ubique visum. itaque sic censuit (17): *Forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint a Metropolitano destinati ad Episcopum ordinandum.* habendam enim rationem addebat Tripolitanae in primis et Arzugitanae regionis, qnas barbarae gentes intermediae incolebant, nt tot Episcopi convenire vix possent. praeterquam quod in tota Tripolitana provincia qninque tantum Episcopi numerabantur, nec semper cuique integrum esse poterat, ejus rei ergo convenire quoties opus foret. quin et sibi Carthagine, ubi fere nnoquoqne die Dominico Ordinationes Episcoporum celebrari contingeret, grave id nimium ac permolestnm futurum fuisset, si duodecim semper Episcopos ab eo convocari necesse esset. sed tamen si de eo, qui ordinandus esset, controversia et dissensio aliqua oriretur, illud statui posse dixit, nt ad trium Episcoporum numerum duo tresve alii accederent, nec ante candidati consecratio perageretur, quam se ille coram omnibns purgasset. probata porro Anrelii sententia est, et universi

(16) apud Hard. *ibid. p.* 964. *n.* 38. (17) *ibid. p.* 965. *n.* 39.

dixerunt, *Satis placet.* tertio loco Legati postularunt, ut, quod primo canone Hipponensi constitutum fuerat de die futuri Paschatis edicendo, id maturius ab Ecclesia Carthaginiensi fieret. Aurelius autem promulgari eum diem posse quotannis censuit in ipso Concilio, quod singulis annis cogendum decreverant. itaque illi eum diem sibi prodi jamtum poposcerunt.

xl. Iam Epigonius Episcopus Bullensium Regiorum, mentione canonum injecta, quibus cautum olim fuerat, ne ulla in dioecesi novus Episcopus constitueretur eo invito, cui ab origine pareret, multa in Presbyteros, qui sibi ad hoc viam munirent, ac plebem sibi conviviis conciliarent, gravissime disseruit, et sententiam suam esse dixit, *Non debere rectorem accipere eam plebem, quae in dioecesi semper subjacuit, nec unquam proprium Episcopum habuit.* cui Aurelius assensus, *Fratris*, inquit, *et consacerdotis nostri prosequutioni non obsisto; sed hoc me et fecisse et facturum esse profiteor circa eos sane, qui fuerint concordes: non solum circa Ecclesiam Carthaginiensem, sed circa omne sacerdotale consortium.* se tamen eos excipere Episcopos testatus est, qui putarent propriae plebi incumbendum, et nonnumquam conventi ad Concilium venire refugerent ac detrectarent, sua forte ne proderentur flagitia metuentes. *Dico*, inquit, *si placet, circa hos non tantum dioeceses non esse servandas, verum etiam de propria Ecclesia, quae illis male faverit, omnino adnitendum, ut etiam auctoritate publica rejiciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris removeantur.* hic vero Patres facile intellexerunt, quos Aurelius perstringeret; cumque omnes silerent, Legati provinciae Sitifensis dixere: *Summa provisio sanctitatis tuae haesit mentibus singulorum, et puto omnium responsione ea, quae prosequi dignatus es, probanda:* post quae omnes dixerunt, *Placet, placet.* at rursum Epigonius Patres adloquens, multis ait in Conciliis statutum esse, idque confirmandum videri, *Ut Clericum alienum nullus sibi praeripiat Episcopus, praeter ejus arbitrium, cujus fuerit Clericus.* tum de Iuliano Episcopo Bazaritano querimoniam habuit, quod is Clericum a se altum educatumque et alterum jam annum Lectorem subduxisset, Diaconumque in Ecclesia Bazaritana ordinasset. adjecit autem, *Hoc si liceat, pateat haec licentia a vobis, beatissimi fratres: sin minus, tam impudens cohibeatur, ne se misceat communioni cujusquam.* at Numidio Maxulitano ea sententia temperari sic posse visa est, ut si Iulianus sine Epigonii consensu Clericum abduxisset, eumque minime remitteret, nec injuriam officiis compensaret, tum denique ea poena afficeretur. Epigonius vero Victoris aetate patris et ipsa promotione antiquissimi in Numidia, ut arbitror, Episcopi nomine petiit, ut quod in Iulianum sanxissent, lex jam esset, qua universi tenerentur. id tamen Aurelio jure displicuit: in ordinem enim redigi videbatur Episcopus Carthaginiensis, qui in Africa sine nomine Exarchus erat, atque, ut ipse ait, cunctarum Ecclesiarum sollicitudinem sustinebat (*), saepe scilicet ab eo postulabantur Episcopi et

(*) v. Bacchin. *de Eccles. Hierarch. originib. p.* 3,5.

Presbyteri, qoos ille vacois Ecclesiis rectores praeficiebat, eosqoe oou poterat omnes ex Ecclesia sua dare: et paratum se tamen profitebatur, ita ex aliis Ecclesiis deligere, ut duos tresve Episcopos testes adhiberet, quoties quemque ab aliquo Episcopo flagitaret: ceterum rogabat, quid sibi faciendum ducerent, si ille repugnasset. ad quae Nomidius, *Fuit semper*, inquit, *haec licentia huic Sedi, ut unde vellet, et de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesioe ordinaret Episcopum.* tum officiose Epigooios addidit: plus ab Aurelio pro ejus bonitate ac clementia iodulgeri, quam praestare ipse deberet; et satis esse, si ipse Episcopum, a quo aliquem peteret, semel conveniret. *Si autem*, inquit, *quod libet huic Sedi, vindicandum sibi fuerit arbitratus, necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire. unde tibi non potestatem damus, sed tuam adsiguamus: ut liceat voluntati tuae semper et tenere quem voles, ut praepositos plebibus vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, et unde voles.* sed Postumianus, Tagorensis, ut puto, in Numidia Episcopus, illud quaesivit, *Qui unum habuerit, numquid debet illi ipse unus Presbyter auferri?* cui Aurelius respondit, ab uno Episcopo multos constitui posse Presbyteros, Episcopum contra difficile inveniri, cui Ecclesia committatur: itaque si vel onus sit alicubi Presbyter, concedendum esse, ut Episcopus fiat. ille vero reposuit: *Ergo si habet alius abundantes Clericos, debet mihi nlia plebs subvenire.* cui Aurelius, *Sane*, inquit: *quomodo Ecclesiae alterius tu subveneris, persuadebitur illi, qui plures habet Clericos, ut unum tibi ordinandum largiatur.* sic quae auctoritas a Petri Cathedra in Episcopum Carthaginiensem promanaverat, cooseosu Episcoporum intacta mansit, ac proditum posteris exemplum est, quanto major Episcoporum erga Petri successorem reverentia esse debeat.

XII. Quaestionem aliam intoleroot Legati provinciae Sitifensis. nam, qoom vetus lex esset, ne Episcopus quisqnam novus in aliena dioecesi crearetur sine ejus conseoso, cui tota dioecesis pareret; forte iu eorum provincia Episcopi recens constituti dioeceses sibi ad arbitrium vindicabant. modum igitur istorum cupiditati ponendum censebant. senteotia aotem Epigonii fuit, cui et Aurelius coosensit, ut novis Episcopis ea dioecesis adtributa ceuseretur, *Quae exempta de fasce multarum sola meruisset honorem Episcopatus suscipere.* post haec caoon conditus est, *Vt praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum;* tum quaenam essent *Scripturae Canonicae*, censu earom iostituto, edixeruot: in quo nullus divioorum librorum desideratur, qnos nunc Ecclesia Catholica agnoscit ac retioet. actum etiam de Donatistis, Vt in nomero laicorum recipereotur: in quos mitius antea Catholici Episcopi iodulgentiosqne se gesseraot. quorum exemplo alii eos, qui ad Ecclesiam Catholicam e Clero Dooatistarum redirent, in Clerum item recipiendos, et sacris altaribus admovendos arbitrabaotur: alii contra ne illos quidem admittebant in Clerum, qui baptismum parvuli

a Donatistis accepissent; quod in exigua Presbyterorum ac Diaconorum copia grave Ecclesiis erat, quae ministros sibi difficilius idoneos inveniebant. verum de ea re nihil definitum est, Patresque omnes, qui rem illam maximi momenti esse intelligerent, Siricium Pontificem maximum consulendum esse censuerunt: et quia jam de magni Ambrosii morte ac de successore ejus nuncios acceperant, Augustino, opinor, auctore, qui Simplicianum norat et magni faciebat, ad eum quoque, cujus eximia erat in Italia auctoritas, et propter Principis aulam, quae tum Mediolani erat, dignitate crevisse videbatur (*), pariter scribendum existimarunt. Legati vero Sitifenses formulam Symboli Nicaeni poposcisse insuper videntur; ac se jam mandata, quae receperant, exhausisse tandem fassi sunt. canon tamen unus etiam reliquis adjectus, *Vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, et tempore Episcopatus vel Clericatus sui agros vel quaecumque praedia nomine suo comparant, tamquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur obnoxii, nisi admoniti Ecclesiae eadem ipsa contulerint. si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit. quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni, tamquam reprobi, judicentur.* tot demum legibus ad Ecclesiae utilitatem propositis, Aurelius Patres omnes appellans, *Quoniam*, inquit, *universa arbitror fuisse tractata; si omnia cum animo vestro convenerunt, sermone vestro cuncta roborate:* illi vero contra, *Omnibus haec placuerunt, et haec nostra subscriptione firmamus.* quamquam praeter Aurelium et Epigonium et Augustinum, nomina ceterorum, qui subscripsere, jamdiu exciderunt.

XII. Habes Concilii tertii Carthaginiensis summam, cujus etsi frequentia non magna fuit, maxima tamen auctoritas habita est: quod nihil fere praescripserit, quod non antea in Hipponensi et in Byzacena synodo examinatum probatumque esset. fructus quoque uberes inde Ecclesiae cepere, adnitentibus post reditum Episcopis, ut quae sancita fuerant, et singuli nossent, et omnes apprime servarent. studium vero Augustini potissimum eminebat, quo maxime auctore pleraeque tum leges perlatae fuerant, postquam eas Hippone Clerum ipse suum servare docuisset. sed Manichaeorum etiam, quos olim sectatus fuerat, plurimum ei salus cordi erat, ut nescioquam eorum epistolam, quam *Fundamenti* appellabant, everteret, et perversa sectae principia dissiparet. quod quidem hoc anno ita praestitit, nihil ut mollius tractari, blandiusque scribi posse videretur. atque haec inter ea etiam erat cura illius prope perpetua, ut Donatistas, quos paullo humaniores, nec omnino veritatis inimicos nosset, ad colloquia pelliceret, quo his ad Catholicam Ecclesiam traductis, facilius reliquos exemplo incitatos permoveret. hujus rei caussa hoc anno disputationem cum Fortunio Tubursicensi habuit (18), quem ceteris omnibus

(*) *v. tamen* Gelas. P. M. *epist.* 13. (18) *epist.* 44. *n.* 2. *et* 13.

Donatistis beniguiorem expertus est: utque ille rursum disputare secum et cum aliis Catholicis vellet, epistolis ad amicos ejus scriptis, hortari non destitit. eodem autem tempore, quum nova plane secta apud Tubursicenses emergeret non tam haereticorum, quam Paganorum, qui Caelicolae audiebant, et novi cujusdam baptismi auctores ferebantur, in eos diligenter inquisivit, et certos homines misit, qui ducem eorum, quem *Majorem Caelicolarum* appellabant, ad colloquium invitarent (19). plurimum enim laborabat, ut errorem in ipso ortu extingueret, et Africam universam, si fieri posset, ad Catholicam professionem pietatemque traduceret. propterea etiam, quum a Madaurensibus, apud quos idololatria etiamtum vigebat, epistolam forte accepisset, quamquam aliud erat illi rescribendi argumentum (20), ab ipsa tamen appellatione, qua in scribendo usi erant, ansam adripuit superstitionis eorum refutandae, hortatusque omnes est, fratres eos et parentes suos appellans, quod nempe pueritiam apud illos in studiis exegisset, ut aliquando inania Deorum commenta, quae jam orbis universus contemneret, ex animo repudiarent. *Videtis certe*, ajebat (21), *simulacrorum templa partim sine reparatione collapsa, partim diruta, partim clausa, partim in usus alios commutata: ipsaque simulacra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel destrui: atque ipsas hujus saeculi potestates, quae aliquando pro simulacris populum Christianum persequebantur, victas et domitas, non a repugnantibus, sed a morientibus Christianis, et contra eadem simulacra, pro quibus Christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse, et Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* et quae deinceps.

(19) *ibid. n.* 13.
(20) *epist.* 232. *n.* 1.
(21) *ibid. n.* 3.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXVIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Imp. Fl. Honorius IIII. in Occidente, Fl. Eutychianus V. C. in Oriente. Proconsul Africae designatus est Victurus, quem illuc ante idus Martias profectum esse, lex ad eum data demonstrat (1). initio anni omnia illic bello flagrabant: jam enim Senatus Gildonem hostem publicum appellaverat (2), eoque, qui bellum adversus eum gereret, missus ab Honorio fuerat Mascezel, ipsius Gildonis frater, sed Christianus, et ob liberos perfidia ejus et crudelitate amissos illi maxime infensus. Pisis hic solverat non magna classe, attigeratque Caprariam insulam (3), ut apud Monachos, qui tum eam incolebant, preces

(1) *Cod. Theod. lib. VIII. Tit. XXXVIII. L. ult.*
(2) Symmach. *lib. IIII. epist.* 4.
(3) Claud. *B. Gild. carm. XV. v.* 483. *et* Ammian. Marcellin. *lib. XXVIII. c.* 5. *etc.*

Deo funderet, eosque ut Deo pro victoria supplicarent, qua erat ille pietate ac religione, deprecaretur. inde in Africam quum appulisset, castra posuerat inter Thevestem et Ammedaram. illic quum exiguas copias suas et magnum Gildonis exercitum consideraret, jam non modo de victoria, sed etiam de salute desperare coeperat: quum ei Ambrosius, qui anno superiore decesserat, videndum se dedit, et spem ejus divinitus erexit. rem narrat Paullinus, qui se ab ipso Mascezele Mediolani audisse testatur. *Baculum*, inquit (4), *tenens manu, in visu noctis apparuit, atque quum provolveretur ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens terram senex baculo, quo regebatur, tertio ait: hic, hic, hic, signans locum, deditque intellectum viro, quem visitatione dignum fuerat arbitratus, ut agnosceret, se in ipso loco, in quo sanctum Domini viderat sacerdotem, die tertia victoriam adepturum: atque ita securus bellum incohavit et consummavit.* ut enim pugnam commisit, primae Gildoniani exercitus cohortes ad eum defecerunt; barbari vero, quum se desertos putarent, arrepta fuga, terga vertere: itaque totus repente exercitus fusus est, et uno die unaque pugna Africa universa recepta. Gildo quidem se morti subduxerat, et mari se crediderat; sed vi tempestatis in Africam rejectus, ad Tabracam captus est: ac postquam populo in ludibrium ostensus, convicia omnium et ignominias pertulit, conjectus in carcerem, collo in laqueum inserto, mortem sibi ipse conscivit. uxsor autem ejus et soror, lectissimae feminae, superstites apud Salvinam se recepisse putantur Gildonis ejusdem filiam, quae Nebridio nupserat Augustae sorore nato, et Constantinopoli degebat apud Arcadium Theodosii magni filium. nam Salvinam Hieronymus epistola LXXVIIII. quum de Nebridii morte consolaretur, *Certe*, inquit, *quum tecum sancta sit mater, et lateri tuo amita haereat virgo perpetua, non debes periculose externorum consortia quaerere, de tuorum societate secura.* ipsam vero Salvinam Palladius in vita Ioannis Chrysostomi memoravit, quae jam viduitatem suam honestate ac modestia decorabat, et illustrium Diaconissarum numerum in regia urbe augebat.

II. Ceterum in Africa deinceps multa victoriam illam incommoda consequuta sunt. primum enim novo magistratu creato, qui in Notitia *Comes Gildoniani Patrimonii* appellatur, omnia in Fiscum Gildonis bona illata sunt: tum diu ad poenam quaesiti fautores Gildonis, atque alii Romam ad caussam dicendam missi, alii Carthagine et ceteris in urbibus carceri addicti: quos inter ductus est Optatus ille Episcopus Thamugadensis, Gildonis satelles et Circumcellionum dux, qui annos decem Ecclesiam Catholicam impune afflixerat. sed in acerba illa inquisitione vetus Mascezelis pietas desiderata est, et cum sontibus multi quoque insontes vexati direptique sunt: quam ille mox culpam morte expiavit. Mediolanum enim magno cum honore reversus, quum praemia sibi magna parari arbitraretur, Stiliconis jussu aemulum metuentis de ponte in pro-

(4) *in vita Amb. n.* 51, *et* Orosius *Histor. lib. VII. c.* 36.

fluentem actus est (5). innocentibus autem, qui tum in Africa in ultimum discrimen adducebantur, quamprimum Honorii Aug. lege subventum, III. idus Martias ad Proconsulem missa, his verbis (6): *Innocentes sub specie falsae criminationis non patimur callidorum impugnatione subverti: qui si tentaverint, intelligant, sibimet severitatem legum pro commissis facinoribus incumbere.* verum alia non multo post lata lex est, ob quam citius Optatum Gildonianum, et qui pari scelere Ecclesias vexaverant, ultimo supplicio affectos dixerim. data illa est VI. kal. Majas, maximo Catholicorum solatio, qui tum sibi revixisse visi sunt: *Si quis*, ajebant Augusti (7), *in hoc scelus sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias Catholicas sacerdotibus et ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet injuriae, quod geritur, litteris ordinum, magistratuum et curatorum et notoriis apparitorum, quos Stationarios appellant, deferatur in notitiam potestatum, ita ut vocabula eorum, qui agnosci potuerint, declarentur: et si per multitudinem commissum dicetur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci, quorum confessione sociorum nomina publicentur. atque ita Provinciae moderator sacerdotum et Catholicae Ecclesiae ministrorum loci quoque ipsius et divini cultus injuriam capitali in convictos sive confessos reos sententia noverit vindicandum. nec exspectet, ut Episcopus injuriae propriae ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. sitque cunctis non solum liberum, sed et laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias, veluti publicum crimen, persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. quod si multitudo violenta civilis apparitionis exsequutione et adminiculo ordinum possessorumve non potuerit praesentari, quod se armis aut locorum difficultate tueatur, judices Africani armatae apparitionis praesidium, datis ad virum spectabilem Comitem Africae litteris, praelato legis istius tenore, deposcant, ut rei talium criminum non evadant.* porro Optatum in carcere enectum periisse, non semel indicat Augustinus (8): qui et insaniam Donatistarum irridet, qui eum Martyrem appellabant. *Quem*, inquit (9), *quum modo Martyrem dicitis, superest, ut eum, propter quem mortuus est, Christum dicatis.* Mediolani autem eodem tempore Afrum hominem alia de caussa mors oppressit. fuit hic Donatus, quem Paullinus in Ambrosii vita extrema Presbyterum Ecclesiae Mediolanensis appellat: eum in convivio militarium virorum memoriae sanctissimi Sacerdotis detrahentem, adsperuantibus illis et deserentibus linguam nequam, gravi vulnere percussum idem narrat, et in lectulo positum, inde ad sepulcrum esse perductum.

III. Interea repressis Donatistis, Ecclesia Catholica otio aliquo fruebatur; simul et Episcoporum dignitas auctoritasque crescebat, Aurelii maxime vigilantia et Augustini scriptis, qui haereticos omnes in officio

(5) Zosim. *lib. v. p.* 788.
(6) *Cod. Theod. ibid.*
(7) *ibid. lib. xvI. Tit. II. L.* 31.
(8) *in litt. Petil. lib. II. n.* 209. *etc.*
(9) *epist.* 76. *n.* 3.

continebant. nec minus Monachorum exempla valebant, quos jam Africa frequentiores numerabat. quin hoc anno ex ipsa insula Capraria nonnullos secum adduxerat Mascezel; quos Augustinus ad Eudoxium Abbatem eorum scribens, mirifice commendat, et plurimum in Africa probatos ostendit. *Et ante*, inquit (10), *jam fama, et nunc fratres, qui venerunt a vobis, Eustasius et Andreas bonum Christi odorem de vestra sancta conversatione ad nos adtulerunt.* ibidem autem defunctum Eustasium, subinde significat: *Quorum*, inquit, *Eustasius in eam requiem praecessit, quae nullis fluctibus sicut insula tunditur, nec Caprariam desiderat, quia nec cilicio jam quaerit indui.* restabat tamen, quo splendor Ecclesiae et Dei gloria illustrior fieret, ut veteris superstitionis vestigia delerentur. nondum enim ea in Africa exstincta erant: et Paganorum ritus saepe Christianis offensioni esse contingebat. de quibus hoc anno Augustinus, quum Carthagine esset, Aurelii rogatu multa disputavit (11). erant quippe e Christianis, quibus apud Paganos in Idolio convivari religioni non esset, et vitando crimini satis videretur, si animus eorum a simulacris alienus foret: quos ille in primis cogitare ac meminisse jussit, quale piis ac religiosis exemplum praeberent, vel quod Paganis ipsis de se specimen darent. alio sermone, quem item Carthagine habuit, quum questus esset, exstare etiamtum in ea urbe Herculis simulacrum habens inscriptionem, *Herculi Deo*, idque recens inauratum (12), populus cum indignatione adclamaverat, Deos omnes ex Africa exterminandos, quemadmodum Roma quoque ejecti fuerant. itaque eos rursum adloquens, quos jam iracundia justa ac debita incensos videbat, *Animus*, inquit, *vester et studium fidei et flagrantia caritatis et abundantia zeli domus Dei apparuit in vocibus vestris, quas satis claras vestri cordis testes habuistis.* deinde animorum impetum oratione moderatus, non jam populi, sed Episcoporum eas esse partes ostendit, ut superstitionis tollendae viam ipsi invenirent. *Quoniam*, inquit, *voluntas agendi de iis, quibus acclamastis, una est et vestra et nostra; modus vero agendi par esse non potest: putamus, carissimi, ideo oportere, ut voluntas accipiatur a vobis, consilium implendae voluntatis vestrae expectetur a nobis.* extrema autem verba fuere, *Fratres, hoc libenti animo accipite, et in Domini adjutorio cetera prosperius jam sperate.* nec dubium est, Aurelium et qui Carthaginem Concilii caussa convenerant, Episcopos jamtum, Ecclesiae Africanae nomine, Honorio Aug. per Legatos supplicasse, atque ab optimo Principe ac paternae pietatis studiosissimo impetravisse, ut auctoritate sua veteri superstitioni finem denique imponeret. neque enim multo post leges ab eo latae sunt, quae vota Christianorum explerent, et simulacris Deorum deturbatis, nihil in hominum oculis reliquerent, quod profani cultus vestigium et repudiatae religionis speciem ullam exhiberet.

(10) *epist.* 48. *n.* 4.
(11) *serm.* 62. *c.* 4. *et.* 5.
(12) *serm.* 24. *n.* 4. *et* 6.

IIII. At vero Episcopi et provinciarum Africae legationes serius, quam iodicta dies ferebat, Carthaginem adveoiebant, nt synodum de more celebrarent. nec Anrelins, qui probe norat, quantis de rebns agendum esset, ita sibi maturandum duxit, nt procrastinantium rationem non haberet. Septembrem enim totum atque Octobrem Patrum adventum expectavit: qui demum ducenti quatuordecim inventi sunt. itaque sexto idus Novembres in Secretarinm ab Aurelio vocati Concilium incoharunt. hujus porro Acta ad nos non perveoisse, manifestum est: manet tamen caoonum summa, qoi tum centum et quinque sanciti esse putantur (13). quamquam suspicari possis, numerum additamentis crevisse, et canoni uni quandoque subjectos, qui de re simili aliis in Conciliis conditi fuissent, eosque breviore sermone contractos. quidquid vero de his sentiendum sit, illud extra controversiam est, in tota illa serie praeclaram oobis imaginem exhiberi Ecclesiae optime constitutae, ac saoctissimis legibns communitae: tum in ea ipsa elucere rituum sacrorum antiqnitatem, quos Catholica Ecclesia plerosque retinet, eademque prodi instituta, qnibus Romae et per Italiam vivebatur.

V. Initium ab Episcopo ductum, praescriptumqne de quibus antea interrogari eum oporteret, qui ioter Episcopos adlegendus esset, ut de doctrina ejus et professione constaret. deinde explicatum, quibus ritibus consecrari deberet. pari modo traditum, qna ratione qui proximi dignitate essent ordioari par foret: uode discas, vel apud Latinos usitatum, ut in Diaconis et Presbyteris χειροϑεσια et Preces potissimum ad Ordinem perficiendum adhiberentur (14): in reliquis ministris initiandis de Ecclesiae instrumento aliquid iis in manns traderetur. cientur antem sic: Presbyter, Diacoous, Hypodiaconus, Acolythus, Exorcistes, Lector, Ostiarius. sed huic Psalmista subjicitur, de quo sic decretom legimus: *Psalmista, id est cantor, potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas: et quod corde credis, operibus comprobes.* jam de virginibus Deo devotis, qnae tum apud parentes pleraeque degebant, haec sancita sunt (15): *Sanctimonialis virgo, quum ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni et sanctimoniae aptis:* de iis vero, quae, Diacooissarum instar, feminarum, quae Baptismo abluendae eraot, curam gerebant, ita praescriptum est (16): *Viduae vel sanctimoniales, quae ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructae sint ad officium, ut possint apto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore, quo baptizandae sunt, qualiter baptizatori interrogatae respondeant; et qualiter accepto baptismate vivant.* mandatum praeterea

(13) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 978. v. Baller. *de ant. collec. can. c.* 3. §. 4. et Cabass. *Not. Eccl. ad an.* 398.

(14) vide Hallier. *de sacris elect. et Ordin. parte* 2. *sect.* 2. *c.* 2. *art.* 1. §. 21.

(15) *ibid. p.* 979. *can.* 11.

(16) *ibid. can.* 12.

de sponsis, ut ii a parentibus vel paranymphis sacerdoti offerrentur, utique iidem sacramentum reveriti, quae consequeretur nox, ea virginitatem servarent.

VI. Hinc Patres rursum quae maxime ad Episcoporum munus et sanctitatem pertinerent, diligenter persequuti sunt. itaque constitutum (17), *Vt Episcopus non longe ab Ecclesia hospitiolum habeat:* utque vilem supellectilem et mensam et victum pauperem amet, ac dignitatis suae auctoritatem fide et vitae meritis quaerat. gentilium libros ab eo legi noluerunt, haereticorum vero, quoties necessitas ferret. viduarum, pupillorum, peregrinorum curam ab eo ad Archipresbyterum vel Archidiaconum deferri jusserunt: tuitionem testamentorum nullam suscipi, vitari lites, rei familiaris administrationem aliis committi, ut lectioni vacet ac precibus, et populum ipse suum concionibus erudiat: itare ad synodos, aut si non posset, legatum mittere, et quae sancita essent suscipere eum et servare voluere. multa alia hujusmodi, quae summam Patrum prudentiam ac vigilantiam declarant, praescripta tum Episcopis sunt et Presbyteris et Clericis omnibus, quos vel eruditos victum sibi artificio quaerere voluerunt, vel agricultura etiam, dummodo sine officii sui detrimento fieret. eodemque modo quaedam statuta fuere populi caussa, ut institutioni ac saluti omnium consuleretur. canon septuagesimus sextus est, *Is qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit; dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat poenitentiam. et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus, petitioni suae satisfactum; et subdatur statutis poenitentiae legibus, quamdiu sacerdos, qui poenitentiam dedit, probaverit.* canone octogesimo quarto decrevere, *Vt Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, et audire verbum Dei, sive gentilem sive haereticum sive Iudaeum usque ad missam Catechumenorum.* Energumeni pavimenta Domorum Dei verrere jussi (18), et victum iis per Exorcistas ministrari placuit. praeceptum quoque (19), Ne oblationes dissidentium fratrum sive in sacrario sive in gazophylacio reciperentur, Vtque eorum, qui pauperes opprimunt, dona a sacerdotibus repudiarentur, et qui oblationes defunctorum vel negarent Ecclesiis, vel cum difficultate redderent, tamquam egentium necatores excommunicarentur. Qui religiosis feminis praeponendus esset, ab Episcopo loci probari oportere censuerunt. Laicum praesentibus Clericis, nisi ipsis jubentibus, docere; mulierem quamvis doctam et sanctam sive docere sive baptizare vetuerunt. de viduis, quae vel immatura aetate a viro relictae, se Deo devovissent, et *veste laicali abjecta, sub testimonio Episcopi et Ecclesiae religioso habitu apparuissent, si postea ad nuptias saeculares transiis-*

(17) *ibid. can.* 14. v. Zaccar. *Proib. de' libri p.* 19. *n.* 13.

(18) *ibid. p.* 984. *can.* 91. *et* 92.

(19) *ibid. can.* 93. *et seq.*

sent, sic decrevere: *Tales personae sine Christianorum communione maneant, quae etiam nec in convivio cum Christianis communicent* (20). demum contra schismatis auctores definitum est, *Si Clericus fuerit, cadat de proprio gradu: si laicus, segregatus ab Ecclesia Dei, quam sprevit, et a conventu totius Christianae religionis, a sancta communione maneat exclusus.*

VI. Haec Carthagine dudum acta fuerant, et Concilium dimissum, quum Romae Siricius, magnis virtutibus praeclarisque factis laudatus (21) diem obiit supremum: in cujus locum paullo post creatus est Anastasius, qui pontificatum maximum pari laude gessit. Augustinus autem Hipponem a Concilio reversus, egregios Confessionum libros absolvisse videtur: de quibus postea ad Darium Comitem scribens, *Sume*, ajebat (22), *libros, quos desiderasti, Confessionum mearum: ibi me inspice, ne me laudes ultra quam sum; ibi non aliis de me crede, sed mihi: ibi me adtende, et vide quid fuerim in me ipso, per meipsum; et si quid in me tibi placuerit, lauda ibi mecum, quem laudari volui de me: neque enim me.* post hoc opus libri prodierunt adversus Faustum Manichaeum numero triginta et tres, et alii protinus, partim contra haereticos, partim ad Catholicorum eruditionem, divinorumque voluminum explanationem, de quibus jam accurate a multis actum est. hic tamen librum commemorari par est, qui non exstat, contra Hilarum quemdam, Catholicum quidem hominem, sed sacros Ecclesiae Carthaginiensis ritus reprehendentem, qui sub Aurelio recens usurpari coeperant. rem attigit ipse Augustinus postquam de iis mentionem fecisset, quae contra Manichaeos vulgaverat (23): *Inter haec*, inquit, *Hilarus quidam vir tribunitius, laicus Catholicus, nescio unde adversus Dei ministros, ut fieri adsolet, irritatus, morem, qui tunc esse apud Carthaginem caeperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro sive ante oblationem, sive quum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione, ubicumque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere. huic respondi jubentibus fratribus.* ut vero his facilem in parendo se praebuit, sic iis, qui eum consulebant vel longis epistolis, qua poterat celeritate respondebat: quos inter hoc anno Publicolam probum virum, sed culpae metu anxium, ac multis in quaestionibus aestuantem, suavissimis litteris (24) solatus est. hunc Melaniae senioris filium fuisse, quidam arbitrantur (25). reliqua ejus cura erat, ut et Monachos suos et Clerum universum sancte institueret: multas enim in Ecclesiam utilitates redundare inde posse intelligebat. fiebat tamen aliquando, quae hominum malitia est, ut operam suam et omnium laborum fructum repente amitteret: transfugam aliquem lugere coactus, quem aperta Donatistarum

(20) *ibid. p.* 185. *can.* 106.
(21) v. Noris. *Op. T. III. p.* 722. *et* Ben. XIII. *litt. de Martyr. ed. n* 50.
(22) *epist.* 231. *n.* 6. *p.* 721.
(23) *Retract. lib. II. c.* 11.
(24) *epist.* 47.
(25) Tillem. *M. E. T. x. p.* 608.

castra recepissent. ad haec sane tempora pertinet Diaconi defectio ad Proculejanum, qui eum baptismo polluit, et Diaconum suum fecit. sed hic brevi fugae illius turpissimae ac violatae fidei graves omnino poenas dedit. nam, ut narrat Augustinus ipse (26), *Non post multos dies eorundem perditorum, sicut desideravit, commixtus audaciae, et in nocturna aggressione, in medio latrocinio atque incendio suo, subvenientis multitudinis concursu, peremptus est.*

VIII. Addo et de Publicola, quem paullo ante commemoravi, Arzugum mentionem ab eo injectam, qui tractum Tripolitanum attingebant, et in barbarorum numero habebantur: sic tamen, ut ad meridiem (27) Byzacenam quoque provinciam finitimi cingerent clauderentque. totum eum tractum Orosius (28) regionem Arzugum dictum esse affirmare videtur, qui tamen eos per longum Africae limitem fusos tradit, quem Comes Africae per Praepositos sedecim tuebatur, singulos singulis munitionibus castrisve praefectos (29). quaerebat porro Publicola ab Augustino responsum ad haec: *In Arzugibus, ajebat, ut audivi, Decurioni, qui Limiti praeest, vel Tribuno solent jurare barbari, jurantes per daemones suos, qui ad deducendos bastagas pacti fuerint, vel aliqui ad servandas fruges ipsas, singuli possessores vel conductores solent ad custodiendas fruges suscipere, quasi jam fideles, epistolam Decurione mittente, vel singuli transeuntes, quibus necesse est per eos transire. mihi autem disceptatio in corde nata est, si ille possessor, qui susceperit barbarum, cujus fides per daemonum jurationem firma visa est, non coinquinatur vel ipse, vel illa, quae custodit, vel ille, qui deducitur a deductore barbaro? sed hoc debes scire, quia qui jurat barbarus a possessore pro servandis frugibus accipiat aurum, vel a viatore deductor; sed tamen cum hac veluti mercede, quae solet dari a possessore vel a viatore, juramentum etiam illud in medio est mortale datum Decurioni vel Tribuno: quod perturbat me, ne polluat illum, qui suscipit barbari juramentum, vel illa, quae custodit barbarus. quacumque enim conditione etiam auro dato et obsidibus datis, ut audivi, tamen juramentum iniquum medium intercessit.* haec Publicola, quantum potuit, presse ac dilucide. responsi autem, quod dedit Augustinus (30), haec summa fuit: Qui utitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, et utitur non ad malum, sed ad licitum et bonum, non peccato ejus se sociare, quo per daemonia juravit; sed bono pacto ejus, quo fidem servavit. sine ulla autem dubitatione minus malum esse per Deum falsum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. quamvis autem dictum est, ne juremus, numquam in Scripturis sanctis legi, ne ab alio jurationem accipiamus. tum *alia*, inquit, *quaestio est, utrum ea pace debeamus uti, quae inter alios invicem jurantes facta est. quod si nolu-*

(26) *epist.* 108. *n.* 19.
(27) Aug. *epist.* 93. *n.* 24.
(28) *Hist. lib. I. p.* 7. *ed. Colon.*
(29) Pancir. *Not. Imp. Occ. c.* 70.
(30) *epist.* 47. *n.* 2.

mus, ubi vivamus in terris, nescio, utrum invenire possimus. neque enim tantummodo Limiti, sed universis provinciis pax conciliatur juratione barbarica. unde et illud sequetur, ut non fruges tantum, quae ab eis custodiuntur, qui per Deos falsos juraverunt, sed ubique inquinata sint omnia, quae ipsa pace muniuntur, quam juratio illa confirmat. quod si absurdissimum est dicere, nec illa te moveant, quae movebant. ceterum in Arzugibus passim vicos fuisse Christianae professionis, qui Episcopis Byzacenis parebant, admittendum est, quum *Arzugitanos fratres* memoret Aurelius Pontifex Carthaginiensium (31), idemque scripserit aliquando Episcopis *per tractum provinciae Byzacenae et Arzugitanae constitutis* (32), et barbaras gentes, ut in Tripoli, sic in Arzuge tantum *interjacere* affirmaverit (33).

(31) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 890.
(32) Baron. *ad an.* 419. *p.* 445.
(33) apud Hard. *ibid. p.* 887.

ANNUS CHRISTIANUS CCCLXXXXVIII[I].

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM inierunt Fl. Manlius Theodorus in Occidente, Fl. Eutropius in Oriente: sed hujus nomen apud Latinos rejectum, quod Eunuchum multis criminum maculis notatissimum aversarentur. itaque nonnullis in Fastis solus adhuc cietur Theodorus, is qui triennio ante Proconsulatum in Africa gesserat. rectores vero hujus anni plures noti, quam ceterorum: nam Proconsulem fuisse scimus Apollodorum, Vicarium Dominatorem, ac post eum Sapidianum, Consularem Numidiae Ianuarium, Praesidem provinciae Tripolitanae Simplicium: ad quos singulos lex aliqua hoc anno missa est: denique Comites per Africam Gaudentium et Iovium, quos memorat Augustinus (1). cura etiam Honorii Aug. studiumque ejus erga Africanam Ecclesiam hoc anno maxime eminet, quamquam idem Africae universae providum se Principem benignumque praestitit, Stilicone in primis impellente, cui propterea, Gildone tyranno jam sublato, Africae totius nomine statua Romae dedicata est, insigni titulo, in quo *consiliis ejus et provisione liberata* dicitur (*). enimvero audierat jam Honorius de veteri superstitione per Africam abolenda quid Aurelius Carthaginiensis, quid reliqui Episcopi postularent: legem etiam, quae ad nos non pervenit, contra Deorum simulacra tulerat, ut de sedibus suis deponerentur, et quidquid idololatriam praeseferret, penitus tolleretur: quod ex alia lege, quae hoc anno edita est (2), deprehendimus. restabat, ut certis jam viris mandata daret, quorum opera quae ipse jusserat, perficerentur. at id Pagani minime successurum passim dictitabant: adventare enim Christianae religionis finem contendebant,

(1) *de C. D. lib. xvIII. c. ult.*
(*) Grut. *p.* 412. *n.* 3.
(2) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. x. L.* 15.

ac propediem honorem Diis suis restitutum iri, quantus vix unquam antea tributus esset. *Quum enim viderent*, inquit Augustinus (3), *nec tot tantisque persequutionibus eam potuisse consumi, sed his potius mira incrementa sumpsisse, excogitaverunt nescio quos versus Graecos tamquam consulenti cuidam divino oraculo effusos: ubi Christum quidem ab hujus tamquam sacrilegii crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleficiis fecisse subjungunt, ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos: deinde completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem.* verum illa commenta, vanaque delirantium somnia brevi eventus refutavit. quippe *Consule Manlio Theodoro*, ut idem Augustinus testatur, *quando jam secundum illud oraculum daemonum, aut figmentum hominum, nulla esse debuit religio Christiana, quid per alias terrarum partes forsitam factum sit, non fuit necesse perquirere: interim quod scimus, in civitate notissima et eminentissima Carthagine Africae Gaudentius et Iovius Comites Imp. Honorii XIIII. kal. Apr. falsorum Deorum templa everterunt, et simulacra fregerunt.*

II. At quae Augustinus hic dicit de templis eversis, ea sic accipienda sunt, ut Honorii lege aras subversas intelligamus, et quidqnid templa illa Diis dicata significabat. nam parietes ipsi plerumque mansere, et quae Deorum delubra erant, jam Dei unius immortalis aedes, loco sacris caeremoniis expiato, evaserunt. maximum sane templorum Carthagiuiensium, quod Deae caelestis appellabant, primum omnium Christianae religioni cessit; tantaque celeritate locus omnis purgatus, et novo cultu restitutus est, ut III. idus Apriles, quo die Pascha agebatur, in eo templo Aurelius Episcopus (4), sede honoris sui collocata, multis cum Episcopis et ingenti populi frequentia sacrum sollemne primus celebrarit. quo tempore multi non sine voluptate animadverterunt, eodem nomine fuisse profanum Pontificem, qui templum Deae caelesti dedicaverat, atque eum, qui tunc illud divina religione Deo consecravisset. pari autem modo et Carthagine et ceteris in urbibus illustria Deorum fana Christianis sacris addicta esse, quemadmodum Romae atque alibi placuisse constabat, minime ambigendum est: nisi quod in tanta populi Christiani laetitia ac pene licentia vix fieri potuit, ut omnia ubique intacta relinquerentur. certe ad Honorium queielae pervenerunt antiquariorum, qui significarent, praetextu religionis eximia priscarum artium exemplaria deleri, ac pessimo publico destrui, quae plurimum vel serae posteritati prodesse possent. itaque non multis post mensibus, id est II. kal. Septembres ad Apollodorum Proconsulem lex data his verbis (5): *Aedes illicitis rebus vacuas, nostrarum beneficio sanctionum, ne quis conetur evertere: decernimus enim, ut aedificiorum quidem sit integer status: si quis vero sacrificio fuerit deprehensus, in eum legibus vindicetur.*

(3) *de C. D. lib. XVIII. c. 54.*

(4) *Auct. de Praedict. lib. III. c. 33. n. 6. qui Afer. scriptor. jure creditur.*

(5) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. X. L. 18.*

sub officio idolis, disceptatione habita, quibus etiamnunc patuerit cultum vanae superstitionis impendi.

II. Nec vero ipsa simulacrorum depositio ac dissipatio aequo animo tolerata ubique, aut sine tumultu peracta est. insigne admodum facinus est, quod Sufibus in provincia Byzacena patratum accepimus, quum illic signum Herculis publica auctoritate Christiani demolirentur. tanta enim in eos ira Paganorum exarsit, ut armati impetum facerent, et urbem caedibus et sanguine implerent. quo in conflictu Christiani ad sexaginta cecidere. de quorum nece Augustinus ad seniores Coloniae illius gravissimis verbis scribens, sic eos de tanto crimine expostulat (6): *Immanitatis vestrae famosissimum scelus et inopinata crudelitas terram concutit, et percutit caelum, ut in plateis ac delubris vestris eluceat sanguis, et resonet homicidium. apud vos Romanae sepultae sunt leges, judiciorum rectorum calcatus est terror, Imperatorum certe nulla veneratio nec timor. apud vos* LX. *numero fratrum innocens effusus est sanguis: et si quis plures occidit, functus est laudibus, et in vestram curiam tenuit principatum.* elevat subinde Christianorum factum, qui Herculem confregissent, quem facile restituere possent, quum et saxa et metalla et artifices suppeterent, nec minus rubrica, qua pingeretur; et collatis nummis talem Deum emi fas esset: at non ita ad vitam revocare liceret, quos illi occidissent. *Reddite igitur*, ait, *animas, quas manus vestra contorsit; et sicut a nobis vester Hercules redhibetur, sic etiam a vobis tantorum animae reddantur.* ceterum felix eorum mors fuit, et optabili exitu profusa vita est; quam illis Christiani nominis hostes eripuerunt factum aggressis legitimum, et opere profitentibus, quod animo et fide tenebant. quamobrem eos Ecclesia Romana Martyres habuit, atque anniversaria memoria III. kal. Sept. honorandos duxit.

III. Iam Honorius iis etiam, qui proximi scelere foeditatem Paganorum olebant, securim hoc anno inflixit, lege in Manichaeos lata, quae Dominatori Vicario Africae missa fuit XVI. kal. Iun. (7) *Noxios*, inquit, *Manichaeos, execrabilesque eorum conventus, dudum justa animadversione damnatos, etiam speciali praeceptione cohiberi decernimus. quapropter quaesiti adducantur in publicum, ac detestati criminosi congrua et severissima emendatione resecentur. in eos etiam auctoritatis aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda provisione defendant.* post haec Catholicos respexit Augustus, Ecclesiamque ab adversariorum molestiis liberam integramque praestare instituit. nam ad Sapidianum, quem Dominatori successorem dederat, VII. kal. Iul. legem misit hujusmodi (8): *Si Ecclesiae venerabilis privilegia cujusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri, sicut etiam prius constitutum est, condemnatione plectatur. si quid igitur contra Ecclesias vel Clericos per obreptionem vel ab haereticis vel*

(6) *epist.* 50. v. Boll. *T. VI. Aug. p.* 553.

(7) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. V. L.* 35.

(8) *ibid. Tit. II. L.* 34.

ab hujusmodi hominibus fuerit contra leges impetratum, hujus sanctionis auctoritate damnetur. quod in Donatistas maxime constitutum videtur, qui vetera Iuliani privilegia impudentissime jactabant. demum et provinciis subventum hoc anno est, quas paullo ante barbari diripuerant, Anstoriani nempe ac Subafrenses, Tripolitanorum ac Byzacenorum finitimi, quorum incursionibus fines Romanos saepe infestos fuisse legimus (9). armis ii primum repressi (10), et qui dissipati latebant, poena in eos dicta, qui occultassent, ad domos suas redire coacti. tum fundi, quos barbari occuparant, dominis redditi, ut eo cultores reducerent; vel si recusarent, ad idoneos possessores translati. id temporis contigisse etiam puto, quod Augustinus epistola CXI. ad Victorianum scribens narrabat circa annum CCCCVIII. *De Sitifensi, inquit, ante paucos annos Severi Episcopi neptis sanctimonialis a barbaris ducta est, et per mirabilem Dei misericordiam cum honore magno suis parentibus restituta est. domus enim illa barbarorum, ubi captiva ingressa est, subita coepit dominorum infirmitate jactari, ita ut omnes ipsi barbari, tres, nisi fallor, vel amplius fratres periculosissima infirmitate laborarent. quorum mater animadvertit puellam Deo deditam, et credidit, quod ejus orationibus sui filii possent ab imminenti jam mortis periculo liberari: petivit, ut oraret pro eis, pollicens, quod, si salvi facti essent, eam suis parentibus redderent. jejunavit illa et oravit, et exaudita continuo est: ad hoc enim factum erat, quantum exitus docuit. ita illi tam repentino Dei beneficio salute percepta, mirantes eam et honorantes, quod eorum mater promiserat, impleverunt.*

V. Inter haec non levis Episcoporum fere omnium cura fuisse putanda est, ut promulgatis Augusti legibus, quae Deorum simulacra deponi jubebant, impetum populorum moderarentur, ac ne quid justo majus turba moliretur, consilio atque auctoritate prohiberent. ea tamen res minime obfuit, quominus Concilium de more Aurelius cogeret, idque vel ante statum diem mensemque celebraret. antevertendi autem ea caussa fuisse videtur, quod indicta dedicatione templi, de quo superius disseruimus, multi jam Episcopi Carthaginem advenerant, et ibi Paschatis sollemnia obierant. idcirco Aurelius, quum subinde decem ac septem dies supersedisset, dum ii venirent, qui in Ecclesiis suis festum illud peregerant, quinto kal. Majas synodum inchoavit. ceterum hujus Acta amisimus, nec quae in ea agitata sint praeter id novimus, quod in Codice Canonum Ecclesiae Africanae consignatum est. *In hoc Concilio*, inquit vetus Συλλογῆς illius auctor (11), *legationem susceperunt Epigonius et Vincentius Episcopi, ut pro confugientibus ad Ecclesiam, quocumque reatu involutis, legem de gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere.* in hanc vero deliberationem Patres venisse arbitror, quod nondum deferbuisset acerba illa inquisitio Gildonianae factionis,

(9) Amm. Marcell. *lib. XXVI. c. 4. item lib. XXVIII. c. 6. etc.*

(10) *Cod. Theod. lib. VI. Tit. XVIII. L. I.*

(11) apud Hard. *Conc. T. I. p. 874.*

cujus caussa insontes etiam perdiu vexati, ne in templis quidem Dei immortalis asylum inveniebant. multos quippe annos eo nomine saevitum esse constat (12). alia Legatis mandata Patres tum dedisse, credibile est: fortasse etiam in hac synodo Equitius Episcopus Hipponis Diarrhyti honore spoliatus fuerat; et quia repugnabat, judiciumque Patrum contemnebat, legem a Principe efflagitare Legati jussi sunt, qua hic et qui similia peccassent, poena coercerentur. legationem porro irritam non fuisse, spectata Honorii pietas facilitasque persuadet: lex autem, de qua ad annum insequentem dicemus, aliquid quoque de Equitio et mandatum et impetratum ostendit.

VI. Dimisso Concilio, plus hoc anno temporis Episcopi nacti sunt ad negotia sua obeunda, plus et Augustinus scribendo potuit impendere. qui tamen in perpetua illa condendorum librorum occupatione congressum etiam colloquiumque Donatistarum saepe requisivit, et ultro ad disputationem litteris invitavit. e quibus fuit Crispinus Calamensis, quem Carthagine jam interpellaverat, et paratum audierat, simul atque otium fuisset, cum eo congredi, ac de antiquis controversiis aliquid conferre. *De Carthaginiensi*, inquit (13), *promissione tua vel nostra instantia quid multa commemorem? quomodolibet ea gesserimus, transierint: ne quod restat impediant. nunc excusatio, nisi fallor, nulla est, adjuvante Domino: ambo in Numidia sumus, et nobis loco terrarum invicem propinquamus. rumor ad me detulit, adhuc te velle mecum disputando experiri de quaestione, quae nostram dirimit communionem. vide quam breviter omnes auferantur ambages: ad hanc epistolam responde, si placet, et fortasse sufficiet non solum nobis, sed et eis, qui nos audire desiderant; aut si non sufficiet, scripta atque rescripta repetantur.* ut autem hunc, schismatis erroribus refutatis, ad Catholicam Ecclesiam traducere conatus est, ita per idem tempus Severinum Donatistam consanguineum suum de falsa sectae ejus doctrina pari studio admonuit (14): et Generoso Cirtensi Catholico, quem Presbyter Donatista ab Angelo se monitum jactans, ut cum ad sectam suam adduceret, fallere conabatur, praeclaram epistolam misit (15), argumenta illi suppeditans, quibus et Catholicae Ecclesiae firmitatem constantiamque demonstraret, et vana Donatistarum somnia levitatemque contemneret.

VII. Quo demum crebrius priscae superstitionis monumenta delebantur, eo venerabilior Carthago vel hospitibus videbatur, reviviscente memoria Martyrum sanctissimorum, qui eam egregiis factis multoque sanguine decoraraut hoc ipso anno Posthumianus ille, quem Severus Sulpicius in Dialogis suis cum Gallo colloquentem facit, quum Narbone solvisset, et portum Africae intrasset, Carthaginem sibi religionis caussa adeundam putavit, ut nempe *Loca Sanctorum* inviseret, *et praecipue ad sepulcrum Cypriani Martyris adoraret.* at vero hic idem quum Hierosolyma pete-

(12) *Cod. Theod. lib. VIII. Tit. XX. L.* 19.
(13) *epist.* 51. *n.* 1.
(14) *epist.* 52.
(15) *epist.* 53.

ret, et Alexandriam appellere vellet, Carthagine post diem quintumdecimum digressus cum sociis, reluctanto austro, no in Syrtim abriperetur, jactis anchoris navim sistere coactus est. in littus tamen proximum scapha egressus, regionis explorandao caussa, inculta omnia ac deserta invenit; nisi quod tugurium conspexit exiguum, quod Presbyteri hospitiolum erat, quocum ad templum perrexit inde ad duo millia passuum ultra collem situm, et Christianos ibi esse comperit innocentis vitae, parvoquo contentos, qui nec vendere quidquam, nec emere solerent: ipsius autem Presbyteri tantam abstinentiam fuisse narrat, ut quum ei pro hospitalitato aureos decem obtulisset, plane recusarit, nec nisi oblatam vestom grato animo acceperit (16). atque haec quidem fusius in Dialogo Severi primo Posthumianus, qui et de arenosa illa solitudine, quae nempe ad tractum Tripolitanum pertinebat, ac de prandio Presbyteri frugalissimo multa adjecit.

(16) v. Rosweid. *in Vitis Patrum p.* 409. *et* 424.

ANNUS CHRISTIANUS CCCC.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi hoc anno Fl. Aurelianus in Oriente, Fl. Stilico in Occidente: quibus Consulibus Romae, quum Honorius Aug. abesset, et Flavianus Ethnicus praefectura urbis fungeretur, Christiano etiamtum sanguine litatum est. victima fuit Agape puella annorum xxvI. quum ageret matrimonii sui annum quartum. egregiao Martyris Corpus in Coemeterio Callisti conditum est, uti ex sepulcri titulo accepimus, xvII. kal. Sept. quo jam tempore ejus loci summa religio erat, ac templi instar habitum pientissimorum hominum frequentia celebrabatur. sed dudum Reliquiae optimae Martyris dono Pii vI. Pont. max. Ecclesiae Clarensi cessere: quarum Translationem Ioannis NanI Pontificis Brixiensium praesentia honestatam xIII. kal. Febr. an. M.DCC.LXXXXVI. multis mortalibus plaudentibus laeti libentes peregimus. enimvero Africam interea ad mensem Martium Proconsul obtinuit anni superioris, Apollodorus; exinde Pompejanus. sublata jam ethnicorum per Africam sacrificia, sublata item e templis Deorum simulacra vidimus. Ethnici tamen passim inveniebantur multi, in Curiis potissimum et Decurionum numero, quorum consilio etiamtum pleraeque civitates regebantur. itaque Pagani quoque ritus appellationes quaedam manebant, et magistratus antiquae superstitionis caussa constituti, nondum creari desierant. ex iis erant qui *Sacerdotes provinciarum* et *Sacerdotales* dicebantur, quorum saepe in Augustorum legibus mentio fit. his jam, abolito Deorum cultu, illud unum restabat onus, ut ludos sollemnes ederent. sed in ea editione tanti sumptus fiebant, ut si post patrem filius quoque Sacerdos provinciae crearetur,

domum exhauriri vel divitem, ac rem familiarem absumi omnem necesse esset. ergo civitates provinciae Proconsularis, tantae calamitatis prohibendae caussa, legatum hoc anno ad Honorium mittendum censuerunt, qui eum de majorum consuetudine edoceret, et familias singulas iteratae curationis incommodis liberaret. legationem suscepit Mecilianus, eaque e re publica functus, rescriptum hujusmodi impetravit (1). *Iuxta veterum morem Mecilianus Legatus adstruxit, ut Sacerdotum filii inviti ad Sacerdotium non cogantur. antiquam igitur consuetudinem Laudabilitas tua* (is erat Pompejanus Proconsul) *praecipiat custodiri, ita ut neque ullus indebite teneatur, et tamen idonei Sacerdotes deesse non possint.*

II. Haec facile indulsit Honorius: neque enim sancta religio violabatur: ob quam anno superiore, quum festos conventus et ludos atque convivia celebrari permitteret, satis jam caverat, praeceperatque, Vt ea exhiberentur *absque ullo sacrificio atque ulla superstitione damnabili* (2). at idem quum accepisset, Donatistas in Africa vetera privilegia praetexere; cujusmodi ea essent, palam sciri voluit, ac si quid apud eos famae pudor valeret, labe eorum atque ignominia proposita, a scelere revocare. nam v. kal. Martias lex ab eo his verbis promulgata est (3): *Rescriptum, quod Donatistae a Iuliano tunc Principe impetrasse dicuntur, proposito programmate celeberrimis in locis volumus anteferri, et Gesta, quibus est hujuscemodi allegatio inserta, subnecti: quo omnibus innotescat et Catholicae confidentiae stabilita constantia, et Donatistarum desperatio fucata perfidia:* qui nempe in libello suo illud quoque scripserant, ipsum esse, apud quem solum Iustitia locum haberet, Iulianum, inquam, Christianae religionis, quam omnes profitebantur, non modo desertorem sed etiam hostem.

III. Ceterum Honorii religio atque Ecclesiae reverentia non minus eluxit, lege data, quam in Equitii caussa Patres Concilii Carthaginiensis petiisse videntur, ut quem ipsi ob crimina, quae ignota nobis sunt, pontificatu abire jusserant, jam se contra Ecclesiae auctoritatem attollere non auderet, et Patrum sententiae sibi standum esse intelligeret. *Quicumque*, inquit Honorius (4), *residentibus Sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus et nomine, si aliquid vel contra custodiam vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehensus, rursusque Sacerdotium petere, a quo videtur expulsus; procul ab ea urbe, quam infecit, secundum legem divae memoriae Gratiani, centum millibus vitam agat: sit ab eorum coetibus separatus, a quorum est societate discretus; sitque hujusmodi personis, tenore hujus legis, inlicitum, sacra nostra adire secreta, et impetrare Rescripta: omnibus abjectis per culpam Sacerdotio personis, quae impetrata sunt, infecta permaneant: scituris his, quorum defensione nituntur, absque sui reprehensione non futurum, si hoc eis pollicentur suffragium, qui divinum non videntur*

(1) *Cod. Theod. lib. XII. Tit. I. L.* 166.
(2) *ibid. lib. XVI. Tit. X. L.* 17.
(3) *ibid. Tit. V. L.* 37.
(4) *ibid. lib XVI. Tit. II. L.* 35.

meruisse judicium. lex hujusmodi prodierat Ravennae pridie nonas Februarias: et ad Hadrianum Praefectum Praetorio Italiae, cui et Africa parebat, missa fuerat. ab eo subinde in Africam, ut promulgaretur, pervenit, et Equitii arrogantia ad tempus immiouta, syoodorumque auctoritate comprobata, pax Ecclesiae reddita est.

IIII. Ioterea Aurelius, quum jam Concilii tempus iostaret, quae io eo pertractanda eraot, diligeoter adornabat, Augustini, ut creditur, opera usus, qui se synodorum cogendarum aoctorem profitebatur, et hac maxime ratione mores emendari, ac splendorem dignitatemque Ecclesiae retineri posse censebat (5). verum pleriqoe totum Aurelio annum in ea cura abiisse potant, quin de more Concilium celebraretur; ac bina anno insequeoti tribuunt, quod Carthagioiense quintum in Codice Canonum actum esse dicatur post Consulatum Fl. Stiliconis: quum haec ipsa nota hunc annum designare, videri jure possit, sive eam anni partem, qua Stilicoocm Consol suffectus exceperat; qoippe quia aonus cccci. Consules suos habuit Vinceotium et Fravitam, qui saue io Concilio magoo aoni insequentis diserto in ipsa praefatione cientur: tum veri haud simile sit, gemini Concilii caussa Episcopos Carthagine ad quatuor menses manere coactos esse, relictis Ecclesiis, quibus maxime prodesse velleot, et hospitibus longa mora exhaustis, quibos graves non esse, lege jubebantur. quare suum huic quoqoe anno Coocilium adscribi ex Aurelii Episcopi coosuetudine aequum est, et illud ipsum adsignandum videtur, quod Concilio maguo aooi inseqoentis praeivisse constat.

V. Convenere Patres XVI. kal. Iulias, vocati e proviocia Proconsulari, nec multi admodum; oam Aurelius *ex aliqua parte* eos esse congregatos dicit (6). oihil autem hic antiquius habuit, quam ut deliberaretur, utrum Donatistas, nec ne in Clerum adlegi oporteret, postqoam ad Catholicam Ecclesiam rediisseot. urgebat enim Clericorum inopia, de qua Aurelius sic querebatur (7). *Tanta indigentia Clericorum est, multaeque Ecclesiae ita desertae sunt, ut ne unum quidem Diaconum vel illiteratum habere reperiantur.* quum autem Patres Concilii tertii Siricium Pontificem maximum ac simul Simplicianum Archiepiscopum Mediolanensem triennio ante consulendos censuissent, num iis saltem aditos ad Clerum aperieodos esset, qui baptismo Donatistarum in ipsa infantia abluti essent; ingratum iode responsum acceperant, Non placere: id eoim indicat Aurelius, quum ait, *Ex his enim Sedibus hoc fuerat prohibitum.* sed litteris· deinde ab Anastasio impetratis, quae aliqoid, opioor, de illa severitate remittebant, superiore Coocilio statuerant, qui parvuli apud Dooatistas baptizati essent, *nondum scire valentes erroris eorum interitum*, et adulti, agnita veritate, ad Ecclesiam venissent, ut eos Episcopi in Clerum recipereot (8). ounc quia, immiouto Clero, ne ea quidem ratione satis suppleri numerus poterat, et e Clericis Dooatistis erant ooo pauci,

(5) Aug. *ad Aurel. epist.* 22.
(6) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 894.
(7) apud Hard. *ibid. p.* 895.
(8) *ibid. can.* 73.

qui, si honorem suum retinere possent, quamprimum ad Ecclesiam redituri videbantur, in eam sententiam inclinabat Aurelius, ut iis etiam, si Anastasii auctoritas, et Venerii, quem modo Simpliciano successisse audierant, suffragium accederet, locum in Clero esse decerneretur. itaque sibi videri dixerat, *Eligendum esse unum e nostro numero consacerdotem, qui, auxiliante Domino orationibus vestris, et has ipsas necessitates suscipere possit, et gnaviter peragendas implere, perrecturus ad transmarinas Italiae partes, ut tam sanctis fratribus et consacerdotibus nostris, venerabili sancto fratri Anastasio Sedis Apostolicae Episcopo, quam etiam sancto fratri Venerio Sacerdoti Mediolanensis Ecclesiae necessitatem ipsam ac dolorem atque inopiam nostram valeat intimare.* Patres autem Aurelio assensos esse, delectumque, qui in Italiam navigaret, ac legatione fungeretur, apparet ex Concilio magno anni insequentis, in quo Anastasii epistolae recitatae dicuntur.

VI. Post haec Aurelius quaedam etiam esse ostendit, quae a religiosis Imperatoribus postulanda viderentur: *Vt reliquias*, inquit (9), *idolorum per omnem Africam jubeant penitus amputari: nam plerisque in locis maritimis atque possessionibus diversis adhuc erroris istius iniquitas viget: ut praecipiant et ipsas deleri, et templa eorum, quae in agris vel in locis abditis constituta nulli ornamento sunt, jubeant omni modo destrui.* tum ut convivia quoque Paganorum publica tollerent, ad quae Christiani celebranda per vim cogebantur: *Maxime*, inquit (10), *quum etiam in natalibus beatissimorum Martyrum per nonnullas civitates, et in ipsis locis sacris talia committere non reformident: quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant; ut matronalis honor et innumerabilium feminarum pudor devote venientium ad sacratissimum diem injuriis lascivientibus appetatur, ut etiam ipsius sanctae religionis paene fugiatur accessus.* tertio loco, ut spectacula item theatrorum ceterorumque ludorum die Dominico aliisque religionis Christianae diebus celeberrimis edi vetarent (11); eaque in aliud tempus differri juberent, ne Christianorum quisquam festo die talia spectare adigeretur, quum publicae curationis caussa abesse non posset. jam et judicia Ecclesiae tuenda censuit, et ab Augustis petendum esse, ne, *si qui forte in Ecclesia quamlibet caussam, jure Apostolico Ecclesiis imposito, agere voluissent*, ac deinde, sententiae minime adquiescentes, ad publica judicia transirent, ad ea devocaretur, qui caussam primus cognovisset, aut ibidem quispiam e Clericis testimonium dicere cogeretur (12). petendum pariter ait, *Vt statuere dignentur, ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus praefuit, sive a quolibet homine defensari, interposita poena damni, pecuniae atque honoris: quo nec aetatem nec sexum excusandum esse*

(9) *ibid. can.* 58.
(10) *ibid. can.* 60.
(11) *ibid. can.* 61.
(12) *ibid. can.* 59.

praecipiant (13). his duo alia adjecit, pro quibus Principi non minus supplicandum existimabat, primum, ut quicumque artem ludicram professus, Christianae religioni nomen dedisset, ne is ad eandem artem reduci cogi posset: alterum, ut servorum manumissiones, siquidem id moris per Italiam obtineret, in Africa etiam Episcopi in Ecclesia promulgarent. atque haec omnia ita Legato mandanda addidit, ut quae is pro statu Ecclesiae et salute omnium optima fide peregisset, ea se probaturos pollicerentur. quibus demum expositis, Patres Aurelius universos appellans, *Si sanctitati*, inquit, *vestrae placent*, *edicite: ut et meam suggestionem ratam esse vobis advertam*, *et nostram omnium consensionem sinceritas eorum libenter accipiat.* illi vero et prudenter proposita videri responderunt, et placere sibi, ut quemadmodum proposuisset, omnia perficerentur.

VII. Vnum erat reliquum, quo non leviter angebatur Aurelius, Equitii caussa, quem ob crimina pontificatu dejecerant, nec tamen animos posuisse cognoverant. nam hic quidem Honorii legem metuens, Hipponem Diarrhytum reliquerat, solumque verterat. sed in Italiam transmisisse credebatur, ut restitutionem suam apud Augustum urgeret. ergo et hoc mandandum Legato idem dixit, *Vt si forte eum in illis partibus reperisset*, curae ipsi esset, pro Ecclesiae statu quod oportuisset, et ubi licuisset, uti adversus illum perageret. nec Episcoporum dispar in ea re sententia fuit: *Multum*, dixerunt (14), *placet et ista prosequutio: maxime quum olim damnatus sit Equitius*, *et ejus impudens inquietudo pro statu et salute Ecclesiae magis magisque ubique repellenda.* itaque decretum subinde factum est, cui Aurelius et Episcopi, qui aderant, subscripserunt. ceterum nec quem ad Honorium legaverint, novimus; nec si quid praeterea in hoc Concilio actum sit, a majoribus traditum accepimus: ipsa denique nomina Episcoporum, qui convenerant, periere.

VIII. Enimvero ne Augustinum quidem hoc anno Carthaginem venisse crediderim: nam et Aurelius solos provinciae suae Episcopos convocasse videtur; et vix otii quidquam Augustino esse potuit, ut iter illud susciperet, ac se ad alia pertractanda conferret. jam enim proceres Donatistarum rursus animum sumpserant, et stilo scriptisque Catholicos aggressi fuerant. primus epistolam emiserat Petilianus Episcopus Cirtensis, de qua ipse Augustinus sic meminit (15): *Ante quam finirem libros de Trinitate et libros de Genesi ad litteram*, *irruit caussa respondendi litteris Petiliani Donatistae*, *quas adversus Catholicam scripsit*, *quam differre non potui. et scripsi in hanc rem tria volumina*, *quorum primo primae parti epistolae ipsius*, *quam scripsit ad suos*, *quia non tota in nostras manus venerat*, *sed prior parva pars ejus*, *quanta potui celeritate et veritate respondi.* et hoc quidem volumen nil aliud, quam epistola fuit ad Catholicos, quibus commentitias futilesque Petiliani sententias ac totius

(13) *ibid. can.* 62.
(14) *ibid. p.* 899. *can.* 65.
(15) *Retract. lib. II. c.* 25.

schismatis insaniam demonstrabat. altero deinde, quum integram illius epistolam vidisset, singulas partes persequutus, verba ipsa adversarii perpendit ac refutavit. tertio denique secundas Petiliani litteras veneni plenas, illum ipsum adloquens, et convicia contemnens, quae in se jacta legerat, discussit ac retudit, eumquo caussa cecidisse ostendit. atque inter haec libellus quoque Augustino refellendus fuit, quem a Donatistis Centurius quidam attulerat (16): cui se quidem respondisse testatur, sed ipsum responsum ad nos transmissum non est. Parmeniani etiam epistola quaedam revixerat, et a Donatistis ostentabatur, quasi ea Catholicos silere coegisset: quam Augustinus tribus libris elevavit, et quam ille in divinis litteris interpretandis hebes fuisset ac plumbeus, multis manifestum fecit. his porro occupationibus distentus, quum nullum ei tempus vacare videretur, Aurelii Episcopi Carthaginiensis rogatu, quem maximo reverebatur, aliud opus suscepit hoc anno perfecitque, quod *de opere Monachorum* inscribitur. scribendi, ut ipse narrat, haec caussa fuit (17): *Quod, quum apud Carthaginem monasteria esse caepissent, alii se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo: alii vero ita ex oblationibus religiosorum vivere volebant, ut nihil operantes, unde necessaria vel haberent vel supplerent, se potius implere praeceptum Evangelicum existimarent atque jactarent.* inde vero ortae dissensiones erant, quae jam ad populum quoque pervenerant, eumque in contraria studia diviserant. ac desides quidem et otii adsertores Monachi ad ceterorum discrimen comati incedere coeperant; quasi ita vacandum esset, ut ne tonsores quidem operarentur. quare in tanto illo dissidio Augustinus, qui Monachorum quasi parens in Africa ac magister habebatur, morem quamprimum Aurelio gessit, ac misso de ea re libro praesentem morbo attulit medicinam. alia vero hujus fere temporis opera ab eo emissa putantur, liber *de bono conjugali* et liber *de sancta virginitate* (18), quos Ioviniani tum desipientis haeresis expressit.

VIIII. Neque tamen haec sola fuere: nam et consultationibus multorum respondendum fuit, nec breviter, sed quandoque justis prope voluminibus, quales duae in primis epistolae *ad Inquisitiones Ianuarii* (19) sunt, quas ipse Augustinus libros appellat (20). quis ille fuerit, cujus eas gratia perscripsit, ignotum est: neque enim virum ille certis indiciis designat: sed pium hominem, ac discendi et bene vivendi cupidum ipsae, quas proposuit, quaestiones declarant. sic autem eum Augustinus respondendo erudivit, ut nobis quoque praeclaras idem regulas et salutaria vitae documenta relinqueret. nam praefatus, quod disputationis caput esse ajebat, Dominum nostrum leni jugo suo nos subdidisse et sarcinae levi: unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis societatem novi populi colligavit;

(16) *ibid. lib. II. c.* 19.
(17) *ibid. lib. II. c.* 21.
(18) *ibid. c.* 22. *et* 23.
(19) *epist.* 54. *et* 55.
(20) *Retr. lib. II. c.* 20.

primam ante, quae omnium ore celebratur, regulam sic tradidit: *Illa autem, quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque stotuta retineri: sicut quod Domini passio et resurrectio et adscensio in caelum et adventus de caelo Spiritus sancti anniversaria sollemnitate celebrautur, et si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia.* tum in reliquis, quae variant, regulam, quam ab Ambrosio didicerat, et Casulano antea praescripserat, aeque auctor Ianuario fuit, ut sequeretur. *Alia vero*, inquit, *quae per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant sabbato, alii non: alii quotidie communicant corpori et sanguini Domini; alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies praetermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum et Dominico, alibi tantum Dominico; et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes; nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. quod enim neque contra fidem neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum est* (21).

x. Iam quaerenti Ianuario de quinta feria ultimae hebdamadis, quae quadragenarium jejunium claudit, utrum mane sacrificium fieri deberet, ac rursum post coenam; an jejunandum, et a coena tantum offerendum esset, vel potius producto ad oblationem usque jejunio, coenam oblationi postponi par foret? quaestionem esse respondit de eo genere, quod per loca regionesque variatur, itaque *Faciat*, inquit (22), *quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit.* et addit, *Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat.* sed quod semel Apostoli mysterium sanctum minime jejuni accepissent, *Numquid propterea*, ait, *calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejunis semper accipitur? ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.* agnoscit tamen, eam fuisse quorundam consuetudinem, ut quinta illa feria post coenam quotannis tota synaxis perageretur. *Sed nonnullos*, inquit, *probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam coenam Dominus dedit, tnmquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. honestius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, post refectionem, quae hora nona fit, ad oblationem possit occurrere. quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam coenam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus.*

(21) *epist.* 54. c. 2. v. Mabill. *Mus. Ital. P. II. p.* 278. (22) *ibid.* c. 5. n. 6.

atque idem usitatum qnoque indicat, ut eo die et mane et vespere sacrum celebraretur. *Hoc tamen*, inquit, *non arbitror institutum, nisi quia plures et prope omnes in plerisque locis eo die lavare consuerunt. et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul et lavacra tolerare non possunt: ad vesperam vero propter jejunantes.* morem autem lavaudi a Catechumenis ortnm putat, quos iu Paschate ad Baptismum, corporis squalore deterso, accedere par erat.

xI. Reliquas Ianuarii quaestiones altera epistola Augustinus dissolvit: quarum prima erat, *Cur anniversarius dies celebrandae Dominicae passionis non ad eundem redeat anni diem, sicut dies, qua traditur natus?* mirum vero, quantum ingenio ille suo indulserit, ut instituti hujus caussas redderet! qui tamen haec demum subjecit (23): *In scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est praeceptum tempus, nisi ex mense novorum a luna quartadecima usque ad vicesimam primam: ex Evangelio tamen quia manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus sit, et in sepultura fuerit, et resurrexerit, adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio per patrum Concilia, et orbi universo Christiano persuasum est eo modo Pascha celebrari oportere.* commemoratis snbinde Neophytorum octo diebus, quos a ceteris Ecclesia distingui voluit, de cautu temporis Paschalis haec tradidit (24): *Vt autem halleluia per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur: nam et aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique.* sed un ubique per eosdem dies et Dominicis omnibns Christiaui stantes supplicarent, minus id se scire confessus est. tum de hymnis et psalmis, quorum cantum perutilem ad pietatem esse ait, variam esse consuetudinem affirmavit: *Et pleraque*, inquit (25), *in Africa Ecclesiae membra pigriora sunt, ita ut Donatistae nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia divina cantica Prophetarum, quum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum quasi ad turbas exhortationis inflamment.* ritum pedum lavandorum recte peragi censet eo tempore recurrente, quo tale nobis exemplum Dominus noster dedit. *Sed ne ad ipsum sacramentum Baptismi videretur pertinere, multi*, inquit (26), *hoc in consuetudinem recipere noluerunt. nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt. aliqui autem ut hoc et sacratiore tempore commendarent, et a Baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium Octavarum, quia et ternarius numerus in multis sacramentis maxime excellit, vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent, elegerunt.* de iis, qui se a carnibus edendis ita temperabant, ut immuudas arbitrarentur, apertissime id contra fidem sauamque doctrinam esse respondit (27). coutra eos, qui de paginis Evan-

(23) *epist* 55. *c.* 15. *n.* 27. v. Baron. *ad an.* 60. *n.* 32.

(24) *ibid. c.* 17. *n.* 32

(25) *ibid. c.* 18. *n.* 34.

(26) *ibid. c.* 18. *n.* 33.

(27) *ibid. c.* 20. *n.* 36.

gelicis sortes legebant, *Etsi optandum est*, inquit (28), *ut hoc potius faciant, quam ad daemonia consulenda concurrant; tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia saecularia et ad vitae hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.*

XII. Ad summam nova instituta sibi parum probari dicit, ac se nimium dolere (29), quod multa, quae in divinis libris saluberrime praecepta sunt, minus curantur; et tam multis praesumptionibus sic plena sunt omnia, *ut gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit*: itaque ea omnia, quae neque sacrarum litterarum auctoritas, neque Episcoporum Concilia, neque legitimae institutionis caussae tuentur ac vindicant, sine ulla dubitatione resecanda esse sibi videri. *Quamvis enim*, inquit, *neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint; ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt; ut tolerabilior sit conditio Iudaeorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subjiciuntur.* ceterum ne Iannarium suum, qui vicum fortasse aliquem Presbyter regebat, anxium ancipitemque relinqueret, Ecclesiam illi magistram quam audiret spectaretque, proposuit: *Ecclesia Dei*, inquit, *inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat: et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non adprobat, nec tacet, nec facit.* haec vero singula aliquatenus attingere non piguit, quod his Augustinus imaginem nobis quamdam Ecclesiae Africanae exhiberet, qualis aevo ejus erat, quo Episcopos plane multos et doctrina et sanctitate clarissimos numerabat. hic denique spatium satis longum emensi, atque ad exitum saeculi quarti divina ope progressi, primae Annalium nostrorum parti modum ponimus: ut quod reliquum est usque ad Saracenorum tyrannidem, quae Ecclesiae Africanae finem attulit, volumine altero complectamur.

(28) *ibid. n.* 37. (29) *ibid. c.* 19. *n.* 35.



COROLLARIVM

Quae caussa fuerit, ut in Africana Ecclesia potissimum qui diem diligenter in Fastis suis designabant, quo Martyrum quisque obierat, de anno, quo Martyrium cujusque contigisset, aut de loco, in quo peractum esset, nihil plerumque adscriberent, equidem, ut alias conquestus dixi, non reperio. at omissa tamen haec aliquando crediderim, quod ea deinde recenti memoria, quum otium foret, facile quis additurum se duceret, quod tamen ne praestaret, oblata mors fecerit. tum illud quoque veri mihi simile est, Christianos quosdam, qui Martyrum nomina consignabant, hoc sibi tantum proposuisse, ut ad memoriam eorum celebrandam, festoque anniversario recolendam diem cuique suum, quod satis erat, adnotarent. ita factum esse, ut de illis nihil fere ad nos praeter nomina transmitteretur: atque adeo ut ne loco quidem in Annalibus ea nostris cieri possent.

Ob eam rem, ne praeclarissimos viros atque aeterna praedicatione quamdignissimos silentio plane praeteriisse arguerer, Martyrologium saltem ex veterum tabulis conficiendum mihi esse putavi, in quo eorum in primis, qui olim Ecclesiam Africanam sanguine suo nobilitassent, nomina semel recognoscere, numerumque inire quisque, quum vellet, facile posset. eos porro singulos singulis et mensibus et diebus appositos exhibebo, quibus utique in plerisque Martyrologiis jamdiu adscriptos invenerim. utinam vero efficere praeterea alii diligentia aut felicitate aliquando possint, uti et res gestae singulorum prodeant e latebris, atque in hominum denique lucem ad imitandum proferantur.



MARTYROLOGIVM

ECCLESIAE AFRICANAE

MENSE IANVARIO

1. *kal.* In Africa SS. MM. Victoris, Felicis, Narcissi, Argyri et sociorum IIII.
Ruspis S. Fulgentii Episc. Conf.

3. *III. non.* In Africa SS. MM. Martialis, Statiliani, Constantii, Possessoris, Hilarini, Firmi, Candidi, Rogatiani, Eugeniae, Lucidae, Acutae, Poenicae.

4. *Pridie non.* Adrumeti S. Mavili M.
In Africa SS. MM. Aquilini, Gemini, Eugenti, Marciani, Quincti, Theodoti, Tryphonis.

5. *nonis* In Africa SS. MM. Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Ianuariae, Caelifloriae, Iocundi, Acuti, Petri, Marci, Severi, Anastasiae, Telesphori.

6. *VIII. idus* In Africa SS. MM. Telesphori, Flori, Iocundi, Petri, Marci, Acutii, Ianuariae.

8. *VI. idus* In Africa SS. MM. Theophili Diaconi, Helladii.

9. *V. idus* In Africa SS. MM. Epicteti, Quincti, Secundi, Iocundi, Saturnini, Vitalis, Quincti, Vincentii, Felicitatis, Quincti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Rustici, Silli, Quieti, Picti et aliorum IIII.

10. *IIII. idus* In Africa SS. MM. Saturi, Vitaliani, Felicitatis, Quincti, Artatis, Salvii.

11. *III. idus* In Africa SS. MM. Philoromi, Eugenii, Quincti, Ianuarii, Saturnini, Vincentii.

12. *Pridie idus* In Africa SS. MM. Zotici, Rogati, Modesti, Castuli, Quincti, Bicciani, Carotici, Castulini et sociorum XXXVI.
Caesareae in Mauretania S. Arcadii M.

13. *idibus* In Africa SS. MM. Ingenui, Vincentii, Satti, Satnri, Felicitatis.

14. *XVIIII. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Paulli, Successi, Victorini, Saturi, Missoris, Gerontii, Lucretii, Ianuarii, Agapiti, Crucessii, Eufrae, Floridao, Theocosiao et aliorum VIII.

16. *XVII. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Satnrnini, Faustini, Naffaniani et aliorum VII.

In Mauretania Tingitana SS. MM. Berardi de Carbio, Ottonis Presbyteri, Petri de S. Geminiano, Accursii, Adjuti ex fam. Francisc.

17. *XVI. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Mucii, Victoris, Mistriani, Salvii, Miselliani, Victorici, Teussae, Fortunati, Veneriae, Sartae, Saturnini, Hortisiani, Leucii, Misuriani, Vincentiae, Albae, Timothei, Ingenulae, Victoriae et aliorum.

18. *XV. kal. Febr.* Abitinae in Africa SS. MM. Successi, Valentis, Telesiani, Paulli, Julii, Lucii, Victorini, Honorati, Saturninae, Floridae et aliornm XIII.

19. *XIIII. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Paulli, Quincti, Gerontii, Ianuarii, Satnrnini, Successi, Germanae, Tertuli, Tiberitani, Majoli, Victoriani, Honorati, Fortnnati, Iulii, Lucii, Marcusi, Publii, Felicis, Cajae, Vitalis, Cassiani, Secundi, Victoris, Primi, Spani, Cacinani, Lucii, Saturninae, Floridae, Callistae, Melondionis et aliorum fere DC.

Carthagine SS. MM. Piae, Picariae et aliorum XXXVIII.

21. *XII. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Hermetis et Solutoris.

22. *XI. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Ianuarii, Maucii, Saturi, Bellici.

24. *VIIII. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Epicteti, Rnppi, Publiani.

Carthagine S. Galaei M.

25. *VIII. kal. Febr.* Carthagine SS. MM. Donati, Secundi, Papiae.

26. *VII. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Dativi, Iuliani, Taelliani, Reotri, Vincentiae, Saturi, Victorinae, Secundi, Papae, Canti, Victoris, Aemiliani et aliorum XXXV.

27. *VI. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Aviti, Donati, Missuriani, Publiae, Victoris, Quinctilli, Publiani, Festi, Felicis, Bonosi, Processi, Veneriae, Marinae, Fortunatae, Tecnssae, Godditis, Secundae, Epictulae, Vincentii, Rogati, Primi, Aurelii, Hilari, Perpetuae, Iulianae et aliorum XXIIII. item Lucii, Honorati, Matrosi, Datii, Iuliani, Caeliani, Saturi, Vincentiae, Victoriae et aliorum XXXII. item Secundi et Fortunati.

30. *III. kal. Febr.* In Africa SS. MM. Feliciani, Philappiani et sociorum CXXIIII.

31. *Pridie kal. Febr.* In Africa SS. MM. Victoris, Publii, Saturnini, Polycarpi.

MENSE FEBRVARIO

1. *kal.* In Africa SS. MM. Publii, Saturnini, Mauriani, Libosi, Vincentiae et aliorum XXIIII.

2. *IIII. non.* In Africa SS. MM. Victoris, Marini, Perpetuae, Iuliae et aliorum LXXIIII. item Honorati, Vrbani, Hilari, Privatulae et aliorum XXXXIIII.

3. *III. non.* In Africa Celerini Diac. Conf. item SS. MM. Celerinae aviae ejus, Laurentii patrui, Ignatii avunculi. item Felicis, Felicitatis et aliorum.

5. *nonis* In Africa SS. MM. Revocati, Saturi, Felicis, Saturnini, Gelasii.

9. *V. idus* Membressae in Africa SS. MM. Ammonis, Aemiliani, Lassae, Didymi, Poemi, Ammonis alterius et aliorum XXXVIII. item in castro Lemelensi Primi et Donati Diaconorum. item Carthagine S. Primae.

11. *III. idus* In Africa SS. MM. Felicis, Victoris, Iannarii, Vitalis, Herenaei.
Carthagine SS. MM. Dativi Lectoris, Felicis, Felicis alterius, Emeriti, Ampelii, Rogatiani, Quincti, Maximiani, Telicae, Rogatiani, Rogati, Ianuarii, Cassiani, Victoriani, Vincentii, Caeciliani, Restitutae, Primaevae, Rogatiani, Givalii, Rogati, Pomponiae, Secundae,

Ianuariae, Saturninae, Martini, Danti, Felicis, Margaritae, Majoris, Honoratae, Regulae, Victorini, Pelusii, Fausti, Daciani, Matronae, Caeciliae, Victoriae, Beredinae, Secundae, Matronae, Ianuariae.

12. *Pridie idus* In Africa S. M. Damiani militis.

14. *xvI. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Valentini et militum xxiiiI.

16. *xiiiI. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Maximi, Vincentii, Paulli, Honorati, Mauri, Maximi, Paulli, Martialis, Therapii, Marci, Marobii, Marcellini, Donati, Marci, Secundi, Macrobii, Lucillae, Secundi, Sauli, Stupuris, Mustacii, Praesentis, Secundae, Maximae, Iunillae et sociorum liiiI. aut ciiiI.

18. *xiI. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Lucii, Silvani, Rutuli, Classici, Secundini, Maximi Fructuli, Damasi, Paulli, Martialis, Marcelli, Macrobii, Gemini, Romuli, Silvinae, Carsicii, Fructuli.

19. *xI. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Publii, Iuliani, Marcelli, Marulii, Iuliani, Baracei, Tullii, Lampasii, Majuli, Iulii, Paulli, Maximillae.

21. *viiiI. kal. Mart.* Adrumeti in Africa SS. MM. Veruli, Secundini, Siricii, Felicis, Servuli, Saturnini, Fortunati, Iocundi, Iuliani, Alexandri et aliorum xvI.

22. *viiI. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Victorini, Euciri, Paulli, Donati, Fortunae et socior. xxviiI.

23. *viI. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Cresconii, Zenonis, Menandri, Cariniani, Arionis, Hippolyti, Diodori, Menelanti, Athorae, Petri, Lambesis, Luciani, Felicis et aliorum xxxv.

24. *vI. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Montani, Lucii, Tuliani, Victorici, Flaviani et socior.

25. *v. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Donati, Iusti, Hirenaei, Pisinionis, Aurulii, Rutuli, Primasi, Ingenulae et aliorum xxxxv.

27. *iiI. kal. Mart.* In Africa SS. MM. Dionysii et aliorum xxiiiI.

MENSE MARTIO

1. *kal.*	In Africa SS. MM. Hadriani, Victori, Secundillae. Carthagine S. M. Donati
3. *v.* *non.*	In Africa SS. MM. Floriani, Felicis, Casti, Lucioli, Iusti, Fortunati et aliorum xxxx. item Gajolae, Felicis, Emeriti, Celedonii, Felicis II. Saviniani, Felicis III. Iulii, Felicis IIII. Marini, Donatae, Nicephori, Carissimi, Claudiani, Papiae, Luciolae, Sabinianae, Iunulae, Asterii, Phocii, Georgii, Isici, Sisinnii, Casti, Basilii, Soli, Artilai, Antonii, Cyrici, Eutici, Gorgonii, Asclipii, Frunimii, Zosimi.
5. *III.* *non.*	In Africa SS. MM. Hadriani, Evoli, Eusebii, Iuliani, Octavii, Petri, Eusebii Palatini, Rustici, Herebi, Maris Palatini et socior. VIII.
7. *nonis*	In Africa SS. MM. Iocundi, Saturnini, Artaxii, Quincti. item Carthagine Perpetuae, Felicitatis, Saturi, Saturnini, Revocati, Secundoli.
8. *VIII.* *idus.*	Carthagine S. Pontii Diac.
	In Africa SS. MM. Cyrilli Episc. Rogati, Felicis, Rogati alterius, Beromae, Hereniae, Felicitatis, Vrbani, Silvani, Manili, Datiani, Iocundi.
9. *VII.* *idus*	In Africa SS. MM. Iuliani, Sici, Cyrilli, Felicis, Philippi, Cedecesis, Cendei, Mariani, Rogati, Concessi, Iuvenculae.
10. *VI.* *idus*	In Africa S. Victor M.
11. *V.* *idus*	Carthagine SS. MM. Heraclii, Zosimi, Alexandri, Philomi Episc. Candidi, Valerii, Quirilli, Petronii, Caji, Martiani Hysici, Piperionis et alior. XV. Item Carthagine S. Constantini Conf.
12. *IIII.* *idus*	In Africa SS. MM. Ioannis et socior. XXXXIIII. item Salviani, Andi, Minandi.
14. *Prid.* *idus*	In Africa SS. MM. Dionae, Alexandri, Petri, Mammeri, Naboris, Frontonis, Comis, Mariae. item Donati Carthagine.

15. *idibus* Carthagine SS. MM. Paulli, Salvatoris, Alexandri, Theophili, Theodoli, Octavii, Petronii, Manili.

18. *xv. kal. Apr.* In Mauretania SS. MM. Curenti, Timothei, Saldiae, Feliciani, Iocundi.

19. *xiiiI. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Apollonii, Ammoni, Saturnini, Basillae et alior. vII.

21. *xiI. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Fortunati et Ioannis.

22. *xI. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Basilissae, Saturnini et socior. viiiI. item Octaviani et multorum millium.
Carthagine S. Deogratias Episc.

23. *x. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Fidelis, Felicis et alior. xx. item Liberati medici cum uxore et filiis duobus et puero, item Crescentii Presbyt.
Carthagine et Tambajae Victoriani Proconsulis Carthag. Germanorum duorum Aquisregiensium, Frumentii et Frumentii alterius.

24. *viiiI. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Rogati, Cafulae, Auti, Victorini, Saturnini, Saturnini alterius, Salitoris, Aprilis, Iosephi, Caliondolae.
In Mauretania SS. MM. Secunduli, Veruli, Saturnini, Sorectae, Abatae.

26. *viI. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Victoris, Saturnini, Solutoris et socior. xiI.

27. *vI. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Romuli, Acuti, Pinnarii, Maruli, Successi, Misiae, Maturinae, Donati, Successae, Alexandri, Solutoris, Saturnini.

28. *v. kal. Apr.* In Africa SS. MM. xiiI.

29. *iiiI. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Armogastae Comitis, Archinimi Masculini, Saturi Procur. regii.

31. *Prid. kal. Apr.* In Africa SS. MM. Athenaei, Anesi, Felicis, Porti, Abdae, Corneliae, Valeriae.

MENSE APRILI

2. *IIII. non.*	In Africa SS. MM. Amphiani, Victoris et alior. XIIII.
5. *nonis*	In Africa SS. MM. sub Genserico.
6. *VIII. idus*	Carthagine S. M. Marcellini Trib. et Notar.
7. *VII. idus*	In Africa SS. MM. Epiphanii, Donati, Sixti, Rufini, Modesti et alior. XI.
8. *VI. idus*	Carthagine et per Africam SS. MM. Timorii, Iannarii, Macarii, Connexi, Maximae, Concessae.
9. *V. idus*	In Africa SS. MM. Massulitanorum.
10. *IIII. idus*	In Africa SS. MM. Terentii, Africani, Maximi, Pompeji, Zenonis, Alexandri, Theodori et alior. XXXIII. item aliorum XVII.
11. *III. idus*	In Africa SS. MM. Fortunati, Donati et alior. CCXI.
	In Mauretania SS. MM. Salonis, Maximi, Hilarii, Concessi et aliorum.
	Tuneti Antonii ex Famil. Dominic.
16. *XVI. kal. Maj.*	In Mauretania S. M. Basilia.
17. *XV. kal. Maj.*	In Africa SS. MM. Fortunati et Marciani. item Mappalici, Baruci, Quincti, Victorici, Donati, Iannarii, Macori, Galli, Theodorae, Iuliani Presb. Meceoni, Migini, Diomedis, Philippiani, Fortunionis, Credulae, Firmi, Venti, Fructi, Martialis, Aristonis.
18. *XIIII. kal. Maj.*	In Africa SS. MM. Victoris, Parephili, Donati, Iannarii, Micionis, Domni, Turemoni, Syrici, Prisciani.
19. *XIII. kal. Maj.*	In Africa SS. MM. Sericiani, Donati, Helladii, Sericiani alterius, Hermogenis et aliorum duorum.
20. *XII. kal. Maj.*	In Africa SS. MM. Servani, Araici, Silvani, Fortunati, Ioannis, Honorati, Donati, Marciae, Gemmae, Corneliae, Geminae, Corneliae, Fortunatae, Vincentiae.

23. *VIIII. kal. Maj.* In Africa SS. MM. Catulini, Saturnini, Chori, Felicis, Theonae, Theodori, Victorini, Venusti, Victuri, Naboris, Soluti, Pleni, Silvii, Felicis alterius, Vitalis, Theodorae, Faustini, Salunae, Valerii.

24. *VIII. kal. Maj.* In Africa SS. MM. Faustini, Victurini, Saluni, Valerii, Alexandri, Orbani, Theonae, Valeriae, Fortunatae, Publiae, Foriani, Memmeri, Fausti, Ianuarii, Secundi, Marciae, Sambaciae, Theodestiae, Valerianae, Vrbani, Heri, Lucii, Victoris.

25. *VII. kal. Maj.* In Africa SS. MM. Nobilis, Martiae, Hermemphi, Fortunati, Iocundi.

26. *VI. kal. Maj.* In Africa SS. MM. Iulii, Victurini, Sirici, Felicis, Paulli, Maximi, Victoris, Simplicii, Pollionis, Viti, Calendini, Apolloni, Marcianae, Felicissimae, Cathenicae, Marcianae, Lectissimi, Simiae, Germiani, Feliciae, Evasiae, Gemellini, Silvani et sociorum.

28. *IIII. kal. Maj.* In Numidia et per Africam SS. MM. Manili, Donati, Maurilii, Luciani, Victorini, Niciae Virg. et alior. LXXII. item Luciani et alior. CCLXX.

29. *III. kal. Maj.* In Africa SS. MM. Grati et aliorum VI.

30. *Prid. kal. Maj.* Apud Cirtam et Lambaesam in Numidia SS. MM. Agapii Episc. Secundini Episc. Theodori Presb. Mariani Lect. Iacobi Diac. Aemiliani mil. Tertullae Virg. Antoniae Virg. item mulieris cum duobus geminis, Secundiani, Concordii, Floriani, Gaberis, Cajani, Postumi, Mommioi, Quintiani, Cassii, Fasili, Florentii, Demetrii, Gududi, Crispini, Crispini alterius, Donati, Zeonis et alior. plurimor.

MENSE MAIO

1. *kal.*	In Africa SS. MM. Quintiani, Eleutherii, Gagi, Alexandri, Saturnini.
2. *VI. non.*	In Africa S. M. Vindemialis Episc.
3. *V. non.*	In Africa SS. MM. Mariani, Fortunati, Saturnini, Rufinae, Fortuninnis, Fortunati alterius.
4. *IIII. non.*	In Africa SS. MM. Caelestini, Felicis, Vrbani, Romani, Bellici, Martialis, Mittuni Presb. Floriani, Petri. item S. Monnicae matris S. Augustini.
5. *III. non.*	In Africa SS. MM. Gregorii, Archelai, Felicissimae.
6. *Prid. non.*	In Africa SS. MM. Secundiani, Iacobi, Mariani, Concordiae, Marinae, Heliodori, Saturnini, Silvani.
7. *nonis*	In Africa SS. MM. Celerini, Maximi, Victuri, Pontentellae, Abbae, Faustinae, et aliorum plurium. item Augustini Episc. Victuri, Caji, Anti, Maximi, Celerini, Frontonis, Quincti, Flaviae, Martialis, Privatiani, Septimiae, Dextri, Quinctae, Arnasi, Donati, Donati alterius, Octaviani, Donati tertii, Marini, Navigi, Pulveri, Rogatae, Victorii, Muderi, Fortuni, Victuri, Secundi, Celedoniae, Donatae, Saturnini, Donatae alterius, Navidae, Fortunatae, Felicis, Iulii, Crescentii, Gallici, Iustiniani, Vitalici, Rogatiani, Lucellae, Honorati, Feliciae, Savinae, Salvi, Simplicii, Flaviae, Alexii, Catulae, Evticiae, Peculcaris, Germani, Rogatae, Marcellae, Odemaris, Ercolae, Saturninae, Primulae, Castulae, Donati quarti, Felicis, Iuvenalis, Victorii, Processi, Antoninae, Sapidae, Donatae tertiae, Secundianae, Donatae quartae, Martialis, Ianuarii, Tunidi, Victuri, Fortunati, Crescentii, Germani, Avidae, Fortunati, Rogatae, Epaphroditi, Marcellini, Floriani, Palatini, Faustini Episc. Entici et aliorum LVI. item Innocentii Episc. Afr. Cajetae in Italia.
8. *VIII. idus*	In Africa SS. MM. Eutici, Fortunati, Saturnini, Marciae.
10. *VI. idus*	In Africa SS. MM. Probatae, Moecae, Petri, Dativi, Iannarii, Fortuninnis, Theclae, Lucellae, Maximae, Matronae.

11. *v. idus*	In Africa SS. MM. Majuli, Victorini, Fortunati, Septimi, Comini, Iulii, Crispi, Ianuariae, Primnli, Herei, Manili, Manili alterius, Victoriae, Fortunatae, Iannarii, Iocundi.
12. *iii. idus*	In Africa S. M. Pancrati.
14. *Prid. idus*	In Africa SS. MM. Secundiani, Qnarti, Victoriani, Ianuarii, Mediani, Adancti, Benecutiae, Maximini, Alexandri, Procnli, Aframii, Audacti, Adeodati.
16. *xvii. kal. Iun.*	Vzali SS. MM. Felicis et Gennadii. Rosii Conf. Episc. Afr. in Dioec. Campaniae Suessana.
17. *xvi. kal. Iun.*	Restitutao V. M. Afr. Neapoli conditae. Possidii Episc. Calamensis.
19. *xiiii. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Qnincti, Primoli, Fortnnati, Donatoris, Donatoris alterius, Primi, Dicessi, Indicae, Lucnstae, Rogatae, Orbanae, Romanae. In Getnlia SS. MM. Aemilii, Basilii, Praetextatae, Basiae, Partini.
20. *xiii. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Victoriae, Marcelliosae, Salsae.
21. *xii. kal. Iun.*	In Mauretania SS. MM. Timothei, Polii, Eutychii Diaconor. In Africa SS. MM. Victi, Maurellae, Quincti, Primuli, Salustii, Fortunati, Mircellae, Primi.
22. *xi. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Casti et Aemilii. item S. V. M. Iuliae in Corsica.
23. *x. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Qnincti, Lucii, Inliani, Montanae, Ianuariae, Emeliae, Nonnae, Almeridae, Asti, Basilei, Victorii, Firmi, Montani, Iuliani, Victorici, Fidelii, Donati, Niciae, Fausti, Timothei, Silvani, Focii, Epictiti.
24. *viiii. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Saturnini et aliorum sex.
25. *viii. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Flaviani, Septimiae, Septini. S. Canionis Episc. Afri et M. Atellae et Acheruntiae in Italia. Carthagine SS. MM. clx.

26. *VII. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Paulli, Anteonis, Quadrati, Rufini, Valeriae, Magni.
27. *VI. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Sacci, Iulii, Damiae, Carpiae et alior. CCCC.
28. *V. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Portini, Arminiae, Secundini.
29. *IIII. kal. Iun.*	In Africa SS. MM. Primi, Accidiae, Passimonii et alior. CLIII.
31. *Prid. kal. Iun.*	Cirtae in Numidia S. Donatiani M. SS. MM. Timidénsium in prov. Proconsulari. Carthagine S. Datianae M.

MENSE IVNIO

1. *kalendis*	In Africa S. Crispini M.
3. *III. non.*	Carthagine S. Caecilii Presb. In Africa SS. MM. Quirini, Abidiani, Gagi, Donati, Neporis, Papozinici, Ianuariae, Demetriae et aliorum CXXXXVII. item Iulianae V. et S. Perseverantii M.
4. *Prid. non.*	S. Optati Episc. Milevit. in Numidia.
5. *nonis*	In Africa SS. MM. Evasii et Privati, item Sixti.
6. *VIII. idus*	In Africa SS. MM. Itali, Zotici, Camesi, Philippi, Attali.
7. *VII. idus*	In Africa SS. MM. Fortunati, Macarii, Primosi, Accadii, Mochi, item Victuri, Evasii, Privatae, Ianuariae, Donatae, Spisinae, Quirilli.
8. *VI. idus*	In Africa SS. MM. Mucii et Iulii.
9. *V. idus*	SS. Episc. Florentii et Vindemialis ex Africa Tarvísii in Italia.
10. *IIII. idus*	In Numidia SS. MM. Mammarii Presb. Felicis et Victoriani Diaconor. Albini, Donati, Libosi, Laurentii, Faustiniani, Ziddini, Crispini, Leuvi, Faustinae, Faustae, Faustini et socior. duor. Item Tuneti Olivae V. et M. Panormitanae.

13. *idibus*	In Africa SS. MM. Luciani, Fortunati, Crescentiani, Teclae, Felicis, Secundi, Luciani alterins, Iocundi.
14. *XVIII. kal. Iul.*	In Africa SS. MM. Qnintiani, Teclae, Theodoli, Festinae.
16. *XVI. kal. Iul.*	In Africa SS. MM. Cyriaci, Valeriao, Marciae, Diogenis, Micae.
18. *XIIII. kal. Iul.*	In Africa SS. MM. Marciae, Aemilii, Felicis.
21. *XI. kal. Iul.*	In Africa SS. MM. Cyriaci, Saturnini, Bellici, Persei, Apollinaris, Crisini, Primi, Iannarii.
24. *VIII. kal. Iul.*	Carthagine S. Rogati M.
26. *VI. kal. Iul.*	In Africa SS. MM. Gaudentii, Felicis, Agapiti, Emeritae.
28. *IIII. kal. Iul.*	In Africa SS. MM. Fabiani, Felicis, Arionis, Capitolini, Nisiae, Elaphae, Venusti eunuchi, Crescentis, Alexandri, Theonae, Pleosi, Astesii, Apollonii, Amphamonis, Phisocii, Melei, Dionysii, Ilini, Panni, Plebrii, Pannbrii, Dioscori, Tuboni, Capitnlini, Nicae, Gnrdini.
30. *Prid. kal. Iul.*	In Africa SS. MM. Timothei, Zotici, Italicae, Zoili, Gelati, Corsici Presb. Leonis Hypodiac. item Raimundi Lulli M.

MENSE IVLIO

4. *IIII. non.*	In Africa S. Iocundiani M. Madaurae S. Namphanionis et socior. MM.
10. *VI. idus*	In Africa SS. MM. Ianuarii, Marini, Naboris, Felicis.
11. *V. idus*	In Africa SS. MM. Mariani et Ianuarii.
13. *III. idus*	S. Eugenii Episc. Carthag. et socior. ejus snb Vandalis.
14. *Prid. idus*	In Africa SS. MM. Papiae et Donati. S. Cyri Episc. Carthag.
15. *idibus*	Carthagine SS. MM. Catnlini, Iannarii, Florentii, Pollutanae, Iuliae, Iustae.

17. *XVI. kal. Aug.* Carthagine SS. MM. Scillitani Speratus, Narzales, Cittinus, Veturius, Felix, Acyllinus, Laetantius, Ianuaria, Generosa, Vestina, Donata, Secunda.

18. *XV. kal. Aug.* In Africa SS. MM. Aquilini, Sperati, Civini, Felicis, Crestini, Lutati, Nazarii, Vetusae, Generosae, Ianuarii, Ianuarii alterius, Titiani, Nessae.
Carthagine S. Guddenes M.

20. *XIII. kal. Aug.* In Africa SS. MM. Sabini, Luciani, Petri, Amabilis, Nonninae, Sandi, Agrippiani, Medaduli, Respectati et alior. XXIII.

21. *XII. kal. Aug.* In Africa SS. MM. Victoris, Stercorii, Aemiliani, Hugalis, Saphi, Montani.

22. *XI. kal. Aug.* Maxulae SS. MM. Andreae, Aeliani, Aiabosi.

29. *IIII. kal. Aug.* In Africa SS. MM. Felicis, Nicetae, Postinianae, Philippi.

30. *III. kal. Aug.* Tuburbi SS. MM. Maximae, Donatillae, Secundae, item Rufi, Prisci, Paternicae, Septimiae, Optionis, Ammonii, Iusti, Iuliae, Potamiae, Abdi, Acenei, Maximae, Hospis, Donatulae, Silvani, Magnili.

31. *Prid. kal. Aug.* In Africa SS. MM. Democriti, Secundi, Dionysii, Thyrsi.
Caesareae in Mauret. S. Fabii M.
Tagastae S. Firmi Episc.

MENSE AVGVSTO

2. *IIII. non.* In Africa S. M. Rutilii.

9. *V. idus* In Africa SS. MM. Numidici et socior.

10. *IIII. idus* Carthagine SS. VV. MM. Bassae, Paullae, Agathonicae.

14. *XVIIII. kal. Sept.* In Africa S. M. Demetrii.

15. *XVIII. kal. Sept.* S. Alypii Episc. Tagastensis

17. *XVI. kal. Sept.* Carthagine SS. MM. Liberati Abbatis, Bonifacii Diac. Servi, Rustici, Rogati, Septimi, Maximi pueri.

23. *x. kal. Sept.* S. Victoris Conf. Episc. Vitensis.

24. *viiii. kal. Sept.* Vticae SS. MM. ccc. Massae candidae.

28. *v. kal. Sept.* Hippone Regio S. Augustini Episc.

30. *iii. kal. Sept.* Adrumeti SS. Bonifacii et Theclae conjugum.
Sufis SS. MM. lx.

MENSE SEPTEMBRI

1. *kalendis* In Africa SS. MM. Tascii, Dubitati, Valenti, Donati.
SS. Confessorum Prisci, Castrensis, Tammari, Rosii, Heraclii, Secundini, Adjutoris, Merci, Augusti, Elpidii, Canionis et Vindonii ex Africa in Italia exsulantium.
Item S. M. Reguli Episc. Afr. apud Lucenses.

6. *viii. idus* SS. Confessorum Donatiani, Praesidii, Mansueti, Germani, Fusculi, et Laeti M. Episcoporum.

10. *iiii. idus* In Africa SS. MM. Nemesiani, Felicis, Lucii, Felicis alterius, Littei, Poliani, Victoris, Iaderi, Dativi.

14. *xviii. kal. Oct.* Carthagine S. M. Cypriani Episc.
In Africa SS. MM. Crescentiani, Victoris, Rosulae, Generalis

28. *iiii. kal. Oct.* In Africa SS. MM. Martialis, Laurentii, Gurgili, Marii, Faustini, Victoris, Candidae, Variae, Longerae, Celerinae, Donatae, Leae, Luciosae, Aemilii, Gagili, Placidi et alior. xx. item Longae, Victoriae, Priscae.

MENSE OCTOBRI

3. *v. nonas* In Africa SS. MM. Victoris, Vrbani, Sapargi.

4. *iiii. non.* In Africa SS. MM. Marcusii, Restituti, Iulii.

6. *Prid. non.* In Africa SS. MM. Rogati, Saturnini, Faustini, Ianuarii et Martialis.

10. *vi. idus* In Africa SS. MM. Eusebii, Eraclii, Dionysii, Septimiae, Secundae, Salsae.

12. *IIII. idus* In Africa SS. Confessorum et MM. quatuor millium nongentorum septuaginta sex sub Hunerico.

15. *idibus* Carthagine S. M. Agilei.

16. *XVII. kal. Nov.* In Africa SS. MM. Cecrae et socior. CCLXX.

17. *XVI. kal. Nov.* In Mauretania SS. MM. Nini, Victoris, Inbilitani, Mariani, Lucii, Tinni, Crescentiani, Rufinianae, Donati, Defensoris, Rusticiani, Serviliani, Socratis, Venerii, Iannarii, Neustuli, Quintasii, Memmiae, Zidiaci, Primae, Donatae, Severae, Victoriae, Basillae.

18. *XV. kal. Nov.* In Africa SS. MM. Lucii, Victoris, Dasi, Leuci, Victorici, Beresi Episc. Victricis, Faustinae, Martialis.

21. *XII. kal. Nov.* In Africa SS. MM. Modesti, Entici, Mauri, Dissei.

25. *VIII. kal. Nov.* In Africa SS. MM. Saturnini, Claudiani, Primi, Flaviani, Asterii, Cari.

28. *V. kal. Nov.* Carthagine S. M. Suffroni.

30. *III. kal. Nov.* In Africa SS. MM. CCXX. Felicis, Quincti, Lucae, Luciani, Victoris, Vitalis, Donati, Petri, Marii, Ianuarii, Firmae, Hermetis, Vrbani, Attici, Feliciani et socior.

31. *Prid. kal. Nov.* In Africa SS. MM. Rogatiani Presb. Vincentii Diac. Rusticiani, Agapitae, Victoriae et alior. VIII. item Daconii, Iuliani, Fortunati, Silviani, Kalendionis, Bonifaciae, Castae, Secundae, Sallicae, Agapini, Victoriae. item Felicissimi, Donati, Rusticiani, Fortunati, Romani, Silvani, Mimi, Angelasii, Nividinis, Felicis, Donati et alior. XXVIIII. item Valerii et Vincentii.

MENSE NOVEMBRI

2. *IIII. non.* In Africa SS. MM. Poliani, Victoris, Hermetis, Iusti, Vitalis, Papae.

4. *Prid. non.* In Africa SS. MM. Primi, Caesarii, Gregorii, Porphyrii, Saturi, Amantii, Publii, Secundi, Victorini, Perpetuae, Victoris, Quarti.

6. *VIII. idus*	In Africa SS. MM. Donati, Paulli, Balsami, Domnini, Primi, Dulii, Fortunati, Ianuarii, Forti. Thinisae S. M. Felicis.
7. *VII. idus*	In Africa SS. MM. Rogati, Donati, Primi, Iulii.
8. *VI. idus*	In Africa SS. MM. Primi, Macarii, Iusti, Amaranthi et alior. XVIII.
10. *IIII. idus*	In Africa SS. MM. Saturnini, Donati, Annii, Bonii et alior. XVII.
12. *Prid. idus*	In Africa SS. MM. Maurulii et Publii.
15. *XVII. kal. Dec.*	In Africa SS. MM. Secundi, Fidentiani, Varici, Martialis. item Siddini, Saturnini, Servii, Kalendionis, Galani, Primigenii, Secundi, Theodoti, Demetrii, Parentis, Saturi.
16. *XVI. kal. Dec.*	In Africa SS. MM. Rufiniani, Marci, Valerii, Victoris, Paulli, Honorati, Donati, Valeriani, Petiani. item Neri, Paulli, Hadriani, Secundiani, Martialis, Victoris, Anteconii, Aureliani, Marcelli, Marini, Secundini, Fronlonii.
17. *XV. kal. Dec.*	Carthagine SS. MM. Dubitantii, Tusci, Valentini.
22. *X. kal. Dec.*	In Africa SS. MM. Chrysogoni, Cleti, Verociani, Demetrii, Zeti.
24. *VIII. kal. Dec.*	In Africa SS. MM. Mammerii, Saturai, Rogati, Donati et alior. XXX.
26. *VI. kal. Dec.*	In Africa SS. MM. Monnae, Melisii, Berinae, Victorianae et Marcellini.

MENSE DECEMBRI

1. *kalendis*	In Africa SS. MM. Victorii, Rogati, Mamminarii, Elegatae, Quintusii, Natalici, Cassiani, Kalendionis, Pinnini, Donati, Saturnini, Fortunati, Leutani, Optati.

2. *IIII. non.* In Mauretania SS. MM. Veri, Securi, Ianuarii, Fortunati, Meggeni, Debbuchi, Victorini, Clemeni, Pontiani, Candidi, Mammeriae, Agnetis, Donati, Primi, Victorii, Secundi, Septimi, Maximi, Donati alterius, Saturini.

3. *III. non.* In Africa SS. MM. Crispini, Magni, Ioannis, Stephani, Victoris, Martini.

5. *nonis* In Africa SS. MM. Humilii, Felicis, Iulii, Potamiae, Crispini, Heracli, Misii, Victoris, Trophimi, Serapionis et alior. VIII.
item Candorii, Namphanionis, Paulli, Marci, Iusti, Primatii, Fulgentii, Matronae, Feladi, Sanctae, Mariae.
Tagorae SS. MM. Crispinae et alior. VII.

6. *VII. idus* In Africa SS. MM. Zeloti, Fortunati, Gaddi, Hermogenis, Rogati.

9. *V. idus* In Africa SS. MM. Petri, Successi, Basini, Victorii, Tonini, Porphyrii, Vrbani, Ianuarii, Mixini, Publiciani, Pascentii, item Vrbani, Bonifacii et alior. XII.

15. *XVIII. kal. Ian.* In Africa SS. MM. Fausti, Lucii, Candidi, Mathri, Marci, Ianuarii, Victorii, Caeciliani, Maximi, Marciae, Fortunatae, Machaomae, Victoriae, Secundae, Primi, Saturnini, Macrusi, Nini, Restituti et alior. XI.

17. *XVI. kal. Ian.* In Africa SS. MM. Victoris, Victoriani, Adjutoris, Quarti, Honorati, Simplicii, Ampamovi, Felicis, Vincentii et alior. XXXII. item Octorii, Quinti, Donati, Victoriae, Dioscori, Iustiniani.

18. *XV. kal. Ian.* In Africa SS. MM. Quincti, Simplicii, Pompini, Paulli, Aritifae, Cresci, Digni, Datuli, Feliciani, Monsitis, Rogatiani, Honorati, Evasii, Victorii, Privati, Tinni, Salvatoris, Siti, Tersuri, Victorici, Victoris, Caeciliani, Septimini, Rustici, Lucaniae, Honorati, Reductulae, Victoriae, Felicitatis, Quinctulae, Spinuciae, Privatulae, Caeciliae, Saturnini, Caeciliani alterius, Namphamonis, Felicis, Vincentii, Anesthi, Musci, Adjutoris.

28. *V. kal. Ian.* In Africa SS. MM. Castoris, Octavii, Victoris, Gatticae, Rogati, Eusebii, Probati, Ianuarii, Catonis, Saturi, Restitutae, Saturninae.

29. *IIII. kal. Ian.*	In Africa SS. MM. Domitii, Victuri, Crescentii, Primiani, Libosi Episc. Secundi, Saturnini, Honorati, Victoriae, Saturi, Felicis.
31. *Prid. kal. Ian.*	Carthagine SS. MM. Donati, Caelestini, Saturnini.

FINIS SECVNDAE PARTIS